F. PETRI MARIÆ PASSERINI

DE SEXTULA

MAGISTRI, AC PROCURATORIS GENERALIS
Ordinis Prædicatorum.
ET IN ROMANA SAPIENTIA S. THEOLOGIÆ
Professoris Matutini.

TRACTATUS DE INDULGENTIIS.

EDITIO TERTIA.

Dicatus Eminentiss. ac Reverendiss. D. D.

CARDINALI DE CARPINEO

Sanctissimi D. N. P. Vicario Generali, in Alma Urbe, ejusque districtu Judici ordinario.

VENETIIS, M. DC. XCV.

Ex Typographia Hyeronimi Albritii.
SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISSIME,

AC

REVERENDISSIME D.

VEtus olim viguit consuetudo è lauro sertis non tam illorum qui literis præcellebant, quam ipsorummet librorum capita coronare. Nostra vero tempestate hos fines egressa mortalis ambitio, vel eodem Coronati Herois nomine Libros co-

ronat, atque inde vitam ſanè dant operi diuturniorem illa, quam lauri ſertum poſsit polliceri. Et ego itaque novos mores ex animo amplector, dicans E. V. ut pote quæ eſt Meritorum Corona, Gloria Purpuræ, Epitomem Indulgentiarum Paſſerini. Si Libri Auctor ſupereſſet nec poſſet, nec ſciret majorem petere laudis æſtimationem, nec operi ſuo digniorem optare Coronam illa, quam nactum eſt dum ſibi in Patronam aſcivit E. V. Hanc mea virium, & ingenii tenuitas demiſsè, & anxiè precatur, ut non luce momentum & libro addat, & ſpernenti benigna ambos excipiens humanitate, digneturque ut poſt infixum Sacræ ejus Purpuræ pronum oſculum, æternum me dicam

Eminentiæ Veſtræ

Addictiſs. Humiliſs. Servus
Hieronymus Albrizzi.

INDEX QUÆSTIONUM.

cti ita

Quæst.

INDEX.

FINIS.

F. P E-

F. PETRI MARIÆ PASSERINI TRACTATUS DE INDULGENTIIS.

QUÆSTIO I.

Quid sit Indulgentia.

SUMMARIUM.

1 Hoc nomen Indulgentia multipliciter dicitur.
2 Indulgentia quid sit secundum aliquos.
Indulgentia non est absolutio à pœna secundum aliquos.
3 Secundùm alios est remissio, & solutio.
4 Vera diffinitio Indulgentiæ.
5 Est absolutio.
6 Indulgentia distinguitur à suffragio.
7 Indulgentia est sententia data, sed non servata forma judicii.
8 Integra diffinitio Indulgentiæ.
9 Difinitio ista non competit Indulgentiæ pro mortuis.
10 Remissio pœnæ est Indulgentia propriè.
11 Difinitio alternativa non admittitur.

DIVERSÆ significationis est hoc nomen Indulgentia tam apud humaniorum litterarum Peritos, quam apud Canonistas, & Theologos sacrarum litterarum Professores. Nam apud primos hoc nomen, Indulgentia, propriè significat complacentiam, qua quis alicui complacet, seù in complacendo lenitatem, facilitatem, sive in bonum; sive in malum. In bonis quidem eorum conc e ssio Indulgentia dicitur, in quo sensu intelligi potest illud Plinii lib. 17. cap. 10. *Nutricem Indulgentiorem esse, quam matrem sæpè convenit.* Sed frequentiùs sumitur in malam partem ut Indulgentia dicatur mali conniventia, nimis facilis tolerantia; & mollis permissio. In hoc enim sensu *Cicero ad Attic. lib.* 10. dixit *filium Patris indulgentia depravari.* Et Quint. *lib. 1. cap. 3. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes omnes mentis, & corporis frangit.* Et ex hoc complacere appetitui carnis, & condescendere concupiscentiæ dicitur indulgere; in hoc enim sensu homines sensui dediti dicuntur indulgere gulæ, & libidini. Apud Sacros Canones autem, ut advertunt Archid. *cap. Indulgentiæ*, & ibi Jo. Andr. & Dom. *de pænit. & remissionibus*, & Ludovicus Bologn. *de indulg. cap. 103. Multipliciter dicitur, nimirum, vel pro concessione gratiæ cap. fin. ut lit. pend. & cap. Dudum de privil.* vel dispensatione in lege *cap. fin. dist. 75. & cap. dudum de consuetud.* Quandoque pro non impositione pœnæ *cap. interfectores distinct. cap. 1.* Aliquando etiam significat operam dare, sic dicitur quis indulgere grammaticæ, vel legibus, qui illis dat operam *l. non pro. §. Sacerdotio ff. de recent. arbitr.* sed ut advertit doctissimus Turrec. *§. Item in Levitico de pænit. dist. 1. art. 1.* In Sacra scriptura Indulgentia aliam præcipuam habet significationem. Nam vel significat remissionem culpæ secundum illud Judith 8. *Indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus*, vel remissionem pœnæ, secundùm illud Isaiæ 61. *Misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam.* Vel etiam horum utrumque secundum illud Isaiæ 63. *In dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos.* Invenio autem, quod in scriptura verbum indulgeo importat condonationem debiti, seu tributi etiam temporalis juxtà illud 1. Machab. 10. *Et pretia Salis indulgeo.* Et aliquando permissionem

nem minoris boni, in quo sensu secundum Divum Thom. & Caiet. Apostolus dixit 1. *ad Cor. cap.7. Hoc dico secundum indulgentiam*. His verò sic stantibus.

Nomen Indulgentiæ accommodatum est ad significandam remissionem pœnæ temporalis à peccatoribus debitæ in foro pœnitentiali quæ fit ab Ecclesiæ Prælatis virtute clavium, Et in hoc sensu accipitur in præsenti.

2. Quid verò sit hujusmodi Indulgentia non eodem modo explicatur, & primò valdè dissentiunt inter se DD. in assignando illius genere. Nam quidam tradere cupientes diffinitionem Indulgentiæ, quæ conceditur pro vivis, & quæ conceditur pro defunctis, dixerunt, quod Indulgentia est actus Jurisdictionis spiritualis, &c. quo Peccator in foro Dei liberatur à reatu pœnæ temporalis extra Sacramentum. Ita Suarez *tom.4. in 3. part. section. 4. num. 1.* vel ut habet idem Suarez *ibidem num. 11.* Indulgentia est concessio virtute clavium facta, qua mediante liberatur peccator ex opere operato, seù ad modum ejus à reatu pœna temporalis extra Sacramentum, sed ut probatur infrà q. 118. Indulgentia non dicitur univocè de Indulgentia pro vivis, & pro mortuis. Neque enim indulgentia pro defunctis propriè est actus Jurisdictionis, licet necessariò sit actus habentis Jurisdictionem, quia illa non est absolutio, seu relaxatio pœnæ juridica, sed est solutio æquivalentis de thesauro Ecclesiæ, & suffragium publicum, & supplicatio, per quam supplicatur Deus, ut accepta solutione sibi oblata ex thesauro, velit animam liberare à pœnis Purgatorii, vel in parte, vel in toto. Quamvis verò Indulgentia pro vivis verè sit actus Jurisdictionis, nihilominùs hoc prædicatum est remotum, & valde generale, & magis generale est nomen concessionis, ideò Indulgentia per genus magis propinquum convenientius diffinitur.

3. Alii igitur dixerunt, quod indulgentia sit solutio pura, per quam Papa de Thesauro Ecclesiæ Dei Justitiæ solvit æquivalens, vel pro parte, vel pro toto pœnæ temporalis debitæ à peccatore. Hujus sententiæ fuit Durand. *in 4.dist. 20. quæst. 3.* ubi *num. 6.* ait, quod Indulgentiæ non sunt aliud, quàm communicatio pœnæ Christi, & Sanctorum, quæ fit nobis ad satisfaciendum pro peccatis nostris. Et in eumdem sensum Sylv. *verb. Indulg. num.3.* dixit, Indulgentia est donatio alicujus sumpti de Thesauro Ecclesiæ facta Peccatori, ut inde satisfaciat Deo pœnarum creditori. Tabien. etiam *num.1.* voluit, quod sit remissio pœnæ quantum ad recipientem, sed donatio quantum ad dantem. Citantur etiam à Suarez ubi supra *num.3.* D. Anton. *part.1. tit.*10. *cap.* 3. & Palud. 4. *d.*20. *quæst.* 4. sed hoc apud illos non invenio: & nec pro eadem sententia referuntur à Cardinali de Lugo *de Pœnit. disp.21. num.4.* Fundamentum tamen sumit sententia ista à Div. Thom. *4. dist. 20. quæst.1. ad 3. quæst. prima ad 2.* ubi habet *quod qui indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter loquendo à debito pœna, sed datur sibi unde debitum solvat.*

4. Secunda sententia vult, quod Indulgentia sit absolutio, & tertia sententia, quod sit absolutio simul, & solutio. Ita has sententias refert Cardinalis de Lugo *d. disput. 27. num. 4.* ubi pro secunda sententia refert Cajet. & Sotum locis infra citandis, & pro tertia Bellarminum, & Suarez, & eodem modo has sententias refert Lander. *de Pœnit. tract. 5. disput. 14. quæst. 5.* Verum nec Cajet. & Sotus senserunt, quod Indulgentia sit pura absolutio liberalis sed innixa solutioni, & justitiæ. Nec Bellarm. aut Suarez voluerunt, quod Indulgentia simul ex æquo, & in recto sit absolutio, & solutio, sed benè quod sit absolutio, & remissio pœnæ innixa solutioni, ut est ex eorum verbis manifestissimum.

5. Ideo communis, & verissima sententia est, quod Indulgentia est actus Clavium, seu Jurisdictionis spiritualis, qui est absolutio, seu remissio pœnæ temporalis in foro Dei debitæ pro culpis dimissis, quæ ab habente ad id facultatem extra confessionem Sacramentalem soluta æquivalenti satisfactione de Thesauro Ecclesiæ fit ex rationali causa in ea quantitate, quam concedens in forma concessionis expressit. Quamvis vero expressa in hac diffinitione non omnes eodem modo intelligant, ut ex infra dicendis apparebit, tamen in his terminis generalibus conveniunt, & præcipuè quod Indulgentia sit absolutio, seu remissio pœnæ temporalis facta media solutione ex Thesauro, sensit D. Thom. loco supra citato. Non enim negat, quod Indulgentia sit absolutio, sed solum negat, quod Indulgentia sit absolutio pura, & simpliciter, & non innixa solutioni, & utrumque Indulgentia importat, sed cum discrimine, quia in recto est remissio, sed connotat donationem, & solutionem factam de thesauro; Sic enim Pontifex concedens Indulgentiam per prius de thesauro Ecclesiæ donat quantum sufficit ad satisfaciendum divinæ Justitiæ, deinde illud donatum solvit Deo, & sic ex ex auctoritate solvendi, quam habet, absolvit subditum suum, & remittit ei pœnam Deo debitam juxta quantitatem solutionis de thesauro Ecclesiæ, quam fecit, ut late declarat ibidem D. Thom. *ubi supra quæst.2. in cor.* & ita quod Indulgentia hoc modo sit remissio pœnæ temporalis Deo debitæ habetur *ex cap. quod autem de pœnit. & remiss.* & ex Extravag. *Unigenitus eodem titulo.* & ex Clement. *unic. de reliq. & vener. Sanctorum eodem. titulo*, & ex usu Pontificum in eorum literis vocantium Indulgentias *Peccatorum remissiones*, aut *pænitentiarum injunctarum relaxationes*, ut per se est manifestum. Et ita docuerunt Albertus Magnus *in 4. d.20. art.16.* Div. Bonaventur. ibidem *par.2. art. 1. quæst.2.* Innocentius Quintus *q. 3. art.* 1. Riccardus *art. 1. quæst.1.* Caiet. *par.1. opusc. tract.15. cap.1. & 6.* Ang. *verbo indulgentia num.* 1. Armilla *num.1.* Sotus *in 4. d. 21. quæst. 1. art. 2.* Bellarm. *lib.1. de indulg. cap.5.* Sylvius *q. 25. supplem. artic. 1.* Epitome Candidi v. *Indulgentia num. 1.* Card. de Lugo *disput.27. de pœnit. num.4.* Suarez *tom. 4. de pœnit. disput.49. sect.4.* Palaus *tract. 24. par. 2. num. 2.* Cordub. *de indulg. quæst.1.* Bonac. *de pœnit. disp. 6. quæst. 1. par.1.* Barbosa *in pastorali alleg.88. num.* 1. & alii Theologi communiter, & ex Canonistis Turrecremata *§. item in Levitico de pœnit. dist. 2. art.* 1. Ludovic. Bologn. *tract. de indulg. num. 2. & 3.* & apud eum Nicolaus Guiditionus Nicoceren. Epis. Felin. *de indulg. num. 5. & 9.* Navarr. *de Iubileo not. 20.*

6. Probatur autem primo, quia actus solvendi, qui sit actus clavium, & jurisdictionis spiritualis in solos subditos, si est solutio à vinculo est vere absolutio, & judicialis remissio, seu auctoritativa relaxatio, at vero Indulgentia est actus clavium, quæ est in Ecclesia ex eo quod Christus Matt. 16. dixit Petro *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cœlis* ut habetur ex Extravag. *Unigenitus de pœnit. & remiss.* & est

actus

actus talis, qui non potest exerceri, nisi in subditos *cap. quod autem eodem titulo*. Indulgentia igitur est vera absolutio, & judicialis remissio, seu auctoritativa relaxatio pœnæ temporalis Deo debitæ.

7. Et per hoc distinguitur Indulgentia à Suffragio, quod ab uno fit pro alio vivo, aut defuncto, dum unus pro alio orat, jejunat &c. offerendo hujusmodi Deo in satisfactionem pœnæ ab alio debitæ. Quia hujusmodi suffragium non est nisi quædam deprecatio, seu privata compensatio oblata Deo, qui recipiendo illam compensationem, pœnam remittit. Sed Indulgentia est judicialis, & auctoritativa remissio, & relaxatio pœnæ debitæ, & actus Judicis, ut Judicis, qui non potest exerceri nisi in subditos, ut tradit Alex. III. *in d. c. Quod autem de pœnit. & remiss.*

8. Neque tamen dicitur, quod Indulgentia sit absolutio data servata forma juris per modum sententiæ diffinitivæ inter partes, qualis in foro interno est absolutio Sacramentalis, sed asseritur, quod Indulgentia est remissio pœnæ facta immediate à concedente illam virtute jurisdictionis sibi concessæ, vel immediate à Christo, vel à Summo Pontifice. Quæ absolutio dici potest quædam sententia interloquutoria, quam Pontifex fert sine strepitu, & figura judicii contentiosi, ut verus Judex, simul de thesauro Ecclesiæ applicando tantum quantum opus est; ut remissio pœnæ, simul sit actus justitiæ, & satisfiat debito Divinæ Justitiæ.

9. Sic igitur habito genere Indulgentiæ, quia scilicet Indulgentia est remissio, de facili aliæ particulæ diffinitionis pro nunc explicantur, servata uberiori declaratione inferius. Quia enim Indulgentia non dimittit culpam, sed eam supponit dimissam, cum culpa vero simul dimittitur pœna æterna, & saltem aliquid pœnæ temporalis, ideo non dicitur, quod Indulgentia sit remissio culpæ, aut pœnæ æternæ, sed pœnæ temporalis. Et quia Indulgentia non ad forum externum contentiosum, sed ad forum pœnitentiale pertinet, ideo non est pænarum externi fori relaxatio, sed est absolutio à pœnis in foro pœnitentiali, & Dei debitis. Imo licet dentur in foro Dei pœnæ aliquæ extraordinariæ ex divina providentia statutæ, quarum aliquæ etiam aliquando irremissibiles sunt, qualis pœna fuit mors Filii Davidis primi ex Bersabea. Indulgentia ab hujusmodi pœnis non liberat, sed ab illis, quæ de lege Dei ordinaria debentur pro peccatis. Et quia etiam in foro pœnitentiæ aliquæ imponuntur, quæ medicina sunt, & ut medicina imponuntur; Ab his non liberat Indulgentia, ad valorem vero Indulgentiæ necessaria est in concedente facultas, & ex communi statu requiritur ad minus ad licitam concessionem justa causa, ideo hoc fuit in diffinitione expressum. Ut vero intelligatur, quod Indulgentia distinguitur à remissione pœnæ extra Sacramentum facta. Et ut manifestum sit, quod Indulgentia non est pura, & mere liberalis remissio pœnæ, adjunctum est, quod fit solvendo æquivalens de Thesauro Ecclesiæ. Et cum Indulgentia sit remissio aliquando totalis pœnæ, & aliquando partialis, dictum est per eam remitti pœnam in ea quantitate, quam concedens exprimit in forma concessionis.

10. Videri autem alicui posset, quod si remissio sumatur passivè pro effectu Indulgentiæ, quod dari posset diffinitio univocè communis Indulgentiæ pro vivis, & defunctis. Sed prætermisso, quod remissio hic debet sumi activè, prout est actus Judicis, & jurisdictionis, seu prout est actio concedentis effectum illum, qui est passiva remissio pœnæ. Additur quod nihilominus non daretur diffinitio univocè communis, quia idem effectus non est, eodem, & univoco modo productus. Quia in Indulgentia pro vivis remissio hæc passiva causatur immediatè à Concedente, ut à Ministro Christi, & à Judice absolvente, & vi clavium pœnam remittente. Sed in Indulgentia pro defunctis pœnæ passiva condonatio causatur immediatè à Deo, Pontifice, seu alio Prælato nomine Ecclesiæ supplicante, & reddente æquivalens de Thesauro, & suffragante.

11. Navarrus verò de Jubileo not. 20. num. 12. alternativam dedit diffinitionem, dicens Indulgentiam esse absolutionem, vel compensationem. Sed hic modus diffiniendi non est scientificus. Nam, & hoc modo quælibet æquivoca diffiniri possent.

QUÆSTIO II.

De Thesauro meritorum Christi, & Sanctorum.

SUMMARIUM.

12 *Aliquorum sententia.*
13 *Datur in Ecclesia thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum.*
14 *Constat hic thesaurus ex meritis Christi.*
15 *Et ex satisfactionibus Sanctorum.*
16 *Thesaurus iste fuit ab initio Ecclesiæ, licèt in solo novo Testamento sit prima potestas illum dispensandi.*
17 *Est indefectibilis.*
18 *In hoc thesauro non sunt mortificata merita damnatorum.*
19 *Licèt thesaurus meritorum Christi sit infinitus, rationabiliter in thesauro conduntur merita Sanctorum.*
20 *Thesaurus iste est communicabilis per indulgentias.*
21 *Et hoc est de intentione Christi, & Sanctorum.*
22 *Thesaurus iste est in Dei acceptatione.*
23 *Plures Thesauros aliqui ponunt.*
24 *Idem videtur ex aliorum dicto.*
25 *Unus est generalis thesaurus.*
26 *Meritum Christi infinitum.*
27 *Indulgentiæ non innituntur merito formaliter.*
28 *Satisfactiones Sanctorum superabundant.*
29 *Intentio justorum non est necessaria ad valorem Indulgentiarum.*

12. NOn dari in Ecclesia thesaurum istum, ex eo, quia nedum Sanctorum, sed etiam Christi merita plenè, & completè remunerata fuerunt, cum dicat Paulus *ad Philip. 2.* quod Christus *humiliavit semetipsum &c. Propter quod Deus exaltavit illum &c.* & sic nihil meritorum Christi superabundet, quod in thesauro Ecclesiæ recondi possit, voluit Franciscus de Maironis *in 4. distinct. 19. quæst. 2.* Durandus

dus verò *in 4. dist. 20. quæst. 3. num.* 7. admittens thesaurum meritorum Christi, negat in eo conservati merita Sanctorum, quod duplici probat ratione. Primo quia nullibi legitur, quod intentio Sanctorum fuerit in nos transferre merita suarum passionum, & bonorum operum; ad hoc verò ut unus suffragetur alteri necessaria est illius intentio. Secundo quia merita Sanctorum vel jam remunerata sunt, vel plenè remunerabuntur reassumpto corpore; nihil igitur ex illis superabundat, quod repositum in thesauro Ecclesiæ possit deservire ad hoc, ut per concessionem Indulgentiarum applicetur pro satisfactione pœnarum, quæ nobis debentur.

13. Sed quidquid isti DD. tenuerint certum est dari in Ecclesia superabundantem cumulum meritorum Christi, & Sanctorum, qui est Ecclesiæ thesaurus, cuius dispensatio ab eodem Christo Domino nostro concessa fuit Petro Apostolo ejus Vicario, & successoribus ejus. Hoc primo docuerunt antiqua illa lumina Theologiæ, & Ecclesiæ sydera Alexander de Aless. *par. 4. Sum. quæst. 25.* Albertus *in 4. dist.* 20. *artic. 16.* Et eorum Sanctissimi, & doctissimi Discipuli, sed Ecclesiæ magistri D. Thomas *dist. 20. quæst. 1. artic. 1. quæst. 1.* & Div. Bonav. *ead. dist. par. 2. artic. 1. quæst. 2.* Quorum doctrinam Ecclesia ipsa approbavit, & confirmavit per Clem. VI. *in extravag. Unigenitus de pœnit. & remiss.* Et ità hunc eumdem thesaurum agnoverunt communiter Catholici DD. Riccardus 4. *dist.* 20. *artic. 3. quæst. 1.* Paludanus *eadem dist. quæst. 4. num. 1.* Innocentius V. *eadem dist. quæst. 3. artic. 1.* Sotus *distinct. 21. quæst. 1. artic. 2.* Div. Anton. *par. 1. tract. 10. cap. 3.* Cajetanus *part. 1. opus tract. 8. cap. 3. & tract. 15. cap. 1. 2. & 3. & tract. 16. cap. 1.* Sylvester *verbo Indulgentia num. 4.* Tabien. *num. 14.* Armilla *num. 8.* Corduba *quæst. 2. & 3. de Indulgent.* Petrus Sotus *lect. 2. de Indulgent.* Roffens. *artic. 17. contra Lutherum.* Suarez *tom. 4. de pœnit. disput. 51. sess. 1.* Cardinalis de Lugo *disput. 27. de pœnit. num. 34. & 35.* Sylv. *in 3. par.* Div. Thom. *quæst. 25. supplem. art. 1. dub. 2. ad 6.* Epitome Candid. *disquisit. 52. artic.* 1. Palaus *tract. 24. punct. 2.* & reliqui Theologi omnes. Et ex Canonistis Cardinalis Turrecremata *§. item in Levitico de pœnit. dist. 1. artic. 2. num. 15.* Ludovicus Bologninus *de Indulgent. num. 87. & 88.* Felin. *de Indulgen. num. 3.* Navarr. *de Iubileo notab. num.* 13. Glossa *in extravag. antiquorum in verbo confitebuntur de pœnitent. & remiss.* Panormit. *in capit. quod autem num. 8. eodem tit.* & cæteri DD. Unde assertionem hanc videri de fide certam, vel saltem oppositum à DD. censeri erroneum dixit Suarez *d. disput. 51. sect. 1. num. 2.* sed absolutè esse de fide veram dicunt Cardin. de Lugo *disput. 27. de pœnit. num. 3.* Palaus *tract. 24. par. 2. num. 4.* Et ita nunc dicendum est.

14. Primùm verò, & præcipuum fundamentum hujus thesauri est unio hypostatica Verbi Divini ad humanam naturam, quæ quidem ad hunc finem facta fuit ut Verbum factum caro lapsum hominem redimeret, & Deo Patri pro eo ex perfecta justitia satisfaceret. Ex ipso igitur redemptionis fine per certam consequentiam sequitur, quod meritum, & valor satisfactionis Christi à Deo Ecclesiæ donata fuerunt, & sic quod thesaurus ex operibus Christi meritoriis, & satisfactoriis resultans, non tam Christo, quam hominibus acquisitus fuerit, quibus Christus semper futurus erat Justitia, sanctificatio, & redemptio; Voluit enim pius Pater suis filiis thesaurizare, ut ipse sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti, ut Clemens VI. adnotavit in dicta *Extravag. Unigenitus.*

15. Certum quoque est, Ecclesiæ thesaurum hoc constare ex meritis, seu satisfactionibus justorum, qui fuerunt ab initio mundi, sic etiam definitum habemus à Clemente VI. in dicta *Extravag. Unigenitus,* & à Leone X. *in Bulla* 40. *contra Lutherum §. 2. sub num. 17.* Et in decreto ejusdem Leonis X. misso ad Cajetanum, quod ipse refert *3. par. quæst.* 48. *artic. 6.* & id tradidit D. Thom. *4. distinct. 20. quæst. 1. artic. 3.* & DD. omnes supra citati. Etenim negari non potest, quod in Sanctis quamplura fuerunt opera pœnalia, & passiones virtuosè, & voluntariè propter Deum susceptæ, quæ passiones, & opera cùm habuerint maximùm valorem, & efficaciam ad satisfaciendum, nihilominùs, nullum habuerunt effectum, & superabundarunt. Sic enim in veteri Testamento verisimile est, Innocentem Abel post Sanctissima opera injustam mortem sustinendo ultra suorum peccatorum debitum satisfecisse. De se ipso autem dicebat Job. *capit. 6. Utinam appenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret.* In novo autem Testamento Beatissima Virgo Dei mater, quæ nunquam peccavit, & nihilominus quamplurima passa fuit, & cujus Animam gladius pertransivit, pro se ipsa non satisfecit, cùm nullum debitum contraxerit; Ex aliis etiam justis, qui vel nunquam peccaverunt mortaliter, sicut Jo: Baptista, vel si aliquando peccaverunt, nihilominus post peccatum per quamplures annos innocenter vivendo in magna vitæ asperitate vixerunt, proculdubio ultrà debitum divinæ Justitiæ satisfecerunt. Et sic ex illorum operibus quamplura remanserunt, quæ in illis effectum satisfaciendi non habuerunt. Martyres præcipuè, qui pro sibi debitis pœnis sustinendo mortem sufficienter satisfecisse, & nihilominus præter mortem tot, & tanta passi sunt tormenta atrocissima, manifestum est, quod in satisfactionibus superabundarunt. Sed prætereà, quia unius satisfactio non prodest alteri determinatè, nisi ex determinata intentione operantis; non est verò dicendum Sanctos omnia illorum opera satisfactoria determinatè applicasse ad satisfaciendum pro hoc, vel illo; sæpè igitur Sancti habuerunt satisfactiones, quæ neque in se ipsis, quia illis non indigebant, neque in aliis, quia pro illis non fuerunt applicatæ, habuerunt effectum. Præterquàm quod etiam satisfactiones applicatæ in particulari sæpissimè effectum non sortiuntur; quia illi, pro quibus fiunt, vel non indigent, vel sunt incapaces. Ex superabundantibus ergò satisfactionibus Sanctorum ditatur Ecclesiæ thesaurus. Thesaurus igitur hujusmodi constans ex Sanctorum satisfactionibus fuit etiam in lege veteri, & ab initio mundi incæpit; Quamvis ànte Christum non fuerit apud homines potestas dispensandi hunc thesaurum. Arbitrantur autem Compend. Candid *disquis. 52. art. 2. num. 13.* & Faustus *lib. 2. quæst.* 10. Henriquez *lib. 4. cap. 15. num. 4. & cap. 2. num. 3.* apud Leandrum loco citando, quod in hoc thesauro recondita sunt etiam merita, seù satisfactiones damnatorum, quæ reconditæ fuerunt tunc cùm illi in gratia existentes bona opera satisfactoria habuerunt, & nec pro se, nec pro aliis tunc satisfecerunt, in thesauro reposita fuerunt. Sed alii merito hoc negant. Valor enim

talium

talium operum per subsequens mortale peccatum mortificatur, & inutilis redditur, ita de Lugo *disput.* 27. *num.* 47. Leander *de pœnit. tract.* 5. *disp.* 14. *quæst.* 10.

16. Hunc igitur Thesaurum, in quo sunt merita Christi, & Sanctorum, esse infinitum, & indefectilem, seu inexauribilem indubitatum est, quia opera Christi Domini in valore meriti, & satisfactionis infinita sunt. Hæc enim sunt abundantes illæ divinæ gratiæ, quas Deus in bonitate super nos ostendit in Christo Jesu, de quibus loquitur Paulus *ad Ephes.* 2. quas statim *cap.* 3. *in investigabiles* appellat, & *dispensationem Sacramenti à Seculis in Deo*. Cum ergo thesaurus dicatur esse cumulus, in quo res prætiosimæ custoditæ sunt, merito cumulus meritorum Christi, & Sanctorum dicitur thesaurus, & quidem infinitarum divitiarum, qui exhauriri non potest.

17. Quamvis verò hic Ecclesiæ thesaurus, ut est cumulus meritorum Christi, sit infinitus, & se solo sufficiens, ad hoc ut Ecclesia illum dispensando, Indulgentias concedat infinito tempore, & pro infinitis hominibus, & debitis, seu pœnarum reatibus: unde est, quod Sanctorum satisfactiones non sunt simpliciter necessariæ ad hunc effectum: tamen fuit conveniens ut etiam illæ in Ecclesiæ thesauro reconderentur, & nobis applicarentur. Tum quia hoc redundat in honorem Sanctorum, & Christi, qui suis Sanctis tantam virtutem contulit: Tum quia non fuit conveniens, quod tot, ac tantæ pœnalitates Sanctorum perpetuo manerent sine fructu, cum illum possint habere juxta dispensationem divinæ sapientiæ; Tum quia non per hoc dicitur quod cumulus meritorum Sanctorum thesaurum infinitum satisfactionis Christi augeat intensivè, sed extensivè addit, imò nec addit, quia satisfactiones Sanctorum in ratione valoris Christi sunt, ex cujus gratia habuerunt virtutem, & valorem meriti, & satisfactionis, & sic ad hunc thesaurum non pertinent, nisi quia sicut aliquid Christi, qui sic, & in se ipso, & in Sanctis suis est gloriosus in sæcula. Et qui solus nos redemit, quia solus dedit prætium nostræ redemptionis, & meruit gratiam, propter quam opera Sanctorum habent virtutem satisfaciendi, & pro se ipsis, & aliquo modo pro aliis.

18. Hunc autem thesaurum esse de se communicabilem, & dispensabilem pariter certum est. Multis quidem modis thesaurus iste meritorum Christi nobis communicatur, nimirum per Sacramenta, per sacrificium Missæ, per ea, quæ ob Christi meritum à Deo postulamus, & obtinemus, sed quod thesaurus iste sit communicabilis per Indulgentias ex eo habetur, quod unus pro alio satisfacere potest nedum hominibus, sed Deo, quod optimè expressit Cathechismus Pii Quinti in fine materiæ *de pœnit. numer.* 61. *In eo*, inquit, *summa Dei bonitas, & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit*, ut *unus possit pro alio satisfacere*. Explicans vero modum hujus satisfactionis subdit infra. *Qui divina gratia praditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere, quare fit, ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur.* Et subdit. *Nec verò de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo Sanctorum communionem profitemur.* Propterea hic est totius Ecclesiæ sensus, & hoc Catholici DD. cum D. Thom. 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *artic.* 2. *quæst.* 5. *& distinct.* 45. *quæst.* 2. *art.* 1. *&* 3. *cap.* 9. *cap.* 138. tradiderunt, quod unus pro alio debitum Deo solvere possit. Deus enim hoc instituit, qui & misit Filium suum, ut pro aliis satisfaceret, relinquens ex hoc aliis justis exemplum hujus singularis charitatis, & misericordiæ, ut scilicet & ipsi alios adjuvarent, & sua bona communicando, pro posse aliorum debita solverent. D. Bonav. 4. *dist.* 20. *art.* 1. *q.* 1. *&* 2. Durand. *quæst.* 2. Paludanus *quæst.* 1. Rich. *artic.* 1. *quæst.* 3. D. Antonin. *part.* 1. *tract.* 10. *cap* 3. §. 1. Sylvest. *verbo Indulgentia num.* 4. Tabien. *num.* 14. Armill. *n.* 7. Sotus *distinct.* 19. *quæst. prima art.* 4. & *lib.* 3. *de natur. & grat. cap.* 6. Turrecremata §. *Item in Levitico num.* 16. *de Pænit. dist.* 1. Navarr. *com. de Indulg. not.* 13. Bellarmin. *de Indulgent. cap.* 3. *Valent. tom.* 4. *disput.* 7. *q.* 20. *part.* 1. in medio Suarez *disput.* 49. *sect.* 1. & *disp.* 51. *sect.* 1. Cardin. de Lugo *disput.* 27. *de pænit. num.* 36. *& seqq.* Palaus *tract.* 24. *part.* 2. *num.* 4. Sylvester *in* 3. *part.* Div. Thom. *quæst.* 25. *supplem. art.* 1. *dub.* 2. Ludovicus Bologn. *de Indulg. num.* 87. & omnes qui tractant de suffragiis.

19. Cùm verò ad hoc, ut aliquis pro alio satisfaciat, necesse sit, quod ille ex intentione sua propriam satisfactionem pro alio applicet non est dubitandum justos homines hanc intentionem, vel formaliter, vel virtualiter habere ex vi charitatis, communionem bonorum inter fideles requirentis; sic igitur primò ex quo istis per opera sua intendunt prodesse Ecclesiæ, jam ex hoc ipsi spontè bona sua donant eidem Ecclesiæ, ut ea in thesauro suo condat, convenienti modo, & tempore dispensanda. Tum secundo quia lex gratiæ connaturalis hoc petit, quod ex quo omnes justi sunt unum in charitate, & constituunt unum corpus, bona quoque singulorum sint communia, & quod satisfactionum superabundantium, quæ in justis non habuerunt effectum, neque in alio ex speciali Justorum intentione, & applicatione Ecclesia ipsa sit veluti hæres, & ad ejus intentionem sint huic, vel illi applicanda. Tum tertio quia divinam bonitatem decet, ut nihil boni non remuneratum vel sine fructu sibi convenienti relinquat, igitur decet divinam bonitatem, vt satisfactiones justorum, quæ neque in illis, neque in aliis habuerunt effectum non remaneant inutiles, sed remaneant in thesauro Ecclesiæ, ad ejus voluntatem applicabiles huic, vel illi, ut in hoc, vel illo suum consequantur effectum.

20. Datur igitur in Ecclesia thesaurus constans ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum, qui ex sui conditione est communicabilis, ut ex illo debitis fidelium satisfieri possit. Nec est unde hæretici quærant locum ubi sit iste thesaurus, qui cum non sit materialis, sed moralis in divina acceptatione, & præsentia collocatus existit.

21. An verò detur in Ecclesia unus solus thesaurus aliqui negant, quidam plures ponunt. Nam Fabius Incarnatus *in Sacerdotali tract.* 5. 2. *part.* quem refert Leander *d. tract.* 14. *quæst.* 7. quatuor ponit thesauros, primum Christi, secundum ex meritis Beatæ Mariæ Virginis, tertium ex meritis Sancti Joannis Baptistæ, & Martyrum, & quartum ex meritis

meritis Sanctorum Confessorum, Virginum, & Electorum. Sed hæc distinctio partialis est, & materialis; & hoc modo innumeri distingui possent ratione meritorum, quæ in thesauro Ecclesiæ continentur, & modus loquendi malus est, unus est enim veluti locus, in quo merita hujusmodi continentur, qui est divina consideratio, & memoria; unus est cumulus meritorum, qui ex omnium Sanctorum, & Christi meritis resultat. Et ideò unius thesauri mentionem faciunt tam Pontifices Clem. VI. *in extravag. unigenitus de pœnitent. & remiss.* quam Leo *in Bulla* 40. *contra errores Lutheri*, & in decreto misso ad Cardinalem Cajetanum Legatum, quam Div. Thom. Alexand. Albert. Div. Bonav. & alii DD. supra citati.

22. Ex alia tamen parte videri posset, quod sint multi thesauri, scilicet quia unaquæque Diæcesis habeat thesaurum suum specialem, in quo contineantur merita Sanctorum cujuslibet Diæcesis. Hoc enim admittere videtur Barbosa *alleg.* 88. *num.* 5. Ex eo reddens rationem, cur Episcopi non possint, nisi certas, & finitas Indulgentias concedere, quia singularum Diæcesum thesaurus Indulgentiarius generali commixtus non ita locuples est fortassis, & ut inde plena possit remissio concedi. Posset etiam forsan quis imaginari, quod in Religiosorum Congregationibus adsit thesaurus quidam spiritualis aggregatus ex superabundantibus Religiosorum meritis, quia ut probatur infra q. 88. Prælati Regularium expediunt literas communicationis Bonorum spiritualium suarum Religionum pro familiaribus, & Amicis.

23. Sed hæc nullum habent fundamentum, & dicitur propterea, quod in Ecclesia unicus tantum est thesaurus generalis, in quo præterita merita, & satisfactiones Sanctorum adunantur, & cujus administratio, & dispensatio Pontifici summo competit, aut illis etiam, quos ipse in partem suæ sollicitudinis assumit. Licet enim propria actualia merita, & satisfactiones possit quilibet pro aliis applicare, dum actu operatur, sic enim potest, & pro alio orare, & mereri de congruo, & etiam satisfacere, ut tradit Div. Thom. 4. *distinct.* 20. *quæst.* 1. *artic.* 2. *quæst.* 3. & *artic.* 3. *quæst.* 1. & est communis, & Catholica doctrina; ubi tamen satisfactiones actu non fuerint applicatæ, ab aliquo vel pro se, vel pro alio, & sic transierunt sine effectu, & prætereierunt, tanquam bona communia, & veluti Jure hæreditatis transeunt in Ecclesiam, & in ejus thesauro reconduntur. Tum quia hæc communicatio, & reservatio fundata est in mistica Ecclesiæ unitate, ut dixit Div. Thom. 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 1. quia enim omnes sumus unius Corporis Ecclesiæ partes, & unius Civitatis Cives, bona quæ superabundant, & veluti sine Domino permanent, cum homo non sit Dominus præteritarum suarum actionum, Ecclesiæ cedunt, & sub ejus dominio acquiruntur. Tum secundo quia hoc petit charitatis unitas, per quam justi operando bona præcipuè Ecclesiæ publicam utilitatem intendunt; unde ex eorum intentione etiam est, quod eorum opera superabundautia ad Ecclesiam pertineant, & ei accrescant. Tum tertio quia distinctio Diæcesum, & Congregationum Religiosorum Juris positivi est, & longè posterior Jure connaturali, per quod Ecclesia fit Domina satisfactionum superabundantium suorum filiorum, & ipsas Diæceses distinguendo, non per hoc voluit multiplicari thesauros, sed sicut una est Ecclesia Dei sponsa, sic voluit, quod in ea omnes communionem haberent, & sub uno thesauro omnia Fidelium superabundantia merita tanquam bona communia continerentur. Tum quia præcipuæ divitiæ, quæ in hoc thesauro sunt repositæ, sunt merita Christi Domini, quæ non sunt propria alicujus Diæcesis, sed Ecclesiæ communia. Merita verò Sanctorum eo sunt merita, quo sunt aliquid Christi, quia scilicet formata per gratiam, quam nobis meruit Christus, ideò sunt veluti accessoria meritorum Christi, & ob ejus honorem, & gloriam majorem reservantur, in eo igitur unico thesauro reponi debent, in quo merita Christi continentur, quia etiam divitiæ Christi sunt, quas ille donavit. Unicus igitur omninò est thesaurus spiritualis Ecclesiæ, nec privatarum Diæcesum, aut Congregationum dantur privati thesauri, sic Durandus *in* 4. *dict.* 20. *quæst.* 20. *num.* 5. benè dixit, quod thesaurus Ecclesiæ, quem Christus sponsus ei divisit tanquam sponsæ, non est divisus in Ecclesia, ita ut in una particulari Ecclesia sit una pars illius thesauri, & in alia altera pars, sed est unus, & indivisus in tota Ecclesia, Idem sensit, & probavit Suarez *tom.* 4. *de pœnit. ubi supra*. Et quod in Religionibus non sint privati thesauri meritorum Religiosorum, in quo eorumdem præteritæ satisfactiones superabundantes contineantur, sed hæc in communi Ecclesiæ thesauro conserventur, docuerunt expressè. Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 33. *art.* 15. & Lezana *par.* 4. *verb. bona num.* 2. & 8. sed ut dicebatur paulò supra unitatem thesauri hujus communis in Ecclesia supponunt Pontifices, & DD. de thesauro in singulari semper loquentes, & illum communem in Ecclesia affirmantes.

24. Ad argumenta Mayronis, & Durandi respondetur. Et quidem ad argumentum Mayronis dicitur, quod fundatur super principio falsissimo, & contrario menti Summorum Pontificum locis citatis, & Statui Ecclesiæ, & graviorum DD. & fundato in infinita dignitate personæ Christi; falsum enim est, quod meritum Christi sive in ratione meriti, sive in ratione satisfactionis sit finitum, & ita finitum, ut sit plenè remuneratum. Et quidquid sit modo de illorum sententia, qui infinitatem meritorum Christi fundant in externa Dei acceptatione, quæ tamen infinitas etiam sufficeret ad ostendendum, quod thesaurus meritorum Christi est inexaustus, ita quod nec per Indulgentias posset exhauriri. Tamen Clemens VI. *in Extravag. unigenitus* infinitatem meriti Christi voluit esse intrinsecam, & fundatam in dignitate personæ Christi, ut adnotavit etiam Suarez *disput.* 51. *sect.* 1. *num.* 8. in fine. Et sic quod Christi meritum sit infinitum ex circumstantia personæ docuit Div. Thom. 2. *dist.* 19. *artic.* 8. *ad* 2. & 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. *artic.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. & *distinct.* 15. *quæst.* 1. *artic.* 2. *ad secundum. Et de Verit. quæst.* 29. *artic.* 3. *ad quartum*, & *octavum*, & *artic.* 5. *ad quartum* & *Quod.* 3. *artic.* 3. *ad tertium*. Et est communior Theologorum sententia.

25. Ad primum argumentum Durandi responderi forsan posset ab aliquibus, quod merita Sanctorum de condigno remunerata sunt in eorum personis, sed remanent in ratione meriti congrui, multa enim impetrantur propter justorum merita. Sed licet hæc responsio contineat veram doctrinam, non potest tamen applicari ad intentum. Nam [vt magis

etiam

etiam explicatur inferiùs] Indulgentiæ non innituntur operibus Sanctorum, & eorum meritis formaliter vt merita sunt, quia meritum congrui innititur misericordiæ Dei exaudientis, sed indulgentiæ innituntur veræ Iustitiæ, vt optimè explicat Diu. Thom. *4. dist. 20. q. 1. art. 3. q. 2.* Qui enim consequitur Indulgentiam obtinet remissionem pœnæ, quia divinæ Justitiæ solvitur æquivalens. Quod etiam satis expressit Leo X. in decreto misso ad Cardinalem Cajetanum, in quo continetur, Pontificem concedere indulgentiam ad remittendas temporales pœnas *ex superabundantia meritorum Christi & Sanctorum*. Illa enim causalis *ex* propriè indicat prætium solutionis. Quod magis exprimitur ex eo quod subditur, ibi, *thesaurum meritorum Christi, & Sanctorum dispensare*. Dispensare enim merita alicujus non est per aliquid impetrare, sed ea erogare ad aliquid solvendum.

26. Respondetur igitur ex Petro de Palude *4. dist. 20. q. 4.* D. Anton. *part. 1. tract. 10. cap. 3. §. 2.* Turrecremata §. *Item in Levitico de pœnit. dist. 1. art. 2. num. 16.* quos sequuntur communiter alij Theologi, quod licèt opera bona justorum, & eorum merita formaliter in ratione meriti de condigno non egrediantur personam illorum, in ratione tamen satisfactionis formaliter superabundant respectu eorum, qui vel non peccaverunt, vt Beatissima Mater Dei, vel eorum, qui plus passi sunt, quam debitum peccatorum illorum exigeret; & hujusmodi satisfactiones superabundantes illæ, sunt, quæ in thesauro reconditæ serviunt, vt Pontifex concedens Indulgentias etiam ex eis applicet quod opus est, vt divinæ Justitiæ solvatur, quod fideles debent, & sic à pœnis temporalibus liberentur. Qua doctrina contra fictum Suavem usus est etiam Eminentissimus Cardinalis Pallavicinus *in Histor. Concil. Trident. lib. 2. cap. 5. mihi n. 11.*

27. Ad secundum respondetur ex Diu. Thom. *4. distin. 20. quæst. 1. art. 3. q. 2. c.* quod ex quo iusti omnes operantur propter Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem, salvatur eorum intentio, dum Ecclesia eorum merita superabundantia ad utilitatem fidelium applicat, quamvis etiam, ut advertit Cardin. de Lugo *disput. 27. num. 36.* hujusmodi intentio non sit necessaria, quia justi non sunt Domini suarum actionum pòstquam illæ præterierunt, & non ex eorum præcisa voluntate, sed etiam dato quod id nolent, eorum opera in thesauro Ecclesiæ reponerentur, sed sufficit, quod Christus instituerit, & dederit Petro, & ejus successoribus potestatem dispensandi similes superabundantes satisfactiones ad utilitatem fidelium.

(?)

QUÆSTIO III.

Utrum in Ecclesia sit potestas concedendi fidelibus Peccatorum Indulgentias.

SUMMARIUM.

29 *Sensus quæstionis.*
30 *Hæretici hanc negant.*
31 *Eorum fundamentá.*
32 *De fide est potestatem indulgentiarum esse in Ecclesia.*
33 *Non deducitur ex Matt. 18. Quodcumque Solveritis &c.*
34 *Colligitur ex illis verbis Matt. 16. Quodcumque solveris &c.*
35 *Et ex usu Ecclesiæ; qui tamen usus non probatur ex 1. ad Cor. 2.*
36 *Usus indulgentiarum antiquissimus.*
37 *Ratio redditur cur in principio Ecclesiæ non habeatur mentio Indulgentiarum.*
38 *Usus Indulgentiarum traditione, & approbatione Ecclesiæ confirmatus.*
39 *Petro collata fuit potestas solvendi impedimenta Cœli.*
40 *Potestas indulgentiarum antiquissima.*

29. INdulgentiam esse absolutionem, & remissionem pœnæ temporalis debitæ à peccatore ex lege Divinæ Justitiæ in foro Dei, & quidem extra Sacramentum, & Sacrificium, & sine propria satisfactione ejus, cui pœna remittitur, & sine aliquo suffragio speciali aliorum fidelium jam ostensum est quæstione prima. Hic igitur quæritur, An in Ecclesia sit potestas hæc Indulgentiarum concedendi.

30. Fuit verò antiqua hæresis negans esse hanc potestatem in Ecclesia, sic enim voluerunt Valdenses, quos sequuti sunt Joannes Vvicleph, & Jo: Hus, & Hieronymus de Praga, ut constat ex Concilio Constant. *sess. 8. 15. & 19.* Sed præcipuè hanc veritatem negavit Lutherus.

31. Ratio autem horum est, quia neque ex aliquo loco scripturæ, neque ex antiquo Ecclesiæ vsu colligitur dari hanc potestatem, quæ etiam non est necessaria, cum in Ecclesia non desint alii modi remittendi has pœnas per usum Sacramentorum, & sacrificium Missæ, & Suffragia Fidelium. Id enim, quod habetur ex Evangel. Joann. 20. scilicet: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, intelligitur de remissione per Sacramenta, & testimonium Christi Matth. 16. & 18. *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata, & in Cœlo &c.* intelligitur de potestate ligandi per leges, & censuras, & pœnas, & solvendi per dispensationem in legibus, & absolvendi à Censuris & pœnis Ecclesiasticis in Ecclesiæ foro. Nam secundo arguitur, quia considerandum est, quod potestas solvendi ligamen ab Ecclesia impositum, sic enim Prælati, quos ligarunt, solvere possunt. Nullus vero Prælatorum potest ligare, & imponere pœnas immediatè in foro Dei, sed pœnas hujusmodi imponit lex divina, & Deus ipse taxat, non ergo infertur ex potestate solvendi Ecclesiæ concessa potestas remittendi pœnas ex Dei justitia in Dei foro peccatoribus taxatas, & in Purgato-

gatorio solvendas, si non fuerit divinæ justitiæ satisfactum in hac vita. Quantum verò ad Ecclesiæ usum legimus quidem Prælatos remisisse pœnas temporales Ecclesiasticas, & ab eisdem Prælatis impositas, quod spectat ad Jurisdictionem externi fori, sed ante Sanctum Gregorium non legimus, quod remiserint pœnas per Indulgentias, & in foro Dei.

32. Dicendum nihilominus est dari in Ecclesia potestatem Indulgentiarum, quæ est potestas remittendi pœnas temporales debitas in foro Dei etiam extra Sacramentum, & sacrificium. Assertio ista est de fide, & habetur definita in Concil. Tridentin. *sess. 21. cap. 9. & sess. 25. in Decreto de Indulgentiis*, & earum usus approbatus fuit in Concil. Vien. in Clem. *unic. de reliq. & vener. Sanct.* & in Constant. *sess.* 8. 15. *&* 41. & à Bonif. 8. *in extravag. antiquorum* & Clem. VI. *in extravag. Unigenitus* & Sixto IV. *in extravag. Quemadmodum*, & *extravag. & si Dominici Gregis de pœnit. & remiss.* & Leone X. *in Bulla contra Lutherum*, & in Decretali Missa ad Cardinalem Cajetanum Legatum, quam ipse refert *3 part. q.* 48. *art. 5.*

33. Hanc autem veritatem quidam colligere conantur ex illo Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram erunt ligata, & in Cœlo*, & *quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo*. Sed Suarez *de pœnit. disput. 49. num.* 10. & Roffens: hoc negant, & meritò. Christus enim illa verba dixit occasione ejus, quod præmiserat, docens ordinem correctionis fraternæ, & postea concludens, si *Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*. Unde ibi Christus loquitur de potestate externæ gubernationis. Et propterea Hier. *in Catena aurea D. Thom.* advertit quod *quia Dominus dixerat, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, & poterit contempti fratris hæc esse responsio, vel tacita cogitatio; Si me despicis, & ego te despicio: Si me condemnas, & tu mea sententia condemnaberis: potestatem tribuit Apostolis, ut sciant, quod qui talibus condemnatur, humanam sententiam divina sententia corroborari*. Et in eumdem sensum verba illa intelligit Div. Thom. *in Comment. super cap. Matth.* 18. De potestate ergo judiciaria ibi loquitur Christus, ut etiam explicat Cajet. Et licet universaliter dixerit, *quæcumque ligaveritis, aut solveritis*, & terminus *quæcumque* intelligi debeat universaliter sine limitatione, tamen illa universalitas restringitur ad subjectam materiam, quæ erat correctio delinquentis extra forum pœnitentiæ, & administratio potestatis in foro externo Ecclesiæ, & præcipuè ibi est sermo de potentia excommunicandi, & absolvendi ab excommunicatione.

34. Melius colligitur assertio ex Matth. *cap.* 16. *Et tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*; Hic enim Petro promissa fuit potestas ligandi, atque solvendi in ordine ad Regnum Cœlorum obtinendum, seu in ordine ad claudendum, vel aperiendum Regnum Cœlorum, absolutè, & simpliciter. Cum verò remittere pœnas in foro Dei debitas per concessionem Indulgentiarum sit quoddam aperire Cœlorum Regnum, quia est tollere id, quod impedit ingressum in Cœlum, & bene sequitur, quod Petro tunc fuerit promissa, & postea Joan. 20. illi concessa Indulgentiarum potestas, quando fuit constitutus Pastor fidelium, ut Christi oves ad caulas Paradisi perduceret. Sic igitur idem fuit dicere, *Tibi dabo claves regni cœlorum &c. & quodcumque solveris erit solutum*, ac dicere quodcumque impedimentum Regni Cœlorum abstuleris, erit ablatum. Nec obstat, quod S. Antoninus *part.* 1. *tit.* 10. *cap.* 1. dixerit non haberi expressum in scriptura, vel in aliquo ex antiquis Patribus, quod hujusmodi potestas sit in Ecclesia, quia licet hoc in scriptura non habeatur formaliter expressum, ex ea tamen colligitur ut est explicatum. Et hanc potestatem ex præfatis Christi verbis dictis Petro, collegerunt Innocentius V. 4. *dist.* 20. *q.* 3. *art.* 1. Et ex Chris. super Matt. Cardinalis Turrecrem. *§. Item in Levitico art.* 2. *de c. d.* 1. Caietan. *tom.* 1. *Opus. tract.* 8. *cap.* 1. *tract.* 16. *quæst.* 4. Suarez loco supra citato, Palaus *tract.* 24. *part.* 2. *num.* 6. Et est communis sensus DD. asserentium potestatem conferendi Indulgenrias esse potestatem clavium. Quod habet fundamentum in verbis Clem. VI. *in Extravag. unigenitus de pœnit. & remission.* ibi *Quorum uni scilicet Apostolorum Principi, sicut bono dispensatori claves Regni Cœlorum commisit.*

35. Probatur secundo assertio ex usu Ecclesiæ. Aliqui existimant, quod usus Indulgentiarum incœperit tempore Apostolorum, & dicunt Apostolum in 2. ad Cor. 2. concessisse Indulgentiam partis pœnæ incestuoso illi, quem prius severe punierat, & tradiderat Sathanæ. Sed difficile est probare quod ibi Apostolus remiserit pœnam illam per Indulgentiam, quia illa pœna data fuerat in foro externo, & ita illa remissio fuit externi fori. Sicut etiam tales fuerunt illæ, de quibus habetur mentio in Concilio Niceno *sess.* 11. Carthag. *can.* 75. Neocæsar. *cap.* 3. Agathensi *cap.* 6. Leodiceno *cap.* 1. *&* 2. Cœterum non legitur, quod pœnas in Sacramento pœnitentiæ injunctas, vel alias in foro Dei debitas extra Sacramentum remiserint, sicut fit per Indulgentias.

36. Nihilominus etiam verum est, quod non legitur oppositum & usum Indulgentiarum antiquum esse constat. Et S. Gregorium stationes Ecclesiarum Urbis instituisse, & septennem Indulgentiam concessisse dixerunt Div. Thom. 4. *distinct.* 20. *part.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 2. Alrisiod. *lib* 4. *tract.* 6. *cap.* 9. & alii, & Leonem III. plures Indulgentias concessisse refert S. Lugderus *in Epist.* quam refert Surius *tom.* 2. *die* 5. *Martii post vitam Sancti Suviberti cap.* 9. Sed & Romæ in Ecclesia S. Martini in Montibus extat memoria in marmore excisa literis antiquissimis Indulgentiæ illi Ecclesiæ concessæ à Sergio II. qui creatus fuit Pontifex Anno 448. Gregor. etiam VII. *in Epis. ad Epis. Britanniæ*, & in *Epis. ad fratres cujusdam Monasterii Iucusiliens.* Indulgentiam plenariam promittere, & concedere videtur. Eandem concessit postea Urbanus Secundus cum Concil. Claremontano in eorum favorem, qui Cruce in pectore signati ad Bellum pro recuperanda Terra Sancta proficiscerentur; quam postea confirmavit Clemens Tertius; Et rursus Innocentius Tertius in Concil. Lateranens. in decreto ultimo, cujus titulus est Expeditio *pro recuperanda Terra Sancta*. Qui in eodem Concilio *capit.* 3. eandem extendit ad Catholicos, qui Crucis assumpto charactere ad hæreticorum exterminium se accingerent, & habetur *in c. Excommunic. §. Cathol. de Hæret.*

Deni-

Denique ut habetur in pluribus textibus *tit. de pœnit. & remission.* quos supra recensuimus, Pontifices Indulgentias, & Jubileos concesserunt & constat hunc usum Indulgentiarum à tempore Alexandri III. per quingentos ferè Annos viguisse, & vigere. Unde cum usum hunc Ecclesia approbaverit, quæ in istis spectantibus ad mores errare non potest, & ita approbaverit, ut hæreticos judicaverit, & judicet eos, qui illum negant, & improbant, tanquam de fide certum habendum est illum esse legitimum. Unde etiam si daretur hæreticis hunc Indulgentiarum usum non esse antiquum, sed à temporibus Sancti Gregorii incepisse, non potest à viro Catholico reprehendi cum videat Ecclesiam totam illum recepisse, & approbasse. Et alias incredibile sit, quod si harum Indulgentiarum usus aliquod initium non habuisset ab Apostolis, Sanctus Gregorius vel alius Pontifex novitatem hujusmodi voluisset introducere, vel introduxisset, nisi speciali instinctu Spiritus Sancti ductus.

37. Et eo magis, quod non desunt rationes, ob quas in primitiva Ecclesia Indulgentiarum usus non fuerit frequens, ut multi advertunt; Tum quia multa sunt in Evangelio, & scriptura, nunc excussa luculentius, & intellecta perspicacius, quam fuerint olim. Tum quia tunc adeo charitas ardebat, ut unusquisque esset paratissimus pro Christo mori. Unde rara erant crimina, & ea, quæ contingebant, magna severitate ab Ecclesia vindicabantur. Unde deficiebat tunc illa necessitas promovendi in Ecclesia Dei gloriam, Sacramentorum frequentiam, devotionem Ecclesiarum, fidei unitatis Ecclesiæ protestationem, & alia similia per concessionem Indulgentiarum, quæ nunc est. Navarr. *not. 7. num. 5. & 6.* ex Rossen. *in art. 8. cont. Luth.*

38. Ad primum in oppositum dicitur, quod usus Indulgentiarum satis rationabiliter colligitur ex Matt. *cap. 16.* unde adjuncta Ecclesiæ traditione, & ejus communi intelligentia, acceptatione, & approbatione indubitatum esse debet, potestatem concedendi Indulgentias compræhendi sub illa potestate aperiendi Cœlorum regnum, quam Christus promisit Petro Matt. 16. & illi contulit Jo: 21. dicendo illi, *Pasce oves meas.*

39. Ad secundum dicitur non esse necesse, nec colligi ex verbis Christi, quod Petrus solum possit solvere, quod ipse ligaverit, Nam Clavigeri est nedum aperire portam à se clausam, sed etiam clausam ab aliis; Clavis enim virtutem aperiendi non habet dependenter ab eo, qui hostium clausit, sed aperire potest ostium à quocumque fuerit clausum. Petrus igitur constitutus Claviger Cœli, potest aperire Cœlum tolendo impedimenta pœnarum, quamvis ille non imposuerit illas. Sed dicitur secundo quod pœnæ, quæ in foro Dei debentur Peccatori, sic debentur ex lege divinæ Justitiæ, quod tamen subsunt Pontificis Jurisdictioni, quantum ad illarum determinationem, cum enim Peccator per plura opera possit satisfacere divinæ justitiæ, Pontificis est per se, vel per suos ministros determinare, quod hæc satisfactio fiat per hæc, vel per illa opera, & sic ejus est ligare obligando ad hanc, vel illam satisfactionem, ideo etiam ejus est solvere concedendo Peccatori, ut per alium satisfaciat, seu ut satisfactio aliorum illi prosit, quia ejus est determinare opera satisfactoria, per quæ fiat satisfactio.

40. Ad tertium jam dictum est, quod usus Indulgentiarum antiquus fuit in Ecclesia, quæ illum approbavit, & approbat. Et quatenus non fuisset antiquus, non est inconveniens, quod potestas sit antiquissima, & usus illius sit modernior. Nam cum Papæ auctoritas sit amplissima non fuit necesse, quod statim ab initio exerceret quemlibet actum suum, sed sufficit, quod id præstiterit in decursu temporum pro opportunitatibus occurrentibus, & occasionibus, sic fortasse ante S. Gregorium nunquam factum fuit, quod ministerium Sacramenti Confirmationis fuerit commissum simplici Sacerdoti, neque tamen fas est imaginari Sanctum Pontificem fecisse, quod non poterat facere, & illegitimam fuisse commissionem, de qua *in c. 1. 95. distinct.*

QUÆSTIO IV.

An potestas concedendi Indulgentias sit potestas Ordinis, vel potiùs Iurisdictionis.

SUMMARIUM.

41 *Potestatem Indulgentiarum esse Ordinis aliqui dixerunt.*
42 *Ecclesia habet potestatem remittendi pœnas extra Sacramentum.*
43 *Potestas Indulgentiarum non est potestas Ordinis.*
44 *Distinctio absolutionis Sacramentalis ab Indulgentia.*
45 *Potestas Indulgentiarum est jurisdictionis.*
46 *Potest remittere pœnam, qui non potest remittere culpam.*
47 *Indulgentia est misericordia innixa æquitati justitia, & ideo est actus Iudicis.*
48 *Iurisdictio voluntaria non habet locum in invitum.*
49 *Concedens Indulgentiam illius potest esse particeps.*
50 *Indulgentia concessa pro defunctis non est sine actu jurisdictionis.*
51 *Hac jurisdictio est voluntaria.*

41. HAnc potestatem necessario supponere potestatem Ordinis Sacerdotalis dixit Hostien. *cap. Accedentibus de excess. Prælat.* eam verò non esse propriè potestatem Jurisdictionis, sed potiùs dici posse paternam quamdam misericordiam voluit Durand. *4. distinct. 20. quæst. 3. & 5.* Primum probatur, quia non potest remittere pœnam debitam in foro interno, nisi potest remittere culpam. Probatur etiam secundum. Tum primo quia Indulgentia misericorditer conceditur, & inde Pontifices dicunt se misericorditer etiam concedere. Tum secundo quia jurisdictio est etiam in invitum, Indulgentia verò non conceditur invito. Tum tertio quia Pontifices uti possunt Indulgentia concessa, cum tamen non habeant Jurisdictionem in se ipsos. Tum quarto quia Indulgentia conceditur pro defunctis, in quos Pontifices non habent jurisdictionem.

42. Respondetur, & dicitur primò, Ecclesiam habere potestatem remittendi pœnas extra Sacramentum

mentum, dum in Sacramento culpa fuit remissa. Probatur, nam Ecclesia simpliciter habet potestatem remittendi peccata, tam quantum ad culpam, quam quantum ad pœnam, dictum enim est Petro Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram erit solutum, & in Cœlis*, igitur habet potestatem remittendi culpam juxta naturam suam, & pœnam juxtà naturam suam. Est autem conditio culpæ læthalis, ut non possit remitti nisi per gratiam, quam ministri Ecclesiæ non possunt conferre, nisi per Sacramentum, sed pœnæ remissio, supposita remissione culpæ, non requirit gratiæ infusionem, sed illam supponit, & sufficit, si de thesauro Ecclesiæ possit compensari, quod fieri potest extra Sacramentum. Igitur pœna extra Sacramentum remitti potest. Secundo, nam si remissio pęnæ fieri deberet in Sacramento, hoc esset, ut pœna taxaretur, sed cessat hæc ratio, quia pœna jam in confessione est taxata, & in foro Dei statim est taxata, quod sufficit ut possit remitti per applicationem thesauri. Tertio quia extra Sacramentum fit remissio etiam culpæ venialis, & pro remissione pœnæ debitæ pro mortalibus remissis Deo extra Sacramentum satisfacit per eleemosynas, jejunium, & alia opera satisfactoria, igitur Ecclesia etiam per Christi, & Sanctorum merita potest hujusmodi pœnas remittere, & ita hoc ea certitudine est indubitatum, qua est certum Pontificem posse Indulgentias concedere, cum Indulgentia sit remissio pœnæ temporalis debitæ in foro Dei pro culpis remissis.

43. Dicitur secundo potestatem hanc Indulgentiarum nedum non esse potestatem Ordinis, sed nec illam necessariò præsupponere ut actu habitam; ita docuit Div. Thom. 4 *distinct.* 20. *quæst.* 1. *artic.* 4. *quæst.* 2. & est communis Theologorum, & Canonistarum sententia D. Anton. *part.* 1. *tit.* 10. *capit.* 3. Sotus 4. *dist.* 49. *quæst* 1. *art.* 4. Corduba *lib.* 5. *quæst.* 3. & 12. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *par. dist.* 49. *sect* 2. *numer.* 3. Lugo *disput.* 27. *num.* 2. Navarr. *de Indulgent. not.* 31. Barbos. *alleg.* 88. *num.* 3. Palaus *tract.* 24. *par.* 2. *num.* 10. & probatur quia formaliter, & proximè ex vi solius potestatis Ordinis nullus habet subditos, at verò nullus potest Indulgentias concedere, nisi suis subditis *capit. Quod autem de pœnit. & remiss.* Item potestas Ordinis per se non potest restringi, aut limitari, & tamen potestas Indulgentiarum moderationem, & limitationem admittit juxtà *cap. Cum ex eo de pœnitent. & remiss.* sed quod nec præsupponat per se potestatem Ordinis ut actu habitam inde colligitur; quod Legatus à Latere, etiam si non sit Sacerdos, potest Indulgentias conferre, quod verificatur etiam de Episcopo electo, & confirmato, sed nondùm consecrato, per tradita à Div. Thoma loco supra citato. Et ratio est, quia potestas Ordinis datur ad Sacramenta perficienda. Indulgentia verò non est formaliter opus sacramentale, sed est remissio pœnæ temporalis, quæ fit extra Sacramentum.

44. Et ità quod Indulgentia, nec sit potestas Ordinis, nec per se illam supponat ut actu habitam cum D. Thom. 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *artic.* 4. *quæst.* 2. tenuerunt eadem *dist.* 4. Innocent. V. *q.* 2. Ricard. *artic.* 3. *quæst.* 2. *art.* 2. Paludanus *q.* 4. Sotus *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 4. D. Anton. *part.* 1. *tract.* 10. *cap.* 3. *in princip.* Sylvester *verbo Indulgentia num.* 13. Tabien. *num.* 8. Armill. *num.* 3. Corduba *lib.* 15. *q.* 3. & 12. Nugnus *in addit. q.* 25. *art.* 1. Suarez *disp.* 50. *sect.* 3. *num.* 3. Barbosa *in Pastorali alleg.* 88. *num.* 7. & apud eum Guerrer. Azor. Aug. de Ancona, Reginal. Campanil. Lavor. Sanctarell. Boer. Ugol. & Alzedo, Cardin. de Lugo *disput.* 27. *num.* 135. Bonaccina *de pœnit. disp.* 6. *quæst.* 1. *par.* 3. *num.* 67. & 8. Leander *tract.* 5. *de pœnit. disput.* 14. *quæst.* 22. Faguan. *cap. Accedentibus numer.* 11. *de excess. Præl.* Nugnus *in suppl. quæst.* 26. *num.* 2. Et cum etiam in Sacramento Pœnitentiæ remittatur pœna temporalis, & possit propterea dici Indulgentia latè sumpta, distinguitur tamen ab Indulgentia, de qua loquimur, quia per Sacramentum Pœnitentiæ directè, & primò remittitur culpa, per Indulgentiam verò directè remittitur pœna, cujus reatus remansit post remissionem culpæ. Item absolutio Sacramentalis est actus judicialis inter partes, & per modum condignæ satisfactionis præstitæ ab ipso peccatore pœnitente, quæ virtute clavium elevatur ad ampliorem effectum, sed Indulgentia importat remissionem pœnæ, quæ innititur satisfactioni alienæ, quam applicat Pontifex absolvens à pœna eum, qui recipit Indulgentiam.

45. Dicitur tertiò, quod potestas Indulgentiarum est potestas jurisdictionis spiritualis, ut cum Div. Thom. citato docent citati DD. & præter eos Caietanus *tom.* 1. *opus. tract.* 8. *cap.* 4. & *tract.* 15. *cap.* 5. Albertus *in* 4. *dist.* 20. *artic.* 16. Turrecrem. *§ item in Levitico artic.* 1. Bologn. *de Indulgent. num.* 7. & 18 Navarr. *notab.* 31. Palaus *tract.* 24. *par.* 2. *numer.* 9. Nam Christus Petro Matth. 16. promisit, & posteà Jo. 20. dedit potestatem jurisdictionis, tunc verò etiam dedit potestatem Indulgentiarum, ut dictum est *quæst.* 3. Item remissio pœnæ, quæ fit per Indulgentias, est actus Judicis, qui solum circa subditos exercetur *capit. quod autem de pœnitent. & remiss.* Actus verò Judicis spectat ad potestatem jurisdictionis. Item concessio Indulgentiarum spectat ad claves Ecclesiæ, quas Petro Christus concessit, *cap. cum ex eo de pœnitent. & remiss.* At verò non spectat ad clavem Ordinis, ut probatum est; igitur spectat ad clavem jurisdictionis.

46. Argumentum primum assumit, quod non possit remittere pœnam, qui non potest remittere culpam. Hoc autem non est verum de pœna, quæ remanet post culpam dimissam, & de potestate remittendi pœnam per dispensationem thesauri Ecclesiæ, quæ fieri potest extra Sacramentum. Sed addas, quod nullus concedit Indulgentias nisi vel sit Sacerdos potens remittere culpam in Sacramento, vel sit minister similis Sacerdoti, agens ex virtute sibi à Sacerdote concessa, aut delegata. Et ita conclusio supra asserta scilicet, quod potestas concedendi Indulgentias non supponit ordinem, seu Sacerdotium, intelligi debet, quia illud non supponit ut actu habitum, & nihilominus considerari debet, quod potestas remittendi hujusmodi pœnas ad forum pœnitentiale spectat, & data est ad plenam peccati remissionem, & ad tollendum impedimentum, quod peccatum ponit ex parte reatus pœnæ sibi debitæ ad ingressum Regni Cœlorum, unde potestas hæc remittendi pœnam per Indulgentias est veluti accessoria potestati remittendi culpas per potestatem Ordinis. Unde eodem contextu, & sub eadem forma data est Petro Joan. 20. supposita promissione ei facta Matth. 16. unde est quod potestas remittendi pœnam per Indulgentiam per se supponit Institutionem potestatis Ordinis ad remittendam culpam, & in proprio subiecto, quod est

Summus

Summus Pontifex supponit ad minus electionem legitimam ad summum Sacerdotium, & in Episcopis supponit ad minus electionem confirmatam, aut collationem Episcopatus, licet non supponat sacerdotium actu exercitè collatum.

47. Ad primum autem illorum, quæ probant hanc potestatem non esse jurisdictionis respondetur, quod Indulgentia est misericordia non excludens æquitatem Justitiæ, cum nec possit à Superiore concedi, nisi ex justa causa, & ampliùs non fiat nisi pro quanto justitiæ satisfacit solvendo debitum pœnitentis ex thesauro Ecclesiæ.

48. Ad secundum dicitur, quod jurisdictio voluntaria, quæ est favor, & privilegium non habet locum in invitum, sic nec absolutio Sacramentalis, licet sit actus jurisdictionis potest concedi invito, Gratiæ enim, quæ spectant ad purgationem Animi, debent liberè recipi; homo enim liberè debet in Deum converti, & illi pro debitis satisfacere.

49. Ad tertium pro nunc dicitur ex Div. Thom. 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 5. quod superior directè, & principaliter non potest sibi concedere Indulgentiam, quia non habet jurisdictionem in se ipsum. Potest autem frui Indulgentiis ad utilitatem fidelium concessis, quia æquum est, ut quæ ad favorem Communitatis disponuntur, communia sint etiam concedenti, qui est unus de Communitate.

50. Ad quartum dicitur, quod etiam Indulgentia concessa pro defunctis non est sine actu clavis jurisdictionis, non enim fit sine jurisdictione erga viventes, ut infra explicatur *q.* 113.

51. Quoniam igitur Indulgentia importat jurisdictionem non ligantem, sed solventem, & miserentem, & non exercetur nisi in volentes & regulariter non conceditur, nisi sub conditione operis voluntarii, ideo hæc non est jurisdictio contentiosa, sed voluntaria; jurisdictio enim voluntaria est quæ in volentes exercetur *l. 2. ff. de Offic. Proconf.* Ex jurisdictione tamen, quam habet Confessarius, potest obligari quis ad lucrandum Indulgentias; sed hoc est ex jurisdictione, quam Confessarius habet ad ligandum, & solvendum in foro Sacramentali.

QUÆSTIO V.

Utrum potestas concedendi Indulgentias se extendat, ut illas quis possit concedere, & non de Ecclesiæ thesauro.

SUMMARIUM.

52 *Indulgentia non concedi ex aliorum meritis, quidam dixerunt.*
53 *Alii volunt, quod indulgentia sit gratuita absolutio.*
54 *Alii volunt, quod per se indulgentia non pendeat ex thesauro.*
55 *Potestas indulgentiarum per se dependet ex thesauro.*
56 *Efficacia Indulgentiarum est ex Christi meritis.*
57 *Remissio tam culpæ, quàm pœnæ per se est effectus satisfactionis Christi.*
58 *Ex Christi satisfactione operà nostra habent rationem perfectæ justitiæ à Christo.*
59 *Indulgentia debet continere solutionem ex justitia.*
60 *Indulgentiæ fiunt per dispensationem thesauri.*
61 *Nunquam concessæ Indulgentiæ nisi ex thesauro.*
62 *Thesaurus ut est ex meritis Sanctorum per se non est necessarius ad Indulgentias.*
63 *De facto Indulgentiæ conceduntur de thesauro satisfactionum Christi, & Sanctorum.*
64 *An Pontifex oppositum facere possit.*
65 *An in fine mundi satisfactiones omnes Sanctorum obtinebunt suum effectum.*
66 *An Deus semper acceptet aliquid ex satisfactionibus Sanctorum.*
67 *Indulgentia non dependet per se à meritis Sanctorum, ut merita sunt.*
Thesaurus Sanctorum non dispensatur ab Ecclesia nisi per indulgentias.
68 *Per modum tamen meriti de congruò aliò modo dispensatur.*

52. Fuit quorumdam error, quem refert Henricus *quodlib.* 15. *quæst.* 2. apud Suarez *disp.* 51. *numer.* 1. Indulgentias non concedi ex alienis meritis, aut satisfactionibus, sed juxta laborem, & meritum ejus, cui conceduntur. Quod fuit totam vim Indulgentiarum tollere, quia si alicui nulla major concessio fit, quam illa, quam per sui operis meritum promeretur, nulla illi datur gratia, & Indulgentia, totum enim illud obtineretur ex merito operantis, etiam si nulla esset concessa Indulgentia, & ideo hujusmodi opinio prorsus improbabilis est, & erronea.

53. Qui etiam negarunt dari thesaurum, negant quoque Indulgentiam concedi facta aliqua solutione ex Thesauro. Et sic volunt, quod Indulgentia sit mera gratuita absolutio, & condonatio. Ita voluit Franciscus de Mayrone 4. *dist.* 24. *quæst.* 2. Ubi etiam refert, quod alii dixerunt in Indulgentiis applicari nobis non satisfactiones, sed impetrationes Sanctorum, per quas nobis obtinent liberalem remissionem alicujus pœnæ. Sed erronea est sententia istorum, ut probatum est *q* 2.

54. Suppositio igitur Thesauro Ecclesiæ constante ex meritis, & satisfactionibus Christi, & Sanctorum, Medina *disput.* 8. *de Indulg. cap.* 40. 41. & 42. quem refert Suarez locò citato *num.* 2. dixit potestatem Ecclesiæ ad concedendas Indulgentias per se non pendere ex thesauro nec necessario illum requirere, unde dicit aliquando concedi Indulgentias per modum potestatis absque applicatione thesauri, aliquando verò concedi per modum auxilii applicando thesaurum, sæpè vero fieri utroque modo, Imo aliqui dixerunt non semper in Ecclesia Indulgentias dispensatas fuisse ex thesauro, sed in principio concessas fuisse per liberalem remissionem virtute clavium factam absque ulla solutione, vel applicatione ex thesauro, postea vero quando usus Indulgentiarum percrebuit, præsertim à tempore Bonifacii Octavi introductam esse praxim non concedendi Indulgentias nisi ex thesauro. Nam quia nunc liberalior fit remissio, & ferè nulla aut parva satisfactione exhibita ab ipsis pœnitentibus, ideò aliunde ex satisfactionibus in thesauro repositis fit compensatio, seu solutio. Ratio vero hujus opinionis est, quia si concessio Indulgentiarum penderet ex thesauro, nō esset actus Jurisdictionis, sed cujusdam dispensationis, & solutionis ex thesauro.

55. Di-

55. Dicendum nihilominus est non dari in Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias, nisi ex thesauro meritorum, & satisfactionum Christi, & Sanctorum, seu nisi solvendo debitum nostrum ex pretio desumpto ex thesauro Ecclesiæ, & ita ut hujus thesauri divitiæ sint in suo genere causa necessaria, & moraliter per se concurrens ad remissionem pœnæ temporalis debitæ divinæ Justitiæ, quæ fit per Indulgentias. Hoc enim colligitur ex Clem. VI. *in Extravag. Unigenitus de pœnitent. & remiss. in 6.* & ex Decretali Leon. X. missa ad Cajetanum Legatum in Germania, quam ipse refert *3. par. q. 48. num. 5.* & id docuetat prius Div. Thom. *4. distinct. 20. q. 1. art. 3. q. 1. ad tertium* D. Bonavent. 4. *dist. 20. 2. par. dist. q. 5. & 6.* Albertus Magnus *eadem dist. art. 16.* Innocentius V. *q. 3. artic. 1.* Durand. *q. 3.* Palud. *q. 4.* Richard. *art. 4. q. 2. & artic. 8. q. 1.* Sotus *dist. 21. q. 1. art. 2.* D. Anton. *par. 1. tract. 10. c. 3.* Sylvest. *verbo Indulgentia num. 4.* Tabien. *num. 14.* Armilla *num. 8.* Corduba *q. 4. & 5.* Suarez *tom. 4. disp. 51. sect. 3. num. 4.* Lugo *disp. 27. num. 49.* Palaus *tract. 24. part. 2. num. 6. & 7.* Leander *q. 11.* Et ex Canonistis Turrecremata *§. Item in Levitico de pænit. disp. 1. art. 2. num. 16.* Ludovic. Bologniu. *de Indulg.* Fælin. *num. 3* Navarr. *de Iubileo art. 13.* Glossa *in extravag. Unigenitus de pœnit. & remiss.* & est sententia communis.

56. Hoc enim primo pro certo habendum est, & quidem de fide, quod vis & efficacia remittendi pœnas temporales in foro Dei debitas pendet ex thesauro saltem ut constante ex Christi meritis, ut habent propriam meritorũ rationem. Christus enim est hominum Salvator, & Redemptor. Eo quia non est aliud nomen sub Cœlo sub quo homines possint salvi fieri, ideò nulla remissio aut culpæ, aut pęnæ, nobis datur, nisi propter Christi merita. Rursus in tantum Christus concessit Petro hanc potestatem remittendi pœnas temporales, debitas in foro Dei, in quantum Christus meruit & ut possit hanc potestatem concedere, & ut quibus ipse vellet remitti, aut culpas, aut pœnas culpis debitas, remitterentur, seu ut remissio in terris suo nomine, & auctoritate facta valida esset; igitur hæc remissio nititur Christi meritis; hæc verò merita in thesauro Ecclesiæ manent; igitur vis, & efficacia remissionis datæ per Indulgentias, & Indulgentiarum concessio fundatur necessariò in Ecclesiæ thesauro, ut continente merita Christi, quod inde magis apparet, quod in hoc eodem thesauro ut continente merita Christi fundatur efficacia Sacramentorum, & vis absolutionis à culpa, & pœna, quæ datur in Sacramento Pœnitentiæ, quia in Christi meritis fundatur omnis gratia, & remissio nobis concessa.

57. Secundo certum est remissionem pœnæ, quæ fit per Indulgentiam de lege ordinaria non posse fieri adeo liberaliter, ut non fiat applicando satisfactionem Christi in thesauro Ecclesiæ repositam, & sic divinæ justitiæ solvendo debitum nostrum. Probatur primò ea generali ratione; nam ut docet D. Thom. *3. part. q. 48. art. 2.* Christus operatus est salutem nostram nedum per modum meriti, sed etiam per modum satisfactionis, quia ejus passio fuit satisfactio sufficiens, & superabundans ad satisfaciendum pro omnibus peccatis nostris, & ad solvendum omne debitum nostrum tam quantum ad culpam, quam quantùm ad pœnam; at verò esset hæc infinita sufficientia superflua, si non applicaretur ad effectum quantum sufficienter fieri potest, maximè cum valor satisfactionis non potuerit habere locum in Christo respectu propriæ personæ, in qua nullus reatus culpæ, aut pœnæ potuit reperiri, pro quo satisfacere teneretur; nunquam igitur homini remittitur peccatum, vel quantum ad culpam, vel quantum ad pœnam, & hæc remissio non fit effectus satisfactionis Christi, præsertim quando alias non intercedit sufficit satisfactio.

58. Ideò probatur eadem assertio secundo, quia Incarnatio Verbi facta est, ut Deo pro peccatis hominum satisfieret ex perfecta Justitia, ut cum Div. Thom. *3. part. q. 1. art. 2.* docent Catholici DD. si enim Deus mere liberaliter voluisset dimittere peccata mundi, seù acceptare pro sufficienti satisfactionem, quam poterat reddere homo purus, non fuisset necessaria Christi Incarnatio, sed quia ut dicitur in Psalmo 24. *Universæ viæ Domini misericordia, & vanitas.* Et perfectio ipsa universi hoc exigit, ut in eo nedùm divina misericordia teluceat, sed etiam Justitia, ideò Verbum ex infinita misericordia factum est caro, ut ex perfecta justitia satisfaceret Deo pro omnibus peccatis mundi. Et quia nulla humana satisfactio est, vel esse potest ex perfecta justitia, ideò nunquam homo Deo satisfacit, nisi in virtute satisfactionis Christi, unde nec in Sacramento pœnitentiæ homo satisfacit Deo nisi in virtute, & ex applicatione infinitæ satisfactionis Christi, ex quo omnis nostra satisfactio habet, ut contineat perfectam justitiam. Hoc autem præcipua ratione verificatur tunc, cum ut in nostro casu, deest ex parte hominis æquivalens satisfactio; tunc enim multo magis necesse est, ut applicetur satisfactio Christi, ad hoc ut fiat solutio ex perfecta justitia, quam requirit justitia vindicativa Dei, & sine qua secundum hunc Ordinem rerum non fit peccatorum remissio. Et sic ad hanc remissionem requiritur & meritum Christi, & Christi satisfactio, & quidem satisfactio requiritur, ut solutio, & compensatio fiat per æqualitatem, & contineat proportionatam, & perfectam justitiam, meritum verò ad obtinendum quod fieret hæc satisfactionis applicatio, & ut potestas clavium, à qua procedit absolutio, & remissio tam quantum ad culpam, quam quantum ad pœnam acceptaretur à Deo, essetque efficax apud ipsum. Sic igitur & remissio, quæ fit per Indulgentias, maximè fundatur in Christi justitia, & ex ea habet vim, & efficaciam, unde potestas clavium non habet vim, & efficaciam, nisi ex Christi merito, & satisfactione, & ideò potestas clavium non nisi ex thesauro Ecclesiæ Indulgentias potest concedere.

59. Ideò hoc idem confirmatur ex Pontificum decretis; Nam Leo X. *in decretali* missa ad Cajet. dixit *Pontifices indulgentiam concedendo thesaurum meritorum Iesu Christi, & Sanctorum dispensare, & per modum absolutionis indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse.* Duos ergo tantum modos concedendi Indulgentias agnoscens Pontifex, scilicet per modum absolutionis, & per modum suffragii, utrumque fieri per dispensationem thesauri declarat. Sic quoque Clemens Sextus *in Extravag. Unigenitus* dixit, Christum Dominum Petro Clavigero Cœli, & suo Vicario commisisse dispensationem thesauri per Indulgentias, & quod hanc potestatem cognoverit Bonifacius VIII. ejus Prædecessor, & ideò concesserit plenissimam Jubilæi Indulgentiam. Hæc igitur Indulgentia, quæ cum sit plenissima, fit per modum absolutionis, secundum Pontifices non fit, nisi per dispensationem thesauri.

60. Falsissimum propterea est, quod unquam in Eccle-

Ecclesia concessa fuerit Indulgentia per modum absolutionis sine applicatione thesauri; Neque enim verum est, quod non requiratur jurisdictio ad dispensandum hunc thesaurum, cum hoc pertineat ad potestatem clavium, quam Christus tribuit Petro, & sit vera potestas solvendi, justitiæ tamen æquitate salva.

61. Tertio quoque certum est, thesaurum Ecclesiæ ut constat ex satisfactione Sanctorum non esse per se simpliciter necessarium, ut Indulgentiæ concedantur, quamvis de facto, ex quo in hoc thesauro etiam continentur hujusmodi satisfactiones, ex illis quoque Indulgentiæ conceduntur, & remissiones; ad effectum enim Indulgentiarum sufficit Christi satisfactio, unde si thesaurus iste, ut est ex satisfactionibus Sanctorum, quæ finitæ sunt, exhauriretur, illæque deessent, validè concederentur Indulgentiæ ex thesauro meritorum, & satisfactionis Christi. Imò vis, & efficacia Indulgentiarum non pendet ex meritis Sanctorum, ut merita sunt, sed ex solo merito Christi, & ejus satisfactione sufficienter fundata est Indulgentiarum potestas, & efficacia. Sicut etiam remissio culpæ, & pœnæ, quæ fit in Sacramentis sufficienter fit ex thesauro, ut constante ex merito, & satisfactione Christi; sic igitur, quando Sancti aliquid de suo conferuntur, quod juvare possit ad subsidium aliorum, Christus illud acceptat, volens in hoc honorare Sanctos suos, & charitatem Fidelium fovere, sed si hæc desint, sufficit Christi meritum, & satisfactio ad omnia peccata delenda; sic etiam non sunt Sancti, qui absolvunt, & remittunt pœnas debitas peccatis, sed hoc facit Christus, & Vicarius ejus. Sed aliud est absolvere, aliud præbere materiam; quæ sumatur ut pretium solutionis, & redemptionis. Sic enim de facto Ecclesia supponens thesaurum suum etiam ut constat ex satisfactionibus Sanctorum de facto non deficere, concedit Indulgentias ex thesauro Christi, & Sanctorum.

62. Existimat autem Suarez *disput.* 51. *sect.* 3. *num.* 17. quod Pontifex, quando concedit Indulgentias, posset, si vellet eas concedere de solo thesauro satisfactionum Christi, qui infinitus est; sicut posset illas concedere ex thesauro, ut continet satisfactiones Sanctorum, applicando eas ut proprium pretium solutionis, quæ fit divinæ justitiæ, non excluso tamen merito, & satisfactione Christi concurrente, ut causa universali cum satisfactione Sanctorum, & dante illi perfectionem, & efficaciam. Ait tamen, quod regulariter non conceduntur hoc modo Indulgentiæ. Et quando intentio concedentis non est determinata, sed absolutè fit de thesauro, Divino judicio relinquitur, ut de thesauro ad sui beneplacitum recipiat solutionem, & pretium æquivalens, & debitum pro remissione pœnæ temporalis, quæ fit per Indulgentiam.

63. Sed Lugo *disput.* 27. *numer.* 54. & Leander *tract.* 5. *disp.* 14. *quæst.* 12. existimant, non fuisse concessam Pontifici facultatem applicandi, ut possit concedere Indulgentiam ex una parte thesauri, & non ex alia. Nec expediebat dari illi hanc potestatem, quia ea non potest Pontifex uti sine periculo erroris, cum nesciat quæ sint, & quantæ satisfactiones Sanctorum. Sed dicit Suarez hanc facultatem consequi ex natura facultatis dispensandi thesaurum commissa arbitrio Summi Pontificis, qui tamen ea uti debet prudenter, & non exponere se, & fideles periculo errandi.

64. Arbitratur etiam idem Lugo *disput.* 25. *nu.* 55. quod in fine mundi, divina providentia sic disponente, omnes satisfactiones Sanctorum contentæ in thesauro suum obtinebunt effectum, nulla earum remanente sine effectu, & remuneratione proportionata; quia hoc videtur congruum esse divinæ providentiæ. Sed hæc incerta sunt, & occultæ, & imperscrutabili divinæ providentiæ commissa.

65. Dubitat etiam idem Lugo *disp.* 27. *num.* 55. an Deus in omni Indulgentia acceptet thesaurum, prout etiam continet Sanctorum satisfactionem; quamvis id verisimile judicet; quia Deus in honorem Sanctorum voluerit eorum satisfactiones superfluas reponi in thesauro, & Christus voluit in hoc admittere Sanctos in sui consortium.

66. Quarto etiam dicendum est, potestatem concedendi Indulgentias non pendere à thesauro, ut constante ex meritis Sanctorum sub propria ratione meriti, quia sub hac ratione nihil conferunt per se ad effectum Indulgentiæ, unde per se non sunt necessaria ad Indulgentiarum concessiones; Nam Sancti non meruerunt potestatem Indulgentiarum concedi Ecclesiæ, sed hoc Christus meruit. Nec meruerunt ut pœna nobis remitteretur gratis sine ulla satisfactione propria, aut aliena nobis appropriata. Quia hoc sub nullius puri hominis meritum cadit, ut ex dictis *in secunda assertione* patet. Nec meruerunt ut satisfactiones suæ pro aliis oblatæ acceptentur, quia hoc omne Sanctorum meritum ex Dei lege, antecedit, & ad summum fundatur in solius Christi meritis; igitur merita Sanctorum, ut merita, non concurrunt per se ad effectum Indulgentiæ, sed præterea merita Sanctorum ut sunt merita de condigno in solis ipsis operantibus habent effectum, & superabundanter sunt in illis remunerata; quia vero si suscipiens Indulgentias adimplet quæ concedens voluit impleri consequitur infallibiliter effectum Indulgentiæ, & non indiget oratione, vel intercessione, vel impetratione Sanctorum; ideò effectus Indulgentiæ non pendet à meritis Sanctorum, quæ sint merita congrui. Nisi per accidens, quatenus per merita Sanctorum potest impetrari dispositio necessaria ad Indulgentiæ effectum obtinendum. Cæterùm qui concedit Indulgentias non potest præcipere Sanctis, ut pro nobis intercedant, unde nec potest infallibiliter id præstare; neque hoc est necessarium. Ideò merita Sanctorum ut merita sunt, neque hoc conferunt, ut propter leviorem causam concedatur maior Indulgentia, quia nec merita Sanctorum ad hoc applicantur, nec etiam per ipsam Indulgentiam; item Indulgentia conceditur per modum justæ dispensationis, quæ requirit sufficientem causam in se ipsa, & propter merita Sanctorum nihil de hac æquitate remittitur. Alias verò supposita justa causa Indulgentia est sufficiens, ut per eam ex Sanctorum satisfactionibus aliena debita solvantur.

67. Quamvis verò thesaurus, ut constat ex meritis, & satisfactionibus Christi, quamplurimis aliis modis dispensetur, quam per Indulgentias, nimirum per Sacramenta, per sacrificium Missæ, & per concessionem gratiarum, ut tamen constat ex satisfactionibus Sanctorum non dispensatur ab Ecclesia, nisi per Indulgentias. Suarez *disp.* 51. *sect.* 13. *num.* 3. Lug. *disput. num.* 56. Hujusmodi enim thesaurus cum sit ipsius

sit ipsius Ecclesiæ privata auctoritate non dispensatur validè. Quod adeò verum est, ut nec Sancti ipsi postquam sua ipsa opera perfecerunt, & illa spectant jam ad thesaurum Ecclesiæ, quia ipsi nec pro se ipsis, nec pro aliquo alio determinatè applicaverunt, habeant ampliùs talium operum dominium, & sic illa tanquam bona publica, & communia per solam publicam authoritatem dispensari possunt; Arbitratur verò idem Suarez *num.* 51. quod Christus, qui illa Sanctorum merita dispensare posset, dum per se ipsum immediatè remittit pœnas, quia nihilominùs non indiget ad hoc satisfactionibus Sanctorum, sed convenientiùs ex solo suo thesauro id facit, ideò applicatio ista satisfactionum Sanctorum non fiat immediatè per ipsum Christum, sed solum fiat per ministros Christi, qui id præstant in concessione Indulgentiarum. Sed Lugo *disput.* 27. *numer.* 56. non habet pro inconvenienti Deum aliquando remittere pœnas, applicando satisfactiones illorum Sanctorum, qui pro aliquo intercedunt. Imò existimans, quod Animæ Purgatorii possint etiam orare, & obtinere aliquam veniam pœnæ debitæ, satis congruum putat, quod si ex satisfactionibus illius animæ sint aliquæ superfluæ repositæ in thesauro Ecclesiæ, Deus attendat specialiter ad illas, ut earum intuitu, & commutatione commutet debitum præsens. Quod verò Marsilius *in* 4. *dist.* 12. apud Suarez *d. sect.* 3. *num.* 1. voluerunt satisfactiones Sanctorum distribui etiam per absolutionem Sacramentalem omninò rejicitur communiter à Theologis, quia cum Sacramenta sint fundamenta Ecclesiæ, in eis solus Christi Sanguis operatur, tantumque in ejus meritis & satisfactionibus nituntur, ut virtutem operandi habeant.

68. Thesaurus autem, ut constat ex meritis Sanctorum alio modo, quam per Indulgentiam dispensatur, & applicatur per orationes, & impetrationes per modum meriti de congruo. Quod fit vel per privatas nostras orationes, vel per publicas. Sed hæc applicatio fit à Christo exaudiente orationes nostras, & Sanctorum, ideoque in hac applicatione non intervenit potestas clavium, neque aliquis actus ejus.

QUÆSTIO VI.

Utrum effectus Indulgentiæ extendi possit usque ad remissionem culpæ.

SUMMARIUM.

69 *Argumenta ad quæstionem.*
70 *Quid sit culpa.*
71 *De fide est, quod per Indulgentiam non remittitur culpa mortalis.*
72 *Non justificatur homo sine infusione gratiæ, & sine Sacramento.*
73 *Nec sine pœnitentia, qua posita jam justificatur homo ex vi Sacramenti saltem in voto.*
74 *Contritio imperfecta extra Sacramentum non justificat.*
75 *Attritio vi concessionis Indulgentiæ non fit contritio.*
76 *Datur potestas solvendi à pœna.*
77 *Remissio pœnæ dicitur remissio peccatorum. In quo sensu dicatur per Indulgentiam remitti culpam, & pœnam.*
78 *Applicatio meritorum ad impetrandam gratiam pertinet ad suffragium.*
79 *Per Indulgentiam non remittitur pœna externa.*

69. Videtur enim ita esse, quia potestas solvendi à Christo data Petro Apostolo ad culpam se extendit; quædam verò solvendi potestas est potestas Indulgentiarum, quam etiam datam fuisse eidem Petro, ex quo dedit illi claves Regni Cœlorum, ut quodcumque solveret super terram esset solutum & in Cœlis, probatum est *supra quæst.* 5. Secundò nam Pontifices in concedendo Indulgentias expressè concedunt peccatorum remissionem, & Indulgentiam, & aliquando expressè concedunt absolutionem à culpa, & à pœna. Tertiò nam Pontifex posset concedendo Indulgentiam facere aliquem participem meritorum, vel totius Ecclesiæ, vel alicuius Congregationis, vel etiam unius determinatæ personæ; per hujusmodi verò merita posset esse, ut impetraretur peccatorum remissio.

70. Disputat autem hic Navarr. *not.* 10. de ratione peccati, & culpæ, & maculæ peccati, eo quod Felin. *de Ind. col.* 5. dixerit, quod culpa sit effectus peccati, & hanc esse maculam à peccato causatam; Quod illi impugnant, quia ex Div. Thom. *part.* 2. *quæst.* 21. *artic.* 2. culpa sit peccatum, non verò sit effectus peccati, sed considerandum est dari peccatum actuale, & habituale. Peccatum actuale est actus, qui non permanet, sed transit. Remanet verò peccatum habituale, sed hoc est macula, & est culpa, & est effectus peccati actualis. Distinguuntur verò culpa, & macula solùm ratione; quia eadem privatio gratiæ causata per peccatum actuale in quantum est privatio nitoris Animæ est macula, sed in quantum est voluntaria est offensa Dei, cui injuriosum est, quod homo voluntariè se privaverit rectitudine, & gratia.

71. Dicitur verò ad quæstionem, quod licet ex parte thesauri Ecclesiæ continentis meritum, & satisfactionem Christi non repugnet, quod per ejus applicationem remittatur pœna æterna, & culpa de potentia Dei absoluta homini cooperanti divina gratia, tamen de facto non est in Ecclesia potestas remittendi culpam mortalem extra Sacramentum, & ideò potestas Indulgentiarum non potest se extendere ad remissionem mortalis culpæ, vt docet Div. Thom. 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæst.* 10. & ibi Div. Bonav. Albertus, Richardus, Durand. Palud. Capreol. Sotus *dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 3. Sylvester *verb. Indulgentia num.* 10. & alii Summistæ Div. Anton. *par* 1. *tit.* 10. *cap.* 3. §. 13. & Turrecrem. §. *Item in Levitico art.* 1. Bolog. *de Indulg. numer.* 70. Suarez *tom.* 4. *disput.* 50. *sect.* 1. *num.* 1. Navarr. *not.* 10. *num.* 2. & omnes DD. Hæc assertio est de fide, & probatur ex Concil. Trid. Nam culpæ mortalis remissio non fit sine infusione gratiæ sanctificantis, ut tradidit idem Concilium *sess.* 6. *capit.* 17. & docuerat Div. Thom. *p.* 2. *quæst.* 113. *art.* 2. At verò gratia non infunditur, nisi per Sacramenta in re, vel in voto suscepta, ut definivit idem Concilium *sess.* 6. *can.* 4. Unde *sess.* 14. *cap.* 2. pariter docet Sacramentum Pœnitentiæ ad recipiendam remissionem peccatorum lapsis post baptismum esse necessarium;

rium; de fide igitur est, quod extra Sacramentum non potest obtineri gratia sanctificans, & remissio peccatorum; non ergo est in Ecclesia potestas concedendi remissionem culpæ per Indulgentias extra Sacramentum.

72. Item sine pœnitentia non potest obtineri peccatorum remissio, hæc enim semper fuit necessaria ad obtinendam remissionem peccatorum juxta doctrinam Concil. Tridentini *sess.* 14. *cap.* 1. Sic enim & priùs D. Thom. *p.* 2. *q.* 113. *art.* 3. docuerat ad justificationem necessarium esse motum liberi arbitrii in Deum, & in peccatum, quod fit per pœnitentiam. Hæc verò si est perfecta contritio continet Sacramentum in voto, & ideo nos Deo reconciliat, sed in vi Sacramenti. Et Indulgentia propterea illam supponens, simul supponit collatam gratiam, & peccata remissa ex vi ejusdem contritionis, & voti Sacramenti; unde gratiam non confert, nec culpam remittit, sed eam remissam supponit.

73. Contritio verò imperfecta, quæ est attritio extra Sacramentum non valet, ut gratiam obtineat, & peccatorum remissionem consequatur juxtà Doctrinam Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. Igitur quod sola attritio sine adminiculo Sacramenti possit per solam hominis concessionem extrinsecam, & remissionem perducere hominem ad gratiam sanctificantem, & peccatorum remissionem est prorsùs à doctrina Ecclesiæ alienum.

74. Propterea meritò à Navarr. *not.* 10. *num.* 19. reprehenditur, quod dixit Palud. *4. dist.* 20. *quæst.* 4. *art.* 3. *in fine*, scilicet quod attritio cum absolutione Papæ per viam Indulgentiæ efficitur contritio, quæ sufficiat ad remissionem culpæ. Hæc enim doctrina nova, & particularis non est sustentabilis, & contrariatur doctrinæ Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. Sed tamen Palud. loquitur de contritione ad delendum veniale necessaria; sed neque tamen id potest admitti, ut dicitur *quæst. sequen.* sola enim Sacramenta sunt signa efficacia, & causæ continentia gratiam santificantem, nec ministri Ecclesiæ possunt hujusmodi gratiam conferre nisi Sacramenta ministrando, quæ vel primam gratiam conferunt, vel concessam augent. Per Indulgentiam igitur non conceditur extra Sacramentum remissio culpæ, sed solum pœnæ temporalis, cujus reatus in justificato manere potest, & ut plurimum manet. Et hoc idem manifestum est ex formis concedendi Indulgentias, quæ exprimunt concedi Indulgentias contritis, & confessis.

75. Ad primum dicitur, quod non omnis potestas solvendi est potestas absolvendi à culpa, sed aliqua est, quæ solùm respicit reatum pœnæ, & talis est potestas concedendi Indulgentias, quæ comprehenditur sub generali potestate clavium, quam Christus dedit Petro.

76. Ad secundum dicitur, quod remissio pœnæ debitæ pro culpis est quædam peccatorum remissio, & dicitur talis, ut patet 1. *Mach.* 12. in illis verbis, *ut à peccatis solvantur*. Et in hoc sensu Pontifices concedunt per Indulgentias peccatorum remissionem. Quod verò aliquando in forma concessionis dicatur concedi remissio à culpa, & pœna, hic modus loquendi reprehenditur à DD. communiter, & præcipuè à Suarez *disput.* 50. *sect.* 1. Div. Antonin. *part.* 1. *tit.* 10. *capit.* 3. §. 4. Sylvester *verb. Indulgentia num.* 24. & Felin. *de Indulgent. num.* 9. & Mayron. & *Passerini de Indulgentiis.* Tabien. *num.* 3. dicunt, quod talis Indulgentia non emanat à Curia. Et certè illa loquendi forma in Jure non probatur, ut patet *Clem.* 1. *de privil.* & *Clem.* 2. *de pœnit.* & *remiss.* Unde quod ait Suarez *disp.* 50. *sect.* 1. *num.* 14. nimirum, quod Pontifices aliquando eo modo loquendi utuntur, præsertim *in extravag. Antiquorum*, allegans ad hoc *Gloss. in Clem.* 2. *de pœnitent.* & *remiss.* non est veritati conformæ; neque enim Bonifac. VIII. *in dicta Extravag. Antiquorum de pœnitent.* & *remiss.* utitur ea loquendi forma, sed Indulgentiam plenam, pleniorem, & plenissimam concedit, nec in aliqua decretali, vel Bulla Pontificia autentica, & publica talis forma Indulgentias concedendi reperitur. Et illa Glossa in verb. *à pœna,* & *à culpa* in Clem. 21. *de pœnitent.* & *remiss.* gratis dixit, quod hujusmodi Indulgentia, quæ dicitur à pœna, & à culpa sit illa plenissima Indulgentia quæ conceditur Cruce signatis, & quæ datur in Anno centenario in Jubilæo à Bonifacio VIII. *in dicta Extravag. Antiquorum*, cum hoc manifestissimè sit falsum. Ea enim forma loquendi nec Urbanus II. concedendo Indulgentias Cruce signatis, nec Bonifacius Octavus usus est, in dicta *Extravag.* Quando tamen talis modus loquendi inveniretur in aliqua Bulla privata, ex hoc illa Bulla esset suspecta de falsitate. Quamvis dici etiam posset, quod Indulgentia esset absolutio à culpa præsuppositivè, ut tradunt Div. Antonin. Sylvest. Tabien. Fælyn. & Suarez locis citatis, & alii DD. communiter. Addunt etiam Suarez *d. num.* 14. Palaus *tract.* 24 *par.* 3. *num* 16. & alii, quod vi illorum verborum conceditur simul facultas, ut qui volunt lucrari Indulgentiam, possint absolvi à peccatis etiam reservatis. Quamvis in hoc verba rescripti diligentius considerari debeant, hanc enim concessionem non importat forma illa verborum.

77. Ad tertium dicitur, quod licet verum sit, quod Pontifex possit facere aliquem participem meritorum totius Ecclesiæ, ut docet Div. Thom. 4. *distinct.* 20. *art.* 5. *quæst.* 1. *corp.* Tamen id non facit per Indulgentias, quia ex thesauro concedendo Indulgentias dispensat non merita, sed satisfactiones Christi, & Sanctorum, & quatenus id faceret, non concederet Indulgentiam; nam hujusmodi concessio non esset remissio, sicuti est Indulgentia, sed esset intercessio, & impetratio, & pertineret ad suffragia, & intercessiones Ecclesiæ suis orationibus adjungentis merita Sanctorum, ut faciliùs exaudiantur. Pertinet ergo hæc potestas Ecclesiæ ad communicationem suffragiorum in ratione meriti unius pro alio, quæ vel est eadem cum impetratione, vel ab ea non separatur, unde actus ejus consistit in intercessione Ecclesiæ offerentis merita Sanctorum, ut facilius exaudiatur.

78. Ex his verò sequitur, quod per Indulgentiam non remittitur pœna æterna, quia hæc manente culpa non tollitur, & culpa remissa remittitur. Et quamvis aliquando concedatur Indulgentia sub conditione contritionis, aut concessionis, tamen tunc prius natura contrito remittitur culpa, & vigore Indulgentiæ remittitur pœna cujus reatus remaneret, si contrito non esset concessa Indulgentia.

QUÆSTIO VII.

An potestas Indulgentiarum saltem se extendat ad remissionem culpæ venialis.

SUMMARIUM.

79 *Per Indulgentiam deleri venialia videtur:*
80 *Peccatum veniale habituale non est solus reatus pœnæ.*
81 *Peccatum veniale non remittitur sine pœnitentia. Imò non remittitur nisi per pœnitentiam gratia formatam.*
82 *Per Indulgentiam non remittitur veniale quantum ad culpam.*
83 *Solum remissa culpa remittitur quantum ad pœnam ex vi Indulgentiæ.*
84 *Sacramentalia non remittunt culpam ex vi institutionis extrinsecæ.*
85 *Ex vi Indulgentiæ non sufficit minor dispositio ad delendum veniale.*

79. ITa enim esse videtur, & probatur primo, quia ad remissionem culpæ venialis non est necessaria gratiæ infusio, vel votum Sacramenti, quæ necessaria sunt ad remissionem culpæ mortalis, & ideò illa non potest remitti per Indulgentias; non est ergo eadem ratio de culpa veniali. Secundò per Sacramentalia remittitur venialis culpa, quod non potest esse verum, nisi quia sic Ecclesia instituerit; igitur etiam Ecclesia potuit instituere, ut idem peccatum per Indulgentias remittatur. Tertio, nam peccatum veniale actu jam præterito non est nisi reatus pœnæ, ut docent Nominales; igitur reatu pœnæ ablato, etiam ablata est culpa, per Indulgentias verò tollitur reatus pœnæ.

80. Sed motiva ista satis ostendunt, quod opinio præfata multa supponit, quæ meritò reprobantur. Primò enim falsum est, quod peccatum veniale habituale sit solus reatus pœnæ, quia in rei veritate est culpa, & macula, quia simul est offensio Dei, licet venialis, quæ habitualiter manet, aliquid enim deformitatis moralis est Deum actualiter offendisse, & non retractasse offensam, seu non satisfecisse divinæ justitiæ, pro offensa, licet levi. Ideò cum D. Thom. p. 2. q. 88. & 89. & 3. par. q. 87. art. 3. ad tertium, & longè communiori Theologorum sententia dicendum est: peccatum veniale habituale aliquam maculam importare, si non per privationem decoris gratiæ, sicut facit mortale, saltem per inordinatam affectionem ad temporalia. Unde macula peccati venialis dicitur macula minùs propriè, & secundum quid comparativè ad maculam peccati mortalis, quæ est macula simpliciter, & propriè dicta. De quo videantur Albertus 2. part. tract. 18. quæst. 114. memb. 4. artic. 1. Alens. 2. par. quæst. 124. num. 1. Capreol. 4. distinct. 16. q. 1. artic. 3. ad arg. cont. 3. conclus. Div. Anton. 1. part. tit. 7. cap. 2. Viguer. cap. 18. §. 3. Azor. tom. 1. lib. 4. capit. 8. quæst. 8. Conrad. Caietanus, Med. Curiel. Zumel. Vasquez. Salas. Martinez prim. 2. quæst. 89. artic. 1. Suarez 3. par. tom. 4. disp. 11. sect. 1. num. 4. mortale enim obtenebrat, sed veniale obscurat. Et juxta illud Jo. 13. *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet*, justus, qui simpliciter est lotus, & mundus adhuc potest esse maculatus per veniale, & indigere ut pedes lavet, sive potest habere aliquam maculam, à qua indigeat lavari. Ex quo sequitur quod etiam in veniali peccato distinguitur culpa, quæ est macula, & offensa à reatu pœnæ, qui consequitur culpam. Et ex consequenti, quod remissio peccati venialis non est remissio solius pœnæ, sed est dilutio culpæ, quæ fundat reatum pœnæ, ut habetur ex D. Thom. locis citatis.

81. Secundo quoque advertendum est, quod probat Div. Thom. loco citato 3. par. quæst. 87. art. 1. cap. & 2. ad secundum, & Cajetanus ibidem, & Sotus 4. distinct. 15. quæst. 2. artic. 2. Ledes quæst. 28. art. 1. Corduba lib. 5. quæst. 8. & 11. Alens. par. 4. quæst. 15. memb. 3. §. 2. ad 4. Suarez tom. 4. disput. 11. sect. 1. nu. 5. Scotus in 4. distinct. 21. Palaus tract. 23. par. 2. num. 5. Cardinalis de Lugo disp. 9. sect. 2. num. 12. scilicet quod peccatum veniale nunquam remittitur sine aliquo actu virtutis pœnitentiæ, quamdiù enim voluntas peccato adhæret, non remittitur culpa, quia effectus manet, manente causa. Imò non remittitur sine gratia sanctificante, non quia ad ejus remissionem sit necessaria gratiæ infusio, sed quia non remittitur vel nisi supposita gratiæ infusione in justo, vel si homo est peccator nisi gratia infundatur, ut docet idem Div. Thom. 3. par. q. 87. art. 4. & p. 2. q. q. 87. art. 5. & q. 7. de malo art. 10. & 4. dist. 16. artic. 1. quæst. 2. ad 3. & Paludanus 4. distinction. 16. quæst. 2. artic. 1. quæst. 2. ad 3. Richardus artic. 4. quæst. 2. & distinct. 21. artic. 2. quæst. 3. Div. Bonaventura artic. 1. quæst. 1. Alexand. 4. par. quæst. 65. membr. 3. artic. 5. §. 4. Sotus 4. distinction. 15. quæst. 2. artic. 4. Suarez tom. 4. disp. 11. section. 2. numer. 4. Abul. in Matth. capit. 25. quæst. 711. Cardin. de Lugo disput. 9. de pœnitent. section. 1. Et ratio est quia cum non remittatur veniale peccatum sine aliquo actu virtutis pœnitentiæ, si iste sit contritio jam homo gratiam sanctificantem consequitur, si verò non sit contritio, cum illa sit actus peccatoris in peccato manentis, non est grata Deo, & ideò non sufficit, ut disponat ad remissionem cujuscumque offensæ coram Deo. Item remissio culpæ cujuscumque nunquam fit, nisi per virtutem gratiæ, quia ut Apostol. habet ad Roman. 4. Ad gratiam Dei pertinet, quod Deus alicui non imputet peccatum; quod Glossa ibi exponit de veniali: existenti igitur in mortali, nullum veniale dimittitur; & sic dispositio necessaria ad illjus remissionem est actus hominis justi, qui sit formatus gratia sanctificante, ut docet Div. Thom. 3. par. quæst. 87. art. 4. ad secundum.

82. Ex his respondetur ad quæstionem, & dicitur non posse per Indulgentias remitti veniale peccatum quantum ad culpam; quia non est in potestate alicujus hominis, ut extra Sacramentum saltem in voto susceptum infundat gratiam, sine qua veniale non remittitur. Et quia non est in potestate alicujus ministri Ecclesiæ, ut infundat in aliquo actum pœnitentiæ, qui est liber & cum summa libertate elicitur à pœnitente, homo verò non potest voluntatem hominis immutare immediatè, & directè, & infallibili efficacia, quamvis possit suadendo consulere, & hor-

&hortari ad pœnitentiam, sine qua tamen non remittitur peccatum veniale, & ideò communis DD. sententia est, quod per indulgentiam culpa non deleatur. Unde deffiniunt indulgentiam, quod sit remissio non culpæ, sed pœnæ D. Thom. 4. *dist.* 20. *quæst.*1. *art.* 3. *quæst.*1. *&* 2. *& eadem distinct.* D. Bonav. *par.*1. *art.*1. *quæst.*2. Albertus *art.*16. Innocentius Quintus *quæst.*3. *art.*1. Richard. *art.* 3. *quæst.* 1. Durand. *qu.* 3. Palud. *quæst.*4. D.Anton. *par.*1. *tit.* 10. *cap.* 3. Sylvest. & Summistæ omnes in verbo indulgentia Sotus 4. *dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 1. *&* 2. & reliqui DD. omnes. Et in specie quod per indulgentiam non remittatur culpa venialis, immò nec pœna illis debita, ni si illa, quantùm ad culpam, sint dimissa tradunt Navarr. *de Iubil. not.* 10. *num.* 12. Suarez *disp.* 50. *sect.*1. *num.* 11. Nam hocidem ampliùs confirmatur, quia si ad remissionem venialis sufficeret tollere reatum pœnæ, veniale posset remitti per partes, sicut potest remitti pœna. Immò si quis satisfaceret pro mendacio præterito, remitteretur ei peccatum, licet de præsenti haberet propositum iterum mentiendi.

83. Ad primum dicitur veniale, nec sine actu pœnitentiæ, nec sine gratia remitti, unde non potest remitti quantùm ad culpam per se immediatè, & directè per indulgentias, sed solùm dimissa culpa remittitur quantùm ad pœnam.

84. Ad secundum dicitur ex D. Thom. 3. *quæst.* 87. *art.* 3. Sacramentalia non valere ad remissionem venialis, nisi in quantum habent adjunctum aliquem liberum actum, qui sit dispositio ad ejus remissionem, Non igitur Sacramentalia remittunt venialia ex vi extrinsecæ alicujus institutionis Ecclesiæ, sed ex vi gratiæ supposita pœnitentia aliqua formali, aut virtuali gratia sanctificante formata.

Ad tertium patet ex dictis.

85. Sed forsan dicet aliquis, quod licet per indulgentias non possit remitti culpa venialis, quia culpa non remittitur sine libera dispositione ex parte hominis, tamen fieri poterit, ut dixerunt Palud. 4. *distinct.* 20. *quæst.* 4. *in fine* D. Anton. *par.* 1. *tract.* 10. *cap.* 3. ut ad ejusdem culpæ remissionem sufficiat minor dispositio, quam sufficeret ex natura rei, sic enim & per Sacramentum dicitur remitti peccatum mortale, ex eo quia ad hoc cum Sacramento sufficit attritio, quæ ex natura rei non sufficeret, sed dicitur quod hoc ex sola institutione Ecclesiæ fieri non potest, ut ad remissionem culpæ sufficiat imperfectior pœnitentia, quam sit ex natura rei necessaria, quia Dei est peccata remittere, & indulgere, ut in casu aliquo minor dispositio sufficiat. Quod vero Deus instituerit, ut ad remissionem venialis sufficiat minor dispositio, in suscipientibus indulgentias, nec ex scripturis, nec ex traditione, aut ex Patribus colligitur, & non nisi voluntariè asseritur. Quod verò in Sacramento sit institutum, ut attritio sufficiat, hoc ideò factum fuit, quia Deus supplevit imperfectionem dispositionis per aliud nobilius donum, scilicet per gratiam justificantem, & ita non fit imperfecta remissio. Non potest verò Ecclesia extra Sacramentum gratiam infundere, cum tamen sine actu formato per gratiam peccatum veniale non remittatur.

QUÆSTIO VIII.

An per Indulgentias remittantur pœnæ Sacramentales in foro confessionis impositæ.

SUMMARIUM.

86 *Per indulgentias remittuntur pœnæ debitæ in foro Dei.*
87 *Per indulgentias non remittitur directè pœna debita in foro externo.*
88 *Nec tollitur obligatio ad pœnam medicinalem, sed hoc explicatur.*
89 *Sensus quæstionis.*
90 *Opiniones diversæ.*
91 *Per indulgentiam relaxatur pœnitentia imposita à Confessore.*
92 *Et hoc fit independenter à Confessario.*
93 *Nec est necessaria satisfactio æquivalens exhibita à pœnitente.*
94 *Nec tollitur sola obligatio ad pœnitentiam injunctam, sed satisfit Deo.*
95 *Quidam volunt obligationem ad pœnitentiam non tolli, nisi per subtractionem materiæ.*
96 *Et quod per satisfactionem æquivalentem redditam ad libitum consequenter tollatur dicta obligatio.*
97 *Pontifex directè relaxat obligationem inolendi pœnitentiam.*
Indulgentia est judicialis quædam absolutio à pœna.

86. PRæsupponitur tanquam de fide certum per indulgentias remitti pœnas à peccatore divinæ justitiæ debitas in foro Dei; nam hic est sensus communis Ecclesiæ, quem etiam admiserunt Div. Thom. 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 3. & cæteri Catholici DD. quorum quamplures relati fuerunt supra *quæst.* 1. 2. *&* 3. Nam eumdem sensum expresserunt etiam Pontifices, ut patet *in extravag. unigenitus de pœnit. & remiss. in* 6. Nam cum fundamentum potestatis indulgentiarum desumatur ex eo quod Christus Petro dixit Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram erit solutum & in Cælis*, & dictio *quodcumque* universaliter sit accipienda, sequitur quod Pontifex Petri successor possit fideles solvere à ligamine, & debito, seu reatu pœnæ debitæ in foro Dei pro peccatis illorum.

87. Immò tanquam certum supponitur, quod per se, & directè per indulgentias non fit remissio pœnarum, quæ debentur in foro externo Ecclesiastico, quia hujusmodi pœnæ immediatè non ordinantur ad satisfaciendum Deo, sed ad satisfaciendum Ecclesiæ, ideò non habent connexionem per se cum remissione culpæ, & pœnæ in foro Dei. Potest enim esse quod aliquis sit liber à culpa, & pœna coram Deo, & tamen sit obnoxius pœnæ Ecclesiasticæ, de quo videri possunt DD. *in cap. de his de accusat.* Tiraquell. *de pœnis temper. caus.* 28. *num.* 18. Covarr. *l.* 2. *var. cap.* 25. *num.* 13. Guttier. *l.* 1. *quæst. cap.* 2. *num.* 13. *& cap.* 12. *numer.* 16. & alii. Et eadem ratione potest è converso aliquis esse punitus in foro externo, & non in foro Sacramentali, seu Dei. Pro-

Propterea Prælatus potest alicui remittere pœnas externi fori non remissa culpa, & pœna debita in foro Dei. Et Sacerdos pœnitenti punito in foro externo potest imponere pœnitentiam in foro Sacramentali. Quamvis pœnitens si pœnas externi fori virtuosè sustineat, & in statu gratiæ, possit etiam satisfacere, & satisfaciat in foro Dei, & taliter quod Confessarius teneatur illam pœnitentiam respicere, & illius rationem habere. In hoc enim credere debet pœnitenti; quod tamen facere non tenetur Judex in foro externo.

88. Item per indulgentias non remittitur pœna medicinalis. Suarez *disp. 50. sect. 2.* Palaus *tract. 24. par. 3. num. 3.* Lezana *verb. Indulgentia num. 21.* quia indulgentia nec moderatur passiones, nec pravos habitus minuit, & ideo ubi pœnitentia à Confessario sit data, ut medicina infirmitatis pœnitentis, per indulgentiam non tollitur obligatio ad hanc pœnitentiam implendam. Quod tamen limitant Card. de Lugo *disp. 28. num. 23. & seq.* Leand. *tract. 5. disput. 14. num. 172.* ut procedat tantùm in illis pœnis, quæ simul sunt medicina ex divino, seu naturali Jure necessaria. Quia alias Confessarius, ut medicus non præcipit, sed dirigit, & cum omnis pœna infligatur, etiam ut medicina, nihilominus ablata obligatione ad pœnam, cessat obligatio ad medicinam.

89. Quoniam verò inter pœnas debitas in foro Dei aliæ sunt, quæ de facto injunctæ fuerunt à Confessario, aliæ potuerunt imponi, sed non sunt impositæ, prius quæritur, an per indulgentiam remittantur pœnæ debitæ in foro Dei non obstante quod sint impositæ à Confessario.

90. Circa hoc autem multiplex fuit opinio, ut enim referunt Gloss. *in cap. quod autem de pœnit. & remiss. verb. prosint*; & ibidem Panorm. *numer.* 8. quidam dixerunt, quod Indulgentiæ prosunt quoad Deum, non quoad Ecclesiam, quia nihilominùs peccator tenetur agere pœnitentiam de peccato. Secunda opinio dixit, quod prosunt quoad pœnitentiam injunctam ex superabundanti, & ad cautelam. Tertia opinio voluit, quod proint quoad Deum, & quoad Ecclesiam, sed concedens oneret se satisfaciendum pro illo jejuniis, & orationibus. Quarta opinio tenuit, quod valeant in Purgatorio respectu pœnitentiæ hic neglectæ. Quinta opinio dixit, quod prosint etiam quoad pœnitentiam hic injunctam, dummodò Sacerdos, qui imposuit pœnitentiam consentiat, quod peccator possit compensare pœnitentiam cum indulgentia; alias secus. Sed præterea alii apud D. Thom. 4. *distinct. 20. quæst. 1. art. 3. quæst. 1.* dixerunt per Indulgentias non remitti reatum pœnæ coram Deo, sed tolli obligationem, & vinculum à Confessore impositum, quod non est majus quam vinculum humano Jure inductum. Alii crediderunt hanc remissionem fieri per subtractionem materiæ obligantis ex eo quod Indulgentia ritè suscepta satisfaciat Deo, & sic tollat reatum, & debitum satisfaciendi illi per pœnitentiam injunctam. Alii hoc rejiciunt dicentes sequi, quod si pœnitens velit per opera ad beneplacitum suæ voluntatis satisfacere Deo, & id faciat, liberetur ab onere implendi pœnitentiam impositam: quo dato dicunt enervari satisfactiones Sacramentales, & ad libitum earum obligationes tolli.

91. Dicendum est indubitatum esse, quod indulgentia in effectu ritè suscepta relaxat Sacramentales pœnitentias juxtà modum, & qualitatem Indulgentiæ. Communis est hæc assertio inter Theologos, & Canonistas, eamque docuit D. Thom. *in 4. dist. 20. quæst. 1. artic. 3.* D. Bonav. *4. dist. 20. par. 2. art. 1. quæst. 2. & eadem distinct.* Albertus Magnus *artic. 16. & 17.* Innocentius Quintus *quæst. 3. artic. 1. & 3. ad 5.* Ricard. *art. 3. quæst. 1.* Durand. *quæst. 4. & 5.* Palud. *quæst. 4. artic. 2.* D. Anton. *par. 1. tit.* 10. *cap. 3. in princ. & §. 1. & 3.* Sylvest. *verb. indulgentia num. 6. 7. 8. & 27.* Tabien. *num. 5.* Armill. *num. 5. & 6.* Sotus *in 4. distinct. 21. quæst. 1. art. 1. & 2.* Cajet. *tom. 1. opusc. tract. 8. cap. 1. & tract. 16. cap. 4.* Suarez *tom. 4. in 3. par. disp. 50. sect. 2. num. 6.* Val. *tom. 4. disp. 7. quæst. 20. par. 1.* Henriq. *lib. 7. cap. 1.* Franciscus Leo *in thesaur. par. 1. cap. 7.* Torreblanca *in pract. Iuris spirit. lib. 14. cap. 13. num. 5.* Rodriq. *in Bull. Cruciata fundam. 5. num. 3.* Trullen. *in Bulla Cruciata §. 1. dub. 14. num. 2. & 4.* Lezana *par. 4. verb. indulgentia num. 21. & verbo Iubilæum numer. 21.* Bonac. *disput. 6. de pœnit. par. 1. & 2.* Palaus *tract. 24. part. 3. num. 3.* Cotton. *lib. 2. contr. 11. num. 6.* & reliqui Theologi omnes. Et ex Canonistis Gloss. *in cap. quod autem in verb. prosint de pœnit. & remiss.* & ibi Panorm. *num.* 8. & alii Canonistæ. Item Gloss. *in Extravag. Antiquorum in verb. confitebuntur eod. tit.* Turrecrem. *§. Item in Levitico artic. 2. num. 18.* Bolog. *de indulg. num. 9. & 10.* Fælyn. *num. 15.* Navarr. *not. 10.* Guerter. *in specul. Iuris cap. 28.* Barbosa *alleg. 88. num.* 1. R. P. D. Fagnan. *cap. cum eo num. 13. eod. tit.* Et à contrario sensu colligitur ex textu *in cap. cum ex eo de pœnit. & remiss.* ubi dicitur, *per indiscretas & superfluas indulgentias satisfactionem Sacramentalem enervari*, quod est id, quod dixit etiam Concil. Trid. *sess. 25.* Ubi igitur Indulgentiæ sint discretæ non enerventur, sed legitimè relaxantur pœnitentiæ Sacramentales.

92. Malè autem limitatur hæc assertio à quinta opinione, volente, quod hoc non fiat nisi dependenter à voluntate Confessoris, qui pœnitentiam imposuit, quia potestas concedendi indulgentias non est subordinata Confessario, & provenit ex illa suprema potestate ligandi, & solvendi, quam Christus Dominus Petro tradidit. Gloss. *in d. cap. quod autem de pœnit. & remiss. in verb prosint* Panorm. *num.* 8. Corduba *quæst. 10.* Angelus *verb. Indulgentia num. 1.* Suarez *disp. 50. sect. 2. numer. 12.* Sylv. *verb. Indulgentia numer. 23.* Inde est quod etiam si Papa esset Confessor, & imponeret pœnitentiam, si nollet eam relaxari per indulgentias necesse esset, ut uteretur non sola potestate Confessoris, sed ea suprema Summi Pastoris, qua potest ligare, & solvere, & alias in tali casu privare potestate concedendi Indulgentias, & suas ipsas limitare, ut pro tali casu, & persona non valerent.

93. Pariter quoque prima, secunda, tertia, & quarta opinio sunt prorsùs improbabiles, & pro libito sine ratione limitant potestatem Summi Pontificis. Unde illas rejiciunt Gloss. & Panorm. ubi supra, Corduba *dicta quæst. 10.* Suarez *d. sect. 2. num. 12.* Nam si est necessaria condigna satisfactio exhibita à pœnitente, jam illa debitum pœnæ aufert, & sic ad nihil juvat indulgentia, Quod falsum est evidenter; indulgentia igitur necessitatem pœnitentiæ Sacramentalis supplet, & per se sufficit ad tollendam obligationem alterius satisfactionis. Item cum indulgentiam concedens justè agat, & de thesauro Ecclesiæ applicet condi-

condignam satisfactionem, non est unde ille, vel maneat obligatus, vel debeat se obligare ad satisfaciendum. Item qui indulgentiam rite lucratur, cum jam satisfecerit divinæ Justitiæ, non male facit, si pœnitentiam sibi impositam implere nolit, quia juste illius relaxationem obtinuit.

94. Quod verò affirmat sexta opinio, potest habere duplicem sensum. Primus est, ut indulgentiæ nullus alius sit effectus, nisi quod tollat obligationem pœnitentiæ impositæ à Confessario. Et sic quod non remittat pœnam debitam culpæ in foro Dei, sed solam obligationem implendi pœnitentiam impositam à Confessario, manente obligatione satisfaciendi Deo pro pœna debita ex divina Justitia. Et in hoc sensu illa opinio rejici debet; est enim contra communem sensum Ecclesiæ, qui est, quod de thesauro Ecclesiæ tantum solvatur divinæ Justitiæ quod sit æquivalens pœnitentiæ impositæ à Confessario, & quia hæc æquivalens satisfactio applicatur, ideò pœnitens sit absolutus à pœna sibi injuncta, ut explicat D. Thom. *4. dist. 20. quæst. 1. art. 3. quæst. 1.* Ubi hoc optimè probat duplici ratione; Primò quidem, quia opinio contraria est directè contra privilegium datum Petro, ut quod in terra remitteret, & in Cœlo remitteretur, unde remissio, quæ fit quantùm ad forum Ecclesiæ valet etiam quantùm ad forum Dei. Secundo quia Ecclesia concedens hujusmodi indulgentias, magis damnificaret, quam adjuvaret; quia remitteret pœnitentem ad pœnas Purgatorii graviores; absolvendo à pœnitentiis injunctis. Propter quas rationes eam sententiam meritò rejecerunt Innocentius Quintus *4. dist. 20. q. 3. art. 2.* D. Bonav. *art. 1. quæst. 2.* Ricard. *art. 3. q. 1.* Dur. *q. 4. num. 9. & 10.* Palud. *q. 4.* D. Anton. *par. 1. tit. 10. cap. 3. §. 3.* Cajet. *p. 1. tract. 8. c. 1. & tract. 16. cap. 4.* Sylvest. *verb. indulgentia num. 5.* Tabien. *num. 12.* Armill. *numer. 6.* Turrecrem. *§. Item in Levitico art. 2. num. 18.* Bologn. *de Indulg. num. 10.* Suarez *d. sect. 2.* Cardinalis de Lugo *disp. 27. num. 7. & 22.* Secundus sensus est, quod concedens indulgentiam nedùm det unde satisfit Justitiæ Dei, sed insuper ex hoc dispenset cum pœnitente, ut non teneatur implere pœnitentiam sibi impositam.

95. Sed hunc sensum rejicit septima opinio, quæ existimat, quod dispensatio vel relaxatio hujus obligationis non sit necessaria, vel si asseritur necessaria dicendum sit indulgentiam per se non relaxare debitum pœnitentiæ Sacramentalis, sed solùm concomitanter ex vi dispensationis distinctæ ab indulgentia, quæ dispensatio sit novus favor ab indulgentia distinctus. Propterea ut hoc vitet, inquit, quod hæc obligatio sine ope specialis dispensationis deficiat ex natura rei, ex eo quod indulgentia est remissio pœnæ temporalis debitæ in foro Dei. Et sic cum à Confessore imponatur pœnitentia, ut pœnitens satisfaciat Deo, ubi alias pœnitens per indulgentiam satisfecit, cessat & finis præcepti confessoris, & ejusdem obligatio. Itaque hæc sententia vult, quod Pontifex directè non relaxet obligationem satisfaciendi per pœnitentiam impositam à Confessario, sed solum indirectè, & consecutivè per subtractionem materiæ, quia ubi Deo est satisfactum, cessat obligatio satisfactionis impositæ à Confessario. Ita sentiunt Suarez *disp. 50. sect. 2. num. 7.* de Lugo *disp. 27. de pœnit. num. 7.* Palaus *tract. 24. par. 3. num. 1.*

96. Et quia ex hoc sequitur, quod si pœnitens aliundè per voluntaria opera satisfecit divinæ Justitiæ, quod etiam sine indulgentia nihilominus sit liber ab obligatione pœnitentiæ Sacramentalis, quod octava opinio habet pro magno inconvenienti, quia enervatur valdè satisfactio Sacramentalis, immò ejus obligatio tollitur. Respondet Suarez *d. disp. 38. sect. 10. num. 11. & disp. 50. sect. 2. num. 9.* non sequi aliquod inconveniens. Tum quia pœnitenti non licet directè, & ex proposito velle satisfacere per alia opera, ut relaxata maneat obligatio pœnitentiæ Sacramentalis, quia hoc esset agere in fraudem præcepti confessoris. Tum quia possunt esse alia peccata, pro quibus pœnitens non satisfecerit, nunquam vero pœnitens remanet liber à satisfactione Sacramentali, nisi integrè pro omnibus peccatis suis satisfecerit. Tum quia non potest tam de facili peccator scire se integre satisfecisse pro omnibus peccatis suis, & ideo non manet liber ab obligatione satisfactionis Sacramentalis. Solùm igitur si bona fide pœnitens ad arbitrium prudentis viri integré satisfecerit, tunc cessat obligatio injunctæ pœnitentiæ in Sacramento. Quamvis consulendum sit pœnitentibus, ut nunquam hoc titulo se exonerent hac satisfactione, nisi tractata re in foro pœnitentiæ cum eodem, vel alio Confessario.

97. Sed considerandum mihi videtur, quod indulgentia nedùm Deo solvit æquivalens applicando de thesauro Ecclesiæ satisfactiones Christi, & Sanctorum, sed id facit ex Dei lege, & speciali clavium potestate, unde indubitate Deus acceptat hujusmodi satisfactionem in locum satisfactionis Sacramentalis. Ex hoc igitur dicitur, non esse hic necessariam specialem dispensationem ab Indulgentia distinctam, sed indulgentia ipsa ex natura rei remittendo pœnam in foro Dei debitam, facit ut cesset debitum alterius satisfactionis. Indulgentia enim est judicialis quædam absolutio à pœna, quæ ex consequenti claudit relaxationem pœnæ, & obligationis implendi pœnitentiam injunctam factam directè ex vi potestatis absolutoriæ, quam habet concedens indulgentias. Sed etiam si diceretur hujusmodi relaxationem fieri solum consequenter ex subtractione materiæ, non tamen ex hoc sequeretur, quod si pœnitens sponte sua per alia opera exhibeat Deo satisfactionem æqualem, maneat liber à satisfactione Sacramentali, quia quidquid sit, an redditio satisfactionis æquivalentis exoneret à satisfactione præcepta, & quæ veluti transiit in contractum, quod certè habet difficultatem, & septima illa opinio probare debuisset; quod Deus acceptet hujusmodi æquipollentiam in præjudicium præcepti Sacerdotis, nostra resolutio non pendet ex hoc solum, quod per indulgentiam reddatur æquivalens, sed quod reddatur æquivalens ex Dei lege acceptum in locum satisfactionis Sacramentalis tanquam redditum ex potestate clavium à Christo ad hunc finem data.

Et ideò ex vi talis absolutionis, & acceptationis, & ex natura ejus manet relaxata obligatio implendi pœnitentiam Sacramentalem.

***

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

An ei, qui lucratus fuit indulgentiam sit licitum pœnitentiam Sacramentalem sibi injunctam omittere.

SUMMARIUM.

98 *Opiniones.*
99 *Consilium non omittere pœnitentias injunctas.*
100 *Indulgentia per se liberat ab onere pœnitentiæ.*
101 *Probatur hoc.*
102 *Limitant aliqui ad indulgentiam plenariam.*
103 *Ut quis ratione Indulgentiæ possit omittere pœnitentiam, quid requiratur.*
104 *Limitatur assertio ad pœnitentias non medicinales.*
105 *Absolutus à pœna est absolutus à medicina.*
106 *An Confessarius directè possit obligare ad medicinam.*
107 *Confessarius potest obligare ad acquirendam Indulgentiam.*
108 *Solvuntur obiecta.*

98. PRima opinio existimat, quod considerato modo, quo Pœnitentiæ Sacramentales imponi solent, rarò, vel nunquam licet omittere pœnitentias à Confessario injunctas propter indulgentias, Quia pœnitentiæ injunctæ sunt simul medicinæ, à quibus indulgentia non liberat: modo autem adeo leves indulgentiæ imponuntur, quòd vix sufficiunt per modum medicinæ. Ita Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 38. sect.* 10. *num.* 10. & similia tradens *disp. 50. sect. 2. assert. 3.* quem sequitur Palaus *tract. 24. par. 3. num. 6.* Sed Trullench. in Bullam Cruciatæ *§. 1. dubit. 14. num.* 14. existimat consequentem indulgentiam etiam de injunctis, imò etiam plenam, & totalem non esse liberum à præcepto pœnitentiæ impositæ à Confessario, nisi id colligatur expresè ex concedentis intentione, vel nisi imponatur à Confessario pœnitenti pro satisfactione pœnitentiali ipsa indulgentiæ consequutio. Et pro hac sententia dicat Henriquez *lib. 7. cap. 17. num 3. & lib. 2. cap. 22. numer. 5.* Idem voluit Valentia *tom 4. disp. 7. quæst. 20. part. 3.* & Duallius *de indulg. quæst. 8.* Et videtur, quod ita senserit etiam Palud. *4. dist. 2. quæst. 4. art.* 1. *2. parte conclus. 2.* & D. Anton. *par.* 1. *tom.* 10. *cap. 3 §. 3.* Urget verò Valentia. Tum quia exequi pœnitentiam injunctam à Confessario sit de Jure divino, in quo Papa non dispensat. Tum ab absurdo, quia sic cum sint multæ indulgentiæ, pœnitentes possent semper pœnitentias Sacramentales omittere.

99. Sed communis, & vera sententia duo docet. Primum est, consilium saluberrimum esse, non omittere pœnitentias injunctas à Confessario, occasione indulgentiæ, & hoc consulendum esse pœnitentibus; tum quia prosunt ad meritum, quod pluris est faciendum, quam redemptio pœnæ temporalis, quam fert Indulgentia. Tum quia homo frequenter est debitor pœnæ majoris, quam putet. Tum quia ex multis potest impediri consequutio indulgentiæ etiam plenariæ, & potest contingere, quod etiam per Jubilæum non obtinuerit plenam pœnarum sibi debitarum remissionem. Ita D. Thom. & alii DD. infra citandi.

100. Secundum est, quod qui lucratur Indulgentias per se est liber ab obligatione præcepti implendi pœnitentiam injunctam à Confessario, iuxtà tamen modum, & quantitatem indulgentiæ consecutæ. Sic docent Div. Thom. *4. dist. 20. quæst. 1. artic. 3. quæst. ad* 4. D. Bonav. *eadem dist. art. 2. quæst. 2.* Albertus Magnus *artic. 17. ad 5.* Dur. *quæst. 4. numer. 9.* Palud. *quæst. 4.* Sylvest. *verb. Indulg. num. 23.* Angelus *num.* 1. Tabien. *num.* 12. Armill. *num.* 12. Cajet. *part.* 1. *opusc. tract. 16. qu. 4.* Cardinalis de Lugo *de pœnit. disp. 27. numer. 21.* & apud eum Viguer. Richard. Palatius, Adrianus, & Gonin. Vasquez *quæst. 94. art. 2. dub. 3. membr.* 1. Lezana *verb. Iubilaum num. 21.* Cotton. *lib. 2. controv. 11. num. 6.* Diana *par.* 10. *tract. 12. resol. 46. & par. 5. tract. 12. res. 3.* & apud eum Tannerus, Granadus, Faustus, & Ludovicus à Cruce, Leander *tract. 5. de pœnit. disp. 14. quæst. 172.* Estque hæc assertio communis etiam apud Canonistas, quam tenuerunt Gloss. *in cap. quod autem in verb. ut prosint de pœnit. & remiss.* & ibi Panorm. *num. 8.* & apud eum Gosfred. Trullen. & Io. And. & Add. ad Panorm. *litt. C.* & ibidem Butr. & Card. Item Gloss. *in Extravag. Antiquorum in verbo confitebuntur.* Turrecremata *§. Item in Levitico de pœnit. dist.* 1. *art.* 1. *ad* 2. Ludovicus Bolognettus *de Indulgen num.* 10. Fælyn. *num.* 15. & apud eum Hostien. R. P. D. Fagnan. *cap. ex eo numer.* 13. *de pœnit. & remiss.* & apud eum Marian. Soccin. ibidem *in 8. notab.*

101. Probatur autem primo hæc sententia communis, quia *in cap. cum ex eo de pœnit. & remiss.* dicitur per indiscretas indulgentias enervari pœnitentias, seu satisfactiones Sacramentales, quod etiam sensit Concil. Trident. *sess. 25.* in decreto de indulg. At verò inutiliter & superfluè hoc dictum esset, si indulgentiæ non liberarent ob obligatione implendi pœnitentias impositas in foro Sacramentali, sed ad eas ex præcepto teneretur, qui indulgentiam lucratus fuit. Tum secundo, quia ut refert Glos. *in extravag. Antiquorum in verb. confitebuntur.* Bonifacius VIII. in Concistorio declaravit, quod pœnitentiæ antea injunctæ tolluntur per indulgentiam. Tum tertio, quia Palud. *d. dist. 20. quæst. 4. art. 3.* in fine refert, quod cum Pœnitentiarius tempore Iubilæi, iis qui Iubilæum consequuti fuerunt injungeret pœnitentias, Papa illi mandavit, quod non injungeret, quia invitis imponi non debebat, voluntariis poterat. Et aliquid simile ex Gloss. *in d. extravag. antiquorum* refert de Lugo *num. 23.* Tum quarto, quia per indulgentiam penitùs absolvitur à pœna Deo pro peccatis debita, & quidem à Iudice auctoritate Dei judicante, & de thesauro solvente æquivalens satisfactioni impositæ à confessario, si ergo ab obligatione pœnitentiæ non absolveretur inanis esset indulgentia, vel duplex pœna pro eodem delicto reddi deberet, & consequens indulgentiam nihil obtineret.

102. Limitatur tamen assertio, primo ut intelligatur de indulgentia plenaria, & totali, non vero de partiali. Et ita de Lugo *d. disp. 27. num.* 31. & supponit Diana *par. 5. tract. 12. resol. 3.* Quia potest esse, quod indulgentia partialis non sit adæquata pœnæ debitæ à pœnitente, sed hujus limitationis veritas pendet ab illius quæstionis veritate, an scilicet indulgentia remittat solum pęnitentias injunctas actu à Con-

à Confessario, an verò etiam pœnas, quæ clave non errante injungi possent, & deberent. Nam si vera esset prima opinio, de facili constare posset, an Indulgentia adæquaret, aut etiam superabundaret; quia v.g. Indulgentia septem annorum, vel decem, vel triginta excedit pœnitentiam jejunii per mensem, vel etiam per annum respectivè, sed hic considerari debet, quod aliud est, quod Indulgentia per se liberet ab obligatione pœnitentiæ, aliud est, an pœnitenti hæc duo constare debeant; primum scilicet, an Indulgentia adæquet pœnitentiam injunctam, & injungendam, & secundum an ipse verè sine defectu Indulgentiam lucratus sit, & an de facto pœnitentiam omittere possit, si sibi utrumque prædictorum non constat.

103. Dicitur propterea, quod assertio non indiget limitatione per se loquendo, quia ipse Indulgentia per se, & ex se liberat ab obligatione pœnitentiæ injungendæ, vel injunctæ, vel pro toto, vel pro parte, secundum amplitudinem, in qua est concessa, ut infra est explicandum. Sed quantum ad secundam quæstionem Dian. *quæst.* 5. *tract.* 12. *res.* 3. in fine existimat, quod sufficiat si pœnitens probabiliter sibi persuadeat se consecutum fuisse Indulgentiam, & ideò ad pœnitentias à Confessario injunctas, se amplius non teneri, sed dicendum est requiri cognitionem certam, Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 38. *sect.* 10. Bonac. *disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 3. *par.* 4. *num.* 10. & nedum non sufficere probabilem, sed neque probabiliorem, aut probabilissimam, si hæc probabilitas non ferat moralem certitudinem, quia ubi res manet dubia, locum habet regula illa, quod in dubio an certa lex aut præceptum sit abrogatum, aut relaxatum præceptum obligat, & ei est obediendum, quia pro illo stat possessio, ut per DD. quos retuli, & sequutus sum *tom.* 1. *de stat. quæst.* 186. *art.* 8. *num.* 240. Propterea ad hoc ut pœnitens ratione Indulgentiæ omittat pœnitentiam à Confessario injunctam, debet esse certus de duobus, scilicet quod Indulgentia sit talis, quæ liberet ab obligatione pœnitentiæ impositæ, & quod ipse sine defectu lucratus sit Indulgentiam. Ubi verò Indulgentia est plenaria, sufficit si sibi constet de consecutione illius. Tunc verò id sibi constabit, quoties omnibus benè pensatis, nihil sibi conscius erit, quod Indulgentiam non fuerit lucratus.

104. Limitatur secundo assertio communis, ut non verificetur ubi pœnitentia injuncta sit simul medicina. Ita Suarez *tom.* 4. *disput.* 38. *sect.* 10. *num.* 10. *& disput.* 50. *sect.* 2. *num.* 8. Palaus *tract.* 24. *puncto* 3. *num.* 5. Lezana *verbo Iubileum num.* 21. Sed cum de Lugo *disput.* 27. *num.* 24. hoc limitaverit ad eas medicinas, ad quas pœnitens, ut vitet in futurum peccata, tenetur ex jure naturali, vel divino, & ita etiam tenuerint Epit. Candidi *disput.* 52. *art.* 1. *num.* 7. Leander *q.* 172. nihilominus hoc non placet Dianæ *part.* 10. *tract.* 11. *res.* 46. & apud eum Martin. à S. Josepho. Veritas tamen hujus limitationis ex eo pendet, an Confessarius, ut medicus, possit directè obligare ad aliquid agendum tanquam ad medicinam. Constat verò ipsum posse declarare obligationem, quam ex jure naturali, aut divino, aut etiam positivo pœnitens habet, vel ad fugiendam occasionem peccandi, vel ad restituendum; vel ad aliud similiter agendum. Constat etiam quod opera pœnalia se ipsis habent etiam rationem medicinæ, & multum valent ad retrahendum hominem à malo, quod latè probat Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. Unde pœnitentiæ sacramentali injuncta est quædam ratio medicinæ, & propterea pœnitentia sacramentalis imponitur etiam ut medicina, sed hoc non est proprium illius, sed convenit etiam pœnæ in foro externo impositæ; Pœna enim suaptè natura à peccato revocat, & quasi frenum à malo coercet, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficit, & medetur peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus contrariis virtutum actibus tollit.

105. Sed, ut in hoc benè discurrit de Lugo, hujusmodi ratio medicinæ consecutivè, & accessoriè se habet ad pœnam, ut est ad vindictam, & satisfactionem pro delictis, undè absoluto reo ab obligatione satisfaciendi, quam habet ex Justitia vindicativa, simul manet absolutus ab illa medicina sumenda. Et sic ubi Confessarius non imponit medicinam nisi consecutivè, & accessoriè ad satisfactionem, absoluto pœnitente ab obligatione satisfactionis, manet absolutus à medicina.

106. Solum igitur posset esse difficultas, si Confessarius directè, & per se obligaret ad medicinam, ut medicina est. Sed certè difficile est asserere, quod Confessor possit directè obligare ad medicinam præcipiendo, & novum onus imponendo. Medici enim est consulere, non præcipere. Et impositio jejunii, ut medicina, cum non sit impositio satisfactionis, nec sit opus Judicis, ut Judicis, non videtur qualiter sit actio, quæ sit pars integralis judicii sacramentalis, seu confessionis. Et Concil. Trident. *dicta sect.* 14. *cap.* 8. ex eo probat, quod Sacerdos debet imponere satisfactionem in vindictam, quia *Claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent*. Ex hoc enim habetur, quod Confessor, ut medicus, non ligat, quia si ut medicus ligaret, ineptè diceretur, quod non debet solum ut medicus adhibere medicinam, sed etiam imponere pœnam, & satisfactionem, quia ipsius non solum est solvere, quod ad officium medici videtur pertinere, sed etiam ligare, & sic pœnam imponere, hic enim modus arguendi non subsisteret, si Confessor etiam ut medicus ligaret; quamobrem dicendum est limitationem non procedere in medicina imposita à Confessario, nisi ut declarante obligationem alterius legis ad medicinam obligantis, & solum in casu, in quo pœnitentia à Confessario imposita simul aliunde, vel ex lege naturali, aut divina sit medicina necessaria.

107. Ex his sequitur, quod Confessarius tempore Indulgentiæ potest leviores pœnitentias injungere obligando pœnitentem ad lucrandam Indulgentiam. Nam ad hoc Indulgentiæ conceduntur, ut pœnitentes subleventur: de Lugo *num.* 30. Imo pœnitens ipse gravatus multis pœnitentiis, potest se sublevare acquirendo Indulgentiam plenariam. Idem *num.* 31.

108. Ad ea, quæ in oppositum adducta sunt ex Valentia respondetur; & ad primum dicitur, quod illud argumentum jam fuerat solutum à Cajet. *par.* 1. *opusc. tract.* 16. *quæst.* 4. Nam cum potestas Indulgentiarum sit potestas Christi, ex privilegio etiam se extendere potest ad ea, quæ sunt juris divini, & cum potestas clavium etiam se extendat ad remissionem culpæ, multò magis se extendere potest ad remissionem pœnæ. Quamvis etiam aliter dicatur, quod de jure

jure divino est quod homo peccator satisfaciat ad æqualitatem divinæ Justitiæ, & in hoc Papa non dispensat, sed modus satisfaciendi est à Christo demandatus Petro, & ideò ejus per se, vel per ministros est determinate, ut satisfiat potius per hanc actionem quam per aliam, vel aut per propriam pœnitentis satisfactionem, aut per alterius satisfactionem sibi applicatam, quod fit in Indulgentiis.

109. Ad secundum respondetur, valdè difficile esse, ut ratione Indulgentiæ partialis quis possit omittere sacramentalem satisfactionem. Indulgentias verò plenarias non habet pœnitens ita in promptu, ut per illas possit tam de facili easdem satisfactiones omittere. Quamvis nullum inconveniens esset, si pœnitens certus de acquisitione Indulgentiæ plenariæ ex hoc quandocumque vellet satisfactionem omitteret, esset enim certus, se satisfecisse divinæ justitiæ, & ad aliam satisfactionem non teneri.

QUÆSTIO X.

An quando Indulgentia conceditur absolutè sine clausula *de injunctis*, liberet etiam ab injunctis, quam ab injungendis.

SUMMARIUM.

110 *Indulgentiam esse remissionem solùm injunctarum satisfactionem quidam volunt.*
111 *Indulgentia absolutè concessa non est limitata ad pœnas actu à Confessario injunctas.*
112 *Concessio Indulgentiæ est favor.*
113 *Pontifex concedens plenariam intendit concedere plenam quantum potest.*
114 *Et quando indeffinitè conceditur Indulgentia partialis intelligitur concessa etiam à non injunctis.*
115 *Non est in jure regula, quod Indulgentia concedatur solùm de injunctis.*
116 *Ex eo quod Indulgentia est determinata ad annos, non sequitur, quod sit solum de injunctis.*
117 *Concessio Indulgentiæ non est necesse, ut fiat tantùm de pœnis debitis peccatis confessis.*

118. Senserunt aliqui, quod Indulgentia nunquam liberet pœnitentem nisi à pœnitentiis injunctis. Cajetanus *tom.* 1. *opus tract.* 15. *cap.* 2. *&* 7. Armilla *num.* 6. Referuntur pro hac sententia Alens. 4. *part. quæst.* 23. *num.* 2. Adrian. *quæst. ultim. de Indulg.* Durand. 4. *dist.* 20. *quæst.* 4. *num.* 9. Paludanus *quæst.* 4. *artic.* 1. *in* 2. *part. conclus.* 2. & Div. Anton. *par.* 1. *tit.* 10. *cap.* 3. *§.* 3. Sed Durand. loquitur in terminis *quæst. seq.* & juxta antiquam formam concedendi Indulgentias cum clausula de injunctis pœnitentiis. Palud. autem & Div. Anton. oppositum sustinent secundum eorum propriam sententiam. Apud illos enim idem est Indulgentia unius anni v. g. quod remissio pœnæ Purgatorii in ea quantitate, in qua fuisset remissa per unum annum pœnitentiæ, ut sit idem dicere remitto tibi annum de pœnitentia, & dicere, tantum minus punieris in Purgatorio, quantum esset, si uno anno continuè egisses pœnitentiam in hac vita. Et ideò ipsi volunt, quod Indulgentia non liberet ab obligatione cujuscumque injunctæ pœnitentiæ, sed tamen quod liberet à pœnis Purgatorii ad proportionem non pœnitentiæ injunctæ, sed quæ haberetur in hac vita.

119. Supra relata tamen opinio probatur; Tùm primo quia forma juris in concedendo Indulgentias est ut concedatur pro pœnitentiis injunctis *cap. cum ex eo de pœnit. & remiss.* Clemen. *Abusionibus* 2. *de reliq. & venerat. Sanctorum*; ergo etiam ubi Indulgentiæ conceduntur sine dicta clausula, ipsa debet subintelligi, quia concessio Indulgentiæ debet intelligi ut facta in forma juris. Tum secundo quia Indulgentia concessa per annos decem, viginti, aut triginta &c. aut per dierum quadragenas non fit nisi juxta canones pœnitentiales taxantes pœnas pro peccatis injungendas; igitur illa Indulgentia non conceditur nisi de pœnitentiis juxta sacros Canones injunctis. Tum tertio nam consentaneum est, ut Judex Ecclesiasticus non judicet nisi de delatis ad suum Tribunal, & judicium, igitur ut Indulgentia non sit nisi remissio pœnarum injunctarum pro peccatis ad forum pœnitentiæ deductis, & ibi punctis.

120. Nihilominus sententia communis est, quod ubi in forma concessionis est clausula de injunctis penitentiis, concedatur remissio penitentiarum tam injunctarum, quam earum, quæ clave non errante injungi potuissent, seu quod remittantur pœnæ Purgatorii respondentes penitentiis tam injunctis, quam de jure injungendis, juxta tamen amplitudinem, & quantitatem concessionis. Primò autem ita sentiunt illi, qui volunt quod per Indulgentiam remittatur pœna Purgatorii independenter à pœnitentia taxata per Confessarium, unde propterea existimant, quod Indulgentia non liberet ab obligatione pœnitentiæ. Quamvis enim in hoc errent, quia ad minus per subtractionem materiæ pœnitens liberatur ab onere implendi pœnitentiam ad satisfaciendum divinæ justitiæ, si alias pœna Deo debita est remissa; nihilominus sentiunt, quod remittatur non sola pœna illa Purgatorii, quæ respondet pœnitentiæ iniunctæ, sed quod absolutè remittatur tanta pœna Purgatorii, quanta respondet pœnitentiæ, quæ fieret in hac vita juxta quantitatem concessam, ut v. g. si Indulgentiæ septem anni concessi sunt, homo per Indulgentiam obtineat remissionem tantæ pœnæ in Purgatorio, quantæ obtinuisset per pœnitentiam septem annorum in hac vita, ac si per septem annos pœnituisset. Quæ fuit sententia Palud. & Div. Antonin. locis citatis. Sed assertionem positam expressè docuerunt Div. Thom. 4. *distinct.* 20. *quæst.* 1. *artic.* 3. *q.* 1. ibi: *Et ideò aliter dicendum, quod valent, & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad judicium Dei, ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, & absolutionem, & confessionem, sivè sit injuncta, sivè non.* Innocentius V. eadem *dist. quæst.* 3. *capit.* 3. Sylv. *verb. Indulgentia quæst.* 2. *num.* 5. circa finem Tabien. *num.* 12. Sotus 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *artic.* 1. *concl.* 3. Corduba *de Indulgent. quæst.* 9. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 27. *art.* 2. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *par. disput.* 50. *sect.* 3. *à nu.* 14. Sylvius *in* 3. *partem* Div. Thom. *quæst.* 25. *supplem. artic.* 2. *quæst.* 1. Nugnus *supplem. quæst.* 25. *art.* 1. *dub.* 3. *concl.* 5. Coninch. *disput.* 12. *dub.* 3. *concl.* 4. *&* 5. Layman. *lib.* 5. *tract.* Palaus *tract.* 24. *part.* 3. *num.* 5. Trullench *in Bullam Cruciata §.* 1. *dub.* 14. *num.* 11. Lezana *verb. Iubileum n.* 21. Sanctarell. *de Iubilæo cap.* 15. *dub.* 7. 8. *&* 9.

7. 8. & 9. de Lugo *disput.* 27. *de pœnitent. num.* 10. & 17. Rodriquez *quæst.* 86. *art.* 3. Bellarmin. *lib.* 1. *de Indulgent. cap.* 17. Et ex Canonistis Goffred. Jo. And. & Panormit. *cap. quod autem de pœnitent. & remiss.* quos refert Silvest. *dicto num.* 5. Turrecrem. *§. item in Levitico de pœnitent. dist.* 1. *artic.* 2. *num.* 19. Ludovicus Bologn. *de Indulgent. num.* 70. Fœlin. *de Indulg. num.* 14 Navarr. *notab.* 11. *num.* 13. Barbosa alleg. 8 8. *num.* 13.

113. Hoc verò probatur primo in generali, quia cum Indulgentia nulli noceat, & favorem animarum contineat, sic debet interpretari, ut tantum se extendat, quantum verba significant; Nec obstat, quod aliqui Indulgentias inter odiosa ponant, quia oppositum est verum. Tollere enim pœnitentias injunctas dando æquivalens non est odiosum, cum fit ex juxta causa, dispensatio bonorum communium, quæ ordinata sunt, ut dispensentur; favorabilis est etiam respectu Communitatis, quæ vult talia bona dispensari. Ideò Indulgentiæ quatenus etiam viderentur habere aliquid odiosi, non posset aliud colligi, nisi quod non possent extendi ad alias personas, aut actiones, aut casus similes. Tantum igitur extendi debent quantum verba significant, & sonant Div. Thom. 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. & propterea ubi non adest clausula de injunctis pœnitentiis extendi debent ad pœnitentias etiam non injunctas, juxta tamen amplitudinem concessionis.

114. Probatur secundo de Indulgentia plenaria, & remissione omnium peccatorum; hæc enim manifestè comprehendit omnia peccata, sivè pro eis injunctæ sint pœnitentiæ, sivè non. Quod confirmatur, quia cum Bonifacius VIII. *in extravag. antiquorum*, similem Indulgentiam concessisset, & de ejus extensione dubitatum fuisset, ipse in publico Consistorio teste Cardinali Jo. Monaco in *exposit. d. extravag.* in verbo *plenissimam*, & eodem præsente, & audiente declaravit se voluisset tàm plenam Indulgentiam concedere, quam potest dari per Ecclesiæ claves, quod idem testatur Gloss. *ibi in v. plenissimam.* Nec dici potest, quod ibi Bonifacius loquutus sit ut privatus Doctor, cum ipse per illa verba aperuerit mentem suam, quam habuit in Decretali data à se ut Pontifice.

115. Probatur tertio ex illa forma concedendi Indulgentias sæpè usitata, per quam declaratur concedi Indulgentiam plenariam cum tanta plenitudine remissionis pœnæ, quanta remittitur in Baptismo, & ita ut si qui ritè suscepit Indulgentiam, tunc moriatur, statim Anima ejus Cœlum ascendat absque alia purgatione. Quam formam concedendi Indulgentiam, nec negavit Cajetan. ut advertit Suarez *disput.* 50. *sect.* 3. *num.* 10. Quamvis dicat eam formam sumptam ex nostra præsenti opinione. Sed ejusdem nostræ opinionis non leve fundamentum est, quod illa usi sint Summi Pontifices, illamque approbaverint. Et præterea cum non possit dubitari de potestate concedentis, nec potest dubitari de ejusdem voluntate, dum simili forma utitur, cum præsumi non possit Pontificem concedentem velle Ecclesiam decipere. Quod verò Pontifices addant clausulam *quantum clavem se extendunt*, per hoc explicare volunt, non concedi Indulgentiam à culpa, sed solùm à pœna. Et nihilominus per hujusmodi verba significant, se concedere Indulgentiam sine limitatione, & ab omni pœna in foro Dei debita.

116. Idem verò cum proportione dicitur, quando Indulgentia concessa non est plenaria, sed partialis, & conceditur Indulgentia annorum, vel quadragenarum indefinitè tamen, & sine clausula *de injunctis pœnitentiis*, sicut enim Indulgentia indefinitè conceditur, sic potest indefinitè obtineri. Nam & considerandum est facilius esse concedere Indulgentiam indefinitè, & pro pœnis nondum injunctis, quam determinate de injunctis, quia facilius est, quod pauciora vincula relaxentur, quam plura.

117. Ad primum in oppositum dicitur cum solo non esse regulam juris communis, ut Indulgentiæ concedantur cum clausula *de pœnitentiis injunctis*, nullibi enim hoc decernitur, & alias in jure communi multoties concessæ sunt Indulgentiæ sine illa clausula, ut in extravag. *Antiquorum* Bonifacii VIII. & imò in dicta Decretali *cum ex eo*, ubi Pontifex loquitur de Indulgentia centum dierum concedenda, non ponit clausulam de injunctis pœnitentiis. Imò nullibi forsan invenitur, quod Indulgentia plenaria sit concessa cum illa clausula; ubi igitur absolutè Indulgentia conceditur debet absolutè intelligi, & sine limitatione ad pœnitentias jam in confessione injunctas.

118. Ad secundum dicitur, quod ex eo quod Indulgentia conceditur per determinatum numerum annorum, aut quadragenarum, non sequitur, quod concedatur solum pro pœnitentiis injunctis secundum Canones pœnitentiales, quia benè potest intelligi etiam de injungendis, & hoc modo debet proculdubio intelligi Indulgentia sub illa forma concessa. Nam cum modo, ob fragilitatem humanam, non imponantur amplius pœnitentiæ secundum rigorem Canonum pœnitentialium, sed mitiores præcipiantur, rationabile est, quod Indulgentia intelligatur nedum de pœnitentiis actu impositis, sed etiam de illis, quæ secundum illos Canones imponendæ essent.

119. Ad tertium dicitur, quod cum potestas Indulgentiarum non sit potestas ordinis, forus concedentis Indulgentias non est forus sacramentalis, ideò non est necesse, quod peccata, quorum pœnæ remittuntur, sint actu deducta in foro sacramentali ad Pontificem, vel ad aliquem ejus ministrum. Et eo magis quod absolutio, quam fert Indulgentia, non est sententia particularis, & non est tam justitiæ, quam gratiæ, & datur per modum legis, aut sententiæ generalis sub conditione operis, & ideò non supponit culpæ cognitionem, sed sufficit quod sit ex juxta causa ad hoc, ut ad quodcumque delictum se extendat; licet alias, quia remissio pœnæ supponit remissionem culpæ necesse sit, quod homo sit vel confessus in actu, vel in voto, vel in statu gratiæ ad hoc, ut Indulgentiam lucretur.

***

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

Vtrùm quando Indulgentia conceditur cum clausula *de pœnitentiis injunctis*, nihilominus extendatur etiam ad pœnas peccatorum, si pro illis nullæ pœnitentiæ injunctæ sunt.

SUMMARIUM.

120 *Indulgentiam concessam de injunctis, intelligendam de injunctis á Confessario aliqui volunt.*
121 *Alii clausulam de injunctis volunt intelligi ampliative.*
122 *Aliter sæpe Indulgentiæ essent inutiles.*
123 *Difficile creditur, quod Indulgentiæ non valeant nisi omittentibus satisfactionem Sacramentalem.*
124 *Et quod qui labores itineris, & expensas magnas sustinent, ut Romam veniant, non obtineant majorem Indulgentiam, quæ est proportionata levi pœnitentiæ sibi injunctæ.*
125 *Clausula de injunctis intelligitur de injunctis sive ab homine, sivè á lege.*
126 *Ideo verum est, quod Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.*
127 *Etiam ab antiquo in eodem sensu accipiebatur dicta clausula.*
128 *Non legitur concessa Indulgentia plenaria cum clausula de injunctis.*
129 *In Cappella Pontificia conceditur Indulgentia Annorum sine eadem clausula.*

120. NEgant plures scilicet Navarr. *comm. de Indulgent. not.* 11. *num.* 13. Sotus 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 1. Ledesma 2. *par.* 4. *q.* 27. *art.* 2. Corduba *quæst.* 9. Lugo *disput.* 27. *sect.* 2. Bologn. *de Indulgent. num.* 70. Trullench. *in Bullam Cruciatæ §.* 1. *dist.* 14. *num.* 12. Cotton. *lib.* 2. *con.* 11. *num.* 7. eo quia Indulgentiæ tantùm valent, quantum sonant; cum ergo tunc Indulgentia concedatur solum de pœnitentiis injunctis, ad non injunctas non potest extendi.

121. E contra alii putant clausulam, *de pœnitentijs iniunctis*, non esse restrictivam, sed ampliativam, ac si esset sensus, etiam de injunctis pœnitentiis, eo quia facilius Judici sit remittere pœnas ante sententiam diffinitivam, quàm post, & sic facilius sit remittere pœnas peccatorum antequam per Confessorem sint injunctæ. Item quando ponitur illa clausula immediate liberatur pœnitens à reatu illius pœnæ, pro quo erat pœnitentia imposita, & consequenter relaxatur obligatio implendi illam pœnitentiam, qui est favor, qui non competeret illi, si Indulgentia absolutè fuisset concessa, quia tunc non liberaretur ab obligatione pœnitentiæ injunctæ, nisi prius satisfecisset pro reatu aliarum pœnarum suis delictis debitarum; clausula igitur illa ponitur non ad restringendum, sed ad complendam gratiam. Quo stante intrat regula, quod favor, & beneficium Principis sit latissimè interpretandum: *cap. olim de verbo signific.* Et sic ubi in privilegio, aut gratia clausula aliqua potest accipi, ut limitet, & ut ampliet gratiam, debet accipi, ut ampliet, sic enim si Episcopus concedit alicui, ut absolvat à reservatis, præsumitur multo magis concedere, ut absolvat ab aliis. Neque igitur hujusmodi interpretatio est voluntaria, neque talis, ex qua multi textus possent corrumpi, quia non semper licet addere dictionem, *etiam*, sed tunc solum, cum implicitè continetur in significatione, & proprietate sermonis, cui adjungitur, & consideratis aliis regulis juris, & ratione.

122. Confirmant amplius intentum, quia aliter sequeretur, quod qui implet pœnitentiam sit posteà ex hoc incapax lucrandi Indulgentiam, si non valet nisi de pœnitentiis injunctis; Et sic ut quis possit lucrari Indulgentiam tenebitur relinquere pœnitentiam Sacramentalem & impleta illa, etiam si habeat reatum pœnæ pro aliis peccatis, nihil poterit lucrari; quod absurdum videtur. Et hoc magis explicatur. Nam clausula *de injunctis pœnitentiis*, vel intelligitur de injunctis in sola ultima confessione, vel solum in aliqua alia, vel indefinite de omnibus injunctis toto tempore vitæ. Non potest hoc intelligi primo, aut secundo modo, quia concessio est indefinita, non igitur cum fundamento limitatur ad aliquam determinatam confessionem, & pœnitentiam in ea injunctam. In tertio autem sensu, vel est sermo de pœnitentiis non impletis, vel de impletis. Si de non impletis jam melioris conditionis est, qui in cursu vitæ suæ neglexit implere pœnitentias sibi impositas, quod est contra rationem, & mentem Pontificum. Sed si intelligitur de pœnitentiis injunctis, & impletis, jam Indulgentia est inanis, & sine fructu, quia jam reatus pœnæ est ablatus per illas pœnitentias, nec est opus, ut auferatur per Indulgentias. Quod si dicatur, quod in hujusmodi casu ad mensuram injunctarum pœnitentiarum remittitur reatus pœnæ debitus pro illis peccatis, pro quibus nondum est imposita pœnitentia, jam admittitur, quod negatur, & conceditur, quod vult hæc opinio, scilicet quod clausula *de injunctis pœnitentiis* intelligitur de pœnitentiis injunctis, vel ad mensuram illarum, quod est dicere de injunctis, aut injungendis.

123. Mihi verè difficile videtur intelligere, quod Indulgentiæ non valeant nisi illis, qui non impleverunt, vel nolunt implere pœnitentias injunctas à Confessario, & tamen solis illis valere possunt, si non remittunt nisi pœnitentias injunctas, seu pœnam Purgatorii illis respondentem, quia cum hujusmodi pœna iis, qui pœnitentias impleverunt sit remissa, non est amplius remissibilis per Indulgentias, & sic Indulgentiæ pro illis nihil amplius valent. Sed & aliud magis difficile creditu est, quod qui ex remotissimis partibus veniunt Romam, & posteà Romæ per quindecim dies quotidie adeunt, & visitant Basilicas Sanctorum Petri & Pauli, ut voluit Bonifacius VIII. pro suo Jubileo *in Extravag. Antiquorum de pœnit. & remiss. in 6.* Quibus addidit Basilicam Lateran. *Clem. VI. in Extravag. Unigenitus in 6. eodem titulo.* Paulus vero Secundus, & Sixtus Quartus addiderunt Ecclesiam S. Mariæ Maioris pro tam longa peregrinatione, vel nihil acquirant ex vi Indulgentiæ, si adimpleverunt pœnitentias impositas à Confessariis, vel non lucrentur nisi remissionem tantæ pœnæ, quanta responderet vel recitationi unius Rosarii, vel jejunio unius diei, vel etiam pœnitentiæ multo minori sibi à confessario impositæ.

124. Propterea cum particula *de injunctis penitentiis* salva nominum proprietate possit intelligi, ut intelligatur absolutè de injunctis ab homine, vel à lege, vel à Deo ipso, qui statim ponderatis delictorum demeritis, illis quantitatem pœnæ taxat, verisimilius videtur dicendum ita debere intelligi, quando ponitur in rescriptis Indulgentiarum. Et ita hanc sententiam tenuerunt, qui dixerunt absolutè Indulgentiam esse remissionem pœnæ temporalis relictæ post contritionem, & confessionem, sive illa pœna sit injuncta sive non. Sic enim dixerunt D. Thom. 4. *dist. 20. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. c. & eadem dist.* Innocentius V. *quæst. 3. art. 3.* Turrecremata §. *item in Levitico de pœnit. d. 1. a. 2. num.* 19. Sylvest. *verb. Indulgentia num. 5.* Tabien *num.* 12. Quod esse probabile arbitrati sunt etiam Palud. *4. dist. 20. quæst. 4. art. 1. part.* 2. & D. Anton. *part. 1. tit.* 10. *cap. 3. §. 3.* Et expressè, quod clausula *de injunctis pœnitentiis* intelligi debeat de injunctis, vel injungendis nimirum de injunctis ab homine, vel à lege, sive à Deo voluerunt Medina, Supplem. Gabriel, & Thomas Elysius, quos sequitur Suarez *d. disput. 50. sect. 3. numer. 19.* Palaus *tract. 24. part. 3. numer. 5.* Coninch. *disput. 12. dub. 3. concl. 4. & 5.* Layman. *lib. 5. tract. 7. cap. 3. vers. At vero.* Lezana *verb. Iubilaum numer. 21.* Sylvius *in 3. part. D. Thom. quæst. 25. supplem. art. 2. quæst. 1.* Fœlin. *de Indulg. numer. 14.* Epit. Candidi *disq. 52. artic. 1. numer. 6.* Antonius à Spiritu Sancto *part. 2. disput. 5. numer. 6.* Serio *in Bullam Cruciatæ §. 1. quæst. 4. numer. 5.* Nugn. *in suppl. quæst. 25. art. 1. d. 3. conclus. 5.*

125. Et sic dicitur ad argumentum in contrarium, quod semper verum est, quod Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, sed licet adsit illa clausula *de injunctis pœnitentiis*, nihilominùs Indulgentiæ valent etiam pro non injunctis à Confessario, quia sufficit, quod sint injunctæ à lege positiva, vel divina, seu à Deo ipso, qui omnibus pro meritis justissimas pœnas decernit. Nam alias si mens Pontificum fuisset, quod clausula *de injunctis pœnitentiis* intelligeretur de solis injunctis à Confessario, id expressissent, & non dixissent absolutè *de injunctis*, quod in proprietate sermonis intelligi potest de injunctis à lege.

126. Et si objiciatur, quod usus Indulgentiarum cœpit ex eo, quia Canones gravissimas pœnitentias imponebant pœnitentibus, ut videre est in Sacerdotali Romano antiquo, postea vero deficiente fervore paulatim Pontifices cœperunt concedere Indulgentias de injunctis pœnitentiis, remittendo vel dies, vel annos aliquos, qui pro pœnitentia injungebantur. Respondetur, quod imo ex hoc asserta conclusio probatur. Cum enim etiam tunc determinatio Annorum, aut dierum pœnitentiæ ex magna parte reposita fuisset in arbitrio Confessarii, ut ex eodem Sacerdotali Romano constat, & sic potuisset contingere, quod Confessarius minorem pœnitentiam injungeret, quàm deberet ex vi Canonum, non est verisimile, quod intentio Pontificum esset, ut qui lucrabatur Indulgentiam obtineret illam de solis injunctis, cum illæ fuissent ex errore Confessarii, sine defectu pœnitentis minoris, quàm esse deberent. Ideò ex DD. contrariæ sententiæ aliqui ut Cardinalis de Lugo, & Cotton tandem concedunt Indulgentiam concessam de injunctis intelligi debere de injunctis, vel de iis, quæ ex vi Canonum injungendæ erant. Sed hoc est dicere, clausulam de injunctis intelligendam de injunctis à lege, sed hoc melius non restringitur ad legem Canonum, sed ampliatur ad Dei legem, quæ non errat, sed justam pœnam injungit.

127. Est etiam considerandum, non inveniri, quod sciam, fuisse unquam concessam Indulgentiam plenariam cum illa clausula, *de injunctis pœnitentiis*, & si inveniretur concessa, juxta supradicta intelligi deberet. In Cappella etiam Pontificia, quando habentur Sermones denunciatur ab Oratore Indulgentia vel decem, vel plurium Annorum, & totidem quadragenarum, sed absolutè sine ulla clausula *de injunctis pœnitentiis*.

QUÆSTIO XII.

An Indulgentia plenaria sit totalis.

SUMMARIUM.

128 *Indulgentia dividitur in totalem, & partialem.*
129 *Indulgentia totalis per accidens potest habere majorem effectum in uno.*
130 *Quæ sit Indulgentia partialis.*
131 *Indulgentiam plenariam non esse totalem quidam dicunt.*
132 *Hoc reiicitur.*
133 *Quæ sit Indulgentia plena, plenior, & plenissima.*
134 *Indulgentia plenaria per quid distinguatur à Iubilæo.*
135 *Ex stylo Curiæ non conceditur simul Indulgentia plenaria, & partialis.*

128. Clem. VI. *in Extravag. Unigenitus de pœnit. & remiss. in 6.* distinguit Indulgentiam in totalem, & partialem. Cum enim effectus indulgentiæ sit unius simplicissimæ speciei, quia non est nisi remissio pœnæ temporalis, cujus reatus remanet in peccatore post culpam remissam, nihilominus quia pœna remitti potest per partes, ideo ex hoc datur Indulgentiarum distinctio, quia per aliquam remittitur tota pœna, ita quod si qui lucratur Indulgentiam hujusmodi moreretur statim, anima ipsius sine aliqua purgatione Cœlum ascenderet. Unde hujusmodi Indulgentia in hoc assimilatur Baptismo, quia in illo reatus totius pœnæ debitæ peccatori remittitur.

129. Hæc ergo Indulgentia totalis secundum suam formalem rationem indivisibilis est, quia est totius pœnæ remissio; Quamvis materialiter possit esse major, aut minor secundum quod reatus pœnæ in uno potest esse major, quàm in alio, vt quia v. g. uni debeatur pœna decem Annorum in Purgatorio, & alii solum Annorum quinque, tamen formaliter Indulgentia totalis semper est ejusdem rationis, quia semper totam pœnam remittit.

130. Indulgentia partialis est, per quam sola pars pœnæ remittitur. Hac verò supposita distinctione quæritur an Indulgentia plenaria sit Indulgentia totalis.

131. Videtur enim, quod non; Tum quia Bonifacius VIII. *in extravag. Antiquorum de pœnit. & remiss. in 6.* distinxit Indulgentiam in plenam, pleniorem, & ple-

& plenissimam; igitur Indulgentia plenaria, quæ idem est quod plena, non potest esse Indulgentia totalis, quia hoc solum convenire potest Indulgentiæ plenissimæ. Tum secundo quia Jubilæus est, qui fert Indulgentiam plenissimam, at verò Indulgentia plenaria non est Jubilæus. Tum tertio quia aliquando Pontifices concedentes Indulgentiam plenariam simul concesserunt Indulgentiam tot Annorum, aut dierum &c. quod non fecissent, si Indulgentia plenaria esset totalis.

132. Nihilominus dicitur, quod Indulgentia plenaria est totalis, & fert remissionem totius pœnæ in foro Dei debitæ pro peccatis commissis. Ita sentiunt Turrecremata §. *item in Levitico de pœnit. dist.* 1. *numer.* 29. Sylvest. *verb. Indulgentia num.* 33. D. Anton. *d. cap.* 3. §. 4. & apud eum Hostien. Tabien. *numer.* 26. Sotus 4. *dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 2. Corduba *quæst.* 11. Ludov. Bologn. *de Indulg. num.* 70. & 10. Felin. *de Indulg. numer.* 24. Rodriquez *quæst.* 86. *art.* 3. Suarez *disp.* 50. *sect.* 4. *num.* 7. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 7. *lit.* X. Sylvius *in* 3. *part. quæst.* 25. *suppl. art.* 2. Lezana *verb. Indulgentia numer.* 3. & *v. Iubilæum num.* 4. Palaus *tract.* 24. *puncto* 3. *num.* 11. Pinell. *de Indulg. cap.* 5. Sanctarell. *de Iubil. cap.* 15. *dub.* 5. Antonius à Spiritu Santo *part.* 2. *disp.* 5. *numer.* 3. Trullench. *in Bullam Cruciatæ*, §. 1. *dub.* 14. *numer.* 16. de Lugo *disp.* 27. *sect.* 1. *numer.* 128. Leander *tom.* 5. *de pœnit. d.* 14. *quæst.* 167. *Epit. Cand. disq.* 32. *art.* 1. *numer.* 3. Barbosa *in Pastorali alleg.* 88. *numer.* 2. Serio *in Bullam Cruciatæ* §. 1. *quæst.* 5. *numer.* 4. Toletus *lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 2. Valentia *tom.* 4. *d.* 7. *quæst.* 20. *punct.* 3. Bellarm. *lib.* 1. *de Indulg. cap.* 9. Coninch. *disp.* 12. *numer.* 5. Nugnus *in* 3. *par. quæst.* 25. *supplem. art.* 2. & apud eum Canus, & Victoria. Bonacc. *disp.* 6. *de pœnit. quæst.* 1. *part.* 2. *num.* 5. Acosta *in Bullam Cruciatæ quæst.* 5. Isambert. 3. *part. disp.* 4. *de indulg. art.* 5. Præpos. *quæst.* 14. *de indulg. dub.* 6. *num.* 52. Philippus à Cruce *in Thesau. tract.* 1. §. 18. *num.* 1. Leo *de Iubil. quæst. prohem. num.* 9. Molphes. *part.* 1. *Sum. tract.* 9. *cap.* 26. *numer.* 55. Lavor. *de Iub. par.* 2. *cap.* 10. *num.* 62. Quod probatur, Tum quia in dicta Extravag. *Unigenitus*, Indulgentia distinguitur adæquatè in totalem, & partialem, constat verò ex usu præsentis temporis, solum vocari plenariam Indulgentiam illam, quæ est totalis. Item Sixtus quartus in extravag. *quemadmodum de pœnit. & remiss. in* 6. volens revocare Indulgentias æquivalentes illi, quæ in Anno Jubilæi Romæ conceditur; dicit se revocare omnes Indulgentias plenarias, etiam ad instar Jubilæi concessas. Et in Decreto pro expeditione Terræ Sanctæ in Concil. Lateranen. ab Innocentio III. solùm conceditur plena peccatorum venia, quam constat fuisse plenissimam. Similiter Martinus V. in fine Concil. Constan. concessit Indulgentiam plenariam, quam absolutionem plenariam vocat, quam fuisse absolutè de omnibus peccatis constat etiam ex gravissimis oneribus, quæ imponit volentibus eam lucrari. Indulgentia igitur plenaria, cum sit remissio totius pœnæ relictæ pro peccatis remissis quoad culpam, tam mortalibus, quam venialibus confessis, vel non confessis, habentibus pœnitentiam injunctam, vel non habentibus, non remanet alius effectus major, quem ferat Indulgentia plenior, aut plenissima, & ideò est Indulgentia totalis.

133 Ad primum in oppositum respondetur, quod Palud. 4. *distinct.* 20. *quæst.* 4. D. Anton. *part.* 1. *tract.* 10. *cap.* 3. ex eo textu voluerunt Indulgentiam plenariam non esse totalem, & dixerunt Indulgentiam plenissimam extendi ad remissionem culpæ venialis. Quod non esse verum probatum est *quæst.* 7. Nulla enim Indulgentia culpam remittit. At vero supplem. Gabriel. 4. *dist.* 45. *quæst.* 3. & Navarr. *com.* 9. *de indulg. not.* 9. supponentes Indulgentiam plenam, & pleniorem non esse totales cum Palud. & D. Anton. distinxerunt illas, vel in ordine ad mortalia tantum, vel in ordine ad peccata confessa, vel ad pœnitentias injunctas, aut injungendas secundum Ecclesiæ usum ordinarium. Alii verò ut Corduba *quæst.* 11. sentientes nunc Indulgentiam plenariam esse plenissimam, dicunt incertum esse, quis sit modus, veraque ratio distinguendi illa membra, quia hoc pendet ex significatione, in qua olim accipiebantur illa verba, de qua nobis non constat, sed Gloss. *in v. plenissimam*; Sot. 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 11. Suarez *d. disp.* 50. *sect.* 4. *numer.* 7. Palaus *tract.* 24. *part.* 3. *numer.* 11. Bolognen. *numer.* 100. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 15. *numer.* 7. *litt.* X. Sanctarell. *de Iubil. capit.* 15. *dub.* & Serio ubi supra, & alii dicunt, quod Bonifacius VIII. usus est illa forma loquendi ad majorem declarationem, & ad tollendos scrupulos, qui ex variis opinionibus oriri poterant. Suarez etiam, cui consentit Sanctarell. *d. dub.* 4. dicit quod distinctio illa intelligi potest ut data ex parte causæ, quia indulgentia majorem, vel maximam causam habet, quæ de effectu Indulgentiæ potest certiores reddere fideles. Sed verè Bonifacius VIII. usus est ea forma loquendi ad majorem exagerationem, & explicationem, ut manifestum esset, quod ipse tam plenam Indulgentiam concedebat, quantam virtute clavium concedere poterat. Sic enim Glossa in d. Extravag. *Antiquorum in verb. plenissimam* ait *Dico Papam interpretatum fuisse in Concistorio me præsente illam Indulgentiam adeo plenam, prout clavium potestas se extendit*.

134. Ad secundum dicitur, quod Indulgentia plenaria non distinguitur à Jubilæo quantum ad effectum per se, qui est remissio pœnæ, quia Indulgentia plenaria totum pœnæ reatum delet, sed distinctio est in favoribus concommittantibus Jubilæum, scilicet in facultate absolvendi à peccatis reservatis & censuris, & dispensandi in votis &c. & quia speciali indulto ad hujusmodi finem inducitur pro determinato tempore, & loco, & cum gravioribus circumstantiis, & conditionibus talis Indulgentia conceditur. Unde qui Indulgentias denunciant cavere debent, ne Indulgentiam plenariam nomine Jubilæi pronuncient; ne fideles decipiantur, intelligantque etiam alios Jubilæi favores esse concessos ut advertit Suarez *disput.* 50. *sect.* 4. *numer.* 8.

135. Ad tertium quidam dicunt illum stylum Curiæ olim introductum occasione opinionum, sed postea fuisse usu retentum. Secundo dicunt, additionem illam fieri, ut si fortassè causa non fuisset sufficiens ad plenariam Indulgentiam, sufficeret ad illam partem additam. Sed hoc habet instantiam, quia sine illa additione ubi conceditur Indulgentia plenaria, si causa non sufficit ad totam, sufficit ad aliquam partem. Ideò respondetur aliter non dari talem stylum Curiæ, scilicet quod aliquando Pontifices concesserint Indulgentiam plenariam, & ulterius concesserint simul tot dies, vel Annos, vel quadragenas Indulgentiæ. Verum est, quod Collectores Indulgentiarum referunt concessam aliquibus Indulgentiam

gentiam tot dierum, vel Annorum, & quadragenarum, & simul Indulgentiam plenariam, sed hæc concessa fuerunt à diversis Pontificibus, aut diversis concessionibus, & temporibus, aut pro diversis actionibus, & sub diversis circumstantiis. Si verò inveniretur rescriptum, in quo per modum unius concessionis concederetur pro eadem prorsus causa, & actione Indulgentia plenaria, & Indulgentia partialis Annorum, aut dierum Suarez putat, quod Indulgentia partialis intelligeretur concessa ut applicanda aliis per modum suffragii, quia non est credendum, Pontificem voluisse inutiliter agere. Sed absolutè negatur, quod unquam Pontifex simul, & unica concessione pro eadem actione, & causa concesserit Indulgentiam plenariam, & partialem ad certos dies, aut annos, aut partialem remissionem pœnarum. Et si invenirentur literæ hujusmodi Indulgentiam plenariam simul, & partialem pro eadem causa concedentes, ex hoc essent suspectæ de falsitate.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm clausula *contritis, & confessis* addita in concessione Indulgentiæ faciat illam esse partialem.

SUMMARIUM.

136 *Quæstio jam soluta.*
137 *Clausula contritis &c. si respiciat personas dicit conditionem.*
138 *Quod clausula contritis &c. faciat Indulgentiam partialem aliqui sentiunt.*
139 *Limitatur assertio illorum, sed consequenter.*
140 *Clausula contritis &c. secundum alios non limitat, sed explicat dispositionem necessariam.*
141 *Explicatur aliter veritas.*
142 *Clausula de quibus corde contritis &c. importat conditionem.*

136. Quærendum etiam fuisset, an clausula de *injunctis pœnitentiis* efficiat, ut Indulgentia concessa cum illa clausula sit partialis, nimirum ut tantum remittat pœnitentias injunctas, sed huius quæstionis solutio patet ex dictis *quæst.* 11. Hoc igitur in præsenti quæritur de hac alia clausula *contritis, & confessis.*

137. Est verò hic distinguendum, quia secundum aliquos particula *confessis, & contritis* potest determinare personam, & potest determinare peccata. Si determinet personam tunc contritio, & confessio sunt conditiones, sub quibus conceditur indulgentia. Et talis est, quæ conceditur pœnitentibus contritis, & confessis, scilicet sub onere, quod conterantur, & confiteantur. Et hoc modo clausula *contritis, & confessis* non facit Indulgentiam partialem, sed relinquit eam in sua amplitudine, unde qui conditionem implet, & conteritur, & confitetur legitimè peccata sua totam indulgentiam lucratur, etiam si per inculpabilem oblivionem, vel ob aliam justam causam aliquod peccatum non fuerit confessus in specie, sed solum in genere.

138. Alio modo clausula *contritis, & confessis* determinat peccata, ut si concedatur Indulgentia pro peccatis, de quibus quis sit contritus, & confessus. Et in hoc sensu multi existimant, quod hujusmodi clausula faciat Indulgentiam partialem, quæ ad peccata non confessa minime se extendat. Ita quod nec se extendat ad peccata invincibiliter ignorata, aut oblita, & ideò non confessa. Ita sentit Corduba *quæst.* 27. *opinione* 3. & pro ea refert Gersonem Alphab. 33. *lit. K.* & supplem. Gabriel. 4. *dist.* 45. *quæst.* 3. *art.* 2. *prop.* 8. & *art.* 3. *dub.* 1. Angel. *verb. Indulg. num.* 2. & Rosell. *n.* 16.

139. Limitat tamen hæc opinio hanc suam assertionem tripliciter, nimirum ut licet pœnitens peccata non fuerit confessus, Indulgentiam lucretur, si illa fuerint venialia fortè velut si fuerunt commissa post ultimam confessionem, pœnitens habens de illis contritionem ad minus obtineat Indulgentiam, & remissionem peccatorum, quæ antea confessus fuerat. Vel etiam obtineat remissionem peccatorum, quæ commisit post ultimam confessionem, si non confitetur illa ex impotentia. Quantum etiam ad peccata inculpabiliter oblita, Corduba, qui primo negavit, ad ea se extendi Indulgentiam hanc, postea pro concordia ait, quod fortè pro concordia opinionum potest dici, quod comprehendantur sub hac Indulgentia, si tamen pœnitens in ultima præmissa confessione intendit eam includere in confessione generali omnium peccatorum oblitorum & ignoratorum. Sed hujusmodi limitationes non procedunt consequenter.

140. Nam vel confessio actualis, & specifica ex vi dictæ clausulæ est de forma necessario præmittenda ad hoc, ut Indulgentia habeat effectum, vel non est de forma; si datur, primum limitationes non subsistunt; in gratuitis enim, ubi non servatur forma, nihil fit. Non sufficit ergo, quod vel confessio fuerit impossibilis, vel etiam quod quis in generali confessus fuerit peccata oblita, quia confessio specifica, & determinata ponitur esse de forma, ad hoc ut Indulgentia habeat effectum, si verò actualis confessio non est de forma, jam non subsistit assertio, & malè dicitur, quod clausula *contritis, & confessis* faciat Indulgentiam esse partialem, quia illa clausula non obstante Indulgentia se extendit ad peccata non confessa. Solum quantum ad venialia illa sententia dicere posset, quod in jure ubi injungitur confessio intelligitur de confessione mortalium.

141. Altera opinio tenet quod clausula *contritis, & confessis*, quatenus non redundat in personam, & non est conditio personalis, sub qua sit concessa Indulgentia, sed præcisè respicit peccata, non limitat Indulgentiam, nec facit eam partialem, quia hujusmodi clausula declarativè se habet, ita ut perinde se habeat, ac si diceretur de omnibus peccatis remissis per contritionem, & confessionem. Suarez *d. disp.* 50. *sect.* 5. *n.* 9. Etenim Indulgentia non remittit pœnam nisi peccata sint dimissa quantum ad culpam. Vel ut alii dicunt, eadem clausula intelligatur secundum distributionem accomodam, idest de unoquoque peccato exigendo id, quod ad perfectam ejus remissionem necessarium est. Vel ut dicunt Gloss. *in Clem. unic. de reliq. & vener. Sanctor.* Panorm. *in cap. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* Io: Andr. *in cap. quod autem eodem titulo*, Sylv. *verb. Indulg. quæst.* 7. Angelus *numer.* 18. Palud. 4. *dist.* 20. *quæst.* 4. *art.* 3. sufficiat confessio in voto, vel ut explicat Suarez loco citato, sit quidem sermo de confessione actu habita, sed tamen quatenus sit necessaria, ut peccata illa remissa sint quantum ad culpam.

142. Mihi hoc certum videtur primo quod ex vi dictæ clausulæ non est necessaria confessio venialium: quia ut amplius probatur infra *quæst.* 27. dum jura exigunt confessionem, intelligunt de confessione mortalium, quæ sunt necessaria materia confessionis, non verò de confessione venialium, cum venialia remittantur etiam extra Sacramentum. Certum mihi est secundo, per præfatam clausulam non excludi peccata inculpabiliter oblita, & non confessa expresse; non quia sit impossibile confiteri peccata vel inculpabiliter ignorata, vel inculpabiliter oblita, sed quia hæc sunt verè confessa quantum opus est, & Ecclesia requirit. Sed tertio dico, quod suppositum hujus quæstionis non subsistit, scilicet, quod clausula de quibus corde contritus, & ore confessus &c. præcisè respiciat peccata, & non simul, imo non per prius personam confitentis, & sic quod illa clausula non importet conditionem, sub qua conceditur Indulgentia, ut latius probandum est eadem *quæst.* 27. Et propterea ex consequenti dicitur, quod si quis post ultimam confessionem peccavit mortaliter, si actu non confitetur, nedum non consequitur remissionem pœnæ debitæ pro peccato mortali commisso post ultimam confessionem, & nec in specie nec in genere confesso, sed nec consequitur remissionem pœnæ aliis peccatis prius confessis debitæ, sed quod Indulgentia concessa sub illa conditione, & clausula in totum remanet sine aliquo effectu, ob non adimpletam conditionem, à quo non implemento non excusat nec ignorantia, nec impossibilitas, ut probatur infra *quæst.* 28. Quatenus tamen daretur forsan casus, in quo illa vel similis clausula respiceret solum peccata, & non importaret conditionem requisitam, valdè rationabile est, ut non intelligatur taxativè, sed declarativè, aut de confessione, quatenus necessaria, nisi aliud ex verbis, & circumstantiis colligatur. Cur enim volumus imaginari, quod alias in verbis concedens plenam indulgentiam, eam restringere velit, ita ut plena non obtineatur ab eo, qui plenitudinis est capax.

QUÆSTIO XIV.

Quomodo sint computandi dies, & Anni, quando conceduntur tot dies, aut Anni Indulgentiæ.

SUMMARIUM.

143 *Ratio quæstionis, & quid sit quadragena.*
144 *Indulgentia annorum intelligitur de annis hujus vitæ.*
145 *An Anni intelligitur de annis pœnitentia gravis, vel levis.*
146 *Intelligitur anni, pœnitentia prudenter injuncta à Confessario.*
147 *Intelligitur Indulgentia dierum vel annorum determinatè, sed respectu satisfactionis justa.*
148 *Indulgentia remittit pœnam correlative ad satisfactionem Sacramentalem.*
149 *In mensuranda quantitate satisfactionis attendendam esse dispositionem pœnitentis quidam dicunt.*
150 *Hoc non admittitur omnino.*
151 *In hoc non debet attendi status pœnitentis pro tempore, in quo obtinetur Indulgentia.*
152 *Quæ conditiones personales attendi debent.*
153 *Non datur hic latitudo pœna rigorosa, mediocris, & modesima.*
154 *Qualiter Indulgentia dierum, aut annorum non sit totalis.*
155 *Non est certum, quod per satisfactionem condignam in foro Ecclesiæ tota pœna Purgatorii remittatur.*
156 *Fructus Indulgentiæ ex justa pœnitentia mensuratur.*
157 *Fructus Indulgentiæ non mensurandus ex quantitate pœnitentiæ, quæ nunc solet imponi.*
158 *Per indulgentiam partialem concessam absolutè non habetur major fructus, quàm per illam quæ conceditur cum clausula de injunctis &c.*
159 *Indulgentia respicit satisfactionem ut est Sacramentalis actu, vel aptitudine.*
160 *Non est inconveniens quod Indulgentia habeat majorem effectum in majori peccatore.*
161 *Indulgentia plenaria est plenissima.*

143. PArtialis Indulgentia solet concedi per numerum dierum, aut Annorum, quia nimirum conceduntur quadraginta, vel centum dies Indulgentiæ, aut septem aut decem anni. Sic enim concedi solet quadragena, idest quadraginta dies Indulgentiæ. Quintanadvegnas *singularium tract.* 7. *dub.* 18. *numer.* 4. existimat, quod quadragena constet ex quinquaginta diebus. Sed errat, solum enim quadraginta dies complectitur, ut ipsum nomen explicat, & tradunt Trullenc. *in Bullam Cruciatæ* §. 1. *dub.* 14. *numer.* 8. Bonac. *disput.* 9. *de pœnit. quæst.* 1. *part.* 2. *numer.* 1. Barbosa in Pastorali *alleg.* 88. *numer.* 4. Sanctarell. *cap.* 15. *dub.* 10. & alii communiter. At verò septena continet septem annos, & Carena, quæ ut habetur *capit. Accusasti de accusat. & cap.* 2. *de sponsa duorum* utramque prædictarum complectitur, ut v. gr. jejunium quadraginta dierum in pane, & aqua, & septem annos alterius pœnitentiæ. Est ergo dubium, quomodo isti dies, & anni mensurandi sint.

144. Est vero indubitatum hos dies, & annos non esse dies, aut annos Purgatorii, sed hujus vitæ mortalis. Per hujusmodi enim nomina quadragena, aut septena significantur antiquæ pœnæ, quæ erant in usu Ecclesiæ, juxta quas fit remissio Indulgentiarum; Tum etiam quia pœnæ Purgatorii non tantum duratione, sed etiam acerbitate, & intensione mensurantur, & non est verisimile æque remitti tot annos Purgatorii, sivè pœna Purgatorii sit remissa, sivè sit intensa. Unde falsum est, quod dixerunt aliqui apud Turrecrem. ubi supra *art.* 4. *numer.* 25. scilicet quod qui lucratur Indulgentiam unius diei, vel anni habebit unum diem, vel Annum refrigerii in Purgatorio. Vel quod per unum diem, vel Annum abbreviabitur ei pœna in Purgatorio. Vel quod tantum habebit refrigerium in quantum de pœna habuisset, si non obtinuisset Indulgentiam. Neque enim pœnæ Purgatorii sunt æquales pœnis hujus vitæ, neque in potestate Pontificis est directè taxare pœnas, & tempus pœnarum illarum, Innocentius V. 4. *dist.* 20. *quæst.* 3. *art.* 3. Turrecremata §. *Item in Levitico artic.* 4. *numer.* 25. Palud. 4. *dist.* 20.

dist. 20. *quæst.* 4. *art.* 2. D. Anton. *part.* 1. *tit.* 10. §. 3. Sylvest. *verb. Indulgentia quæst.* 4. *num.* 8. Tabien. *numer.* 15. Rodriq. *quæst.* 99. *num.* 8. Bolognin. *de Indulg. num.* 50. Sotus 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 1. Cordub. *de Indulg. quæst.* 4. Suarez *disp.* 50. *sess.* 5. *n.* 12. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 10. *par.* 3. *ad fin.* Coninch. *disp.* 12. *dub.* 5. Layman. *lib.* 7. *cap.* 3. *in princ.* Bonac. *disp.* 6. *de pœnit. quæst.* 1. *part.* 1. *num.* 2. Palaus *tract.* 24. *part.* 3. *num.* 2. De Lugo *disp.* 27. *numer.* 129. Pinell. *de Indulg. cap.* 2. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 23. Filiuc. *tract.* 8. *cap.* 7. *num.* 19. Sanctarell. *de Iubil. cap.* 15. *dub.* 7. Bellarm. *lib.* 1. *de Indulg. cap.* 9. Reginald. Ricc. Leo. Lavor. Torreblanca, quos sequitur Barbosa *in Pastor. allegat.* 88. *numer.* 4. Epit. Candidi *disp.* 52. *Art.* 1. *numer.* 4. Lezana *verb. Indulgentia num.* 3. Cotton. *liber* 2. *contr.* 11. *numer.* 5. Anton. à Spiritu Sancto *part.* 2. *disp.* 5. *numer.* 6. An verò huiusmodi dies, & anni censendi sint utiles vel continui disputarunt Hostien. Butr. & alii, quos refert Bologn. *de Indulg. num.* 50. sed hæc quæstio hic locum non habet, ut ipse advertit *num.* 51. Quia in instanti illo, in quo pœnitens lucratur Indulgentiam, sibi tanta, & tota remittitur pœna, quanta respondet tot annis, aut diebus Indulgentiæ, quot illi concessi fuerunt.

145. Communis igitur sensus DD. est, quod dies, seu Anni isti intelligantur de diebus, aut annis pœnitentiæ huius vitæ.

146. Verum non levis difficultas est videre qualiter, & ex quo isti dies pœnitentiæ mensurari debeant. Quia pœnitentialis satisfactio ejusdem temporis non est æqualis rationis, valoris, & fructus. Stante enim ejusdem temporis mensura satisfactio, quæ fit per opera magis pœnalia erit majoris virtutis, & plus remittit de pœna Purgatorii. Quadragena enim jejunii in pane, & aqua plus valet, quam quadragena solius abstinentiæ à carnibus. Istorum igitur dierum, aut annorum pœnitentia intelligi ne debet de gravi, aut de levi?

147. Respondetur ex communi intelligentia esse sumendam pœnitentiam injungendam ad arbitrium prudentis Sacerdotis; Nam antiquitus quando hujusmodi quadragenæ, aut annales pœnitentiæ erant in usu, Ecclesia determinabat quidem tempus pœnitentiæ, sed pœnitentiæ modum sæpe relinquebat arbitrio Sacerdotis. Imò aliquando relinquebat arbitrio Sacerdotis determinationem temporis, ut patet ex Concil. Nicen. *can.* 11. & 12. Quando igitur datur Indulgentia unius Anni, intelligitur de pœnitentia unius Anni prudenter injungenda à Sacerdote, & consequenter de tanta pœna Purgatorii, quanta per illam pœnitentiam redimeretur.

148. Hoc verò confirmatur, quia Indulgentia non remittit pœnas Purgatorii nisi correlativè, consequenter, & in consequentiam remissionis pœnæ injunctæ, aut injungendæ à Confessario in foro Ecclesiastico, sic enim Pontifex directè, & primo solvit quod ligavit, aut ligare potuit, aut si est ligatum ab alio extra suam Iurisdictionem, ab eo solvi non potest. Et propterea reatus pœnæ, qui remanet post peccata remissa, est reatus pœnæ Purgatorii in consequentiam, & in subsidium, si homo non satisfaciat in hac vita, unde est reatus pœnæ subeundæ in hac vita, & quidem sub judicio, & determinatione Ecclesiæ, & Pontificis, cui data est potestas ligandi, & solvendi. Sic igitur est reatus pœnæ subeundæ in foro pœnitentiæ, & Sacramaentali, & sic est reatus pœnæ injunctæ, vel injungendæ. Indulgentia igitur unius Anni v. gr. est remissio pęnitentiæ à prudenti confessario clave non errante injuncta, vel injungenda.

149. Sed non per hoc solvi videtur difficultas. Tum primo quia neque pœna, quam arbitrari possit prudenter Sacerdos est ejusdem durationis, & una indivisibilis, quia jejunium trium dierum in pane, & aqua æquivalere potest jejunio ordinario dierum decem, vel simplici abstinentiæ à carnibus per dies triginta. Igitur pro eodem peccato prudenter ad arbitrium Sacerdotis potest imponi pœnitentia trium dierum, & decem, & triginta, & centum; De quibus igitur diebus intelligi debebit, quando alicui sit concessa v. gr. Indulgentia decem dierum. Respondetur, quod Indulgentia illa respicit pœnitentiam decem dierum determinatè, sed talem, quæ sit justa; & licet sufficeret pœnitentia trium dierum, si esset quantum ad qualitatem operis pœnosi gravior, tamen hoc nihil in præsenti interest, quia æquivalent pœna trium dierum gravior quantum ad genus operis, & pœnitentia decem dierum proportionatè minus gravis. Et sic Indulgentia decem dierum importat remissionem pęnæ Purgatorii respondentis satisfactioni, quam prudens Confessarius potuisset imponere pro decem diebus; Quod verò isti satisfactioni æquivaleat satisfactio trium dierum per opus magis pęnale, vel viginti dierum per opus minus pęnale; nihil interest, quia omnibus istis satisfactionibus respondet æqualis remissio pęnæ Purgatorii. Et sic etiam in hoc in idem coincidunt Indulgentia trium, vel decem vel viginti dierum.

150. Verum instatur ulterius, quia per opus ejusdem generis, & æquè pęnosi unus ex meliori sui dispositione, ut quia est gratior Deo, vel quia cum intensiori affectu operatur, acquirit majorem fructum, quam alius; non potest ergo esse certus effectus hujus indulgentiæ. Respondent aliqui in mensurando hoc fructu, non debere attendi conditiones personales ipsius operantis, quæ variæ sunt, & sæpè interiores, de quibus homines non judicant, sed mensurari debet opus externum, & laboriosum, voluntarie factum cum cæteris conditionibus facientibus ad satisfactionem, quas haberet opus si fieret. Sed Suarez *disp.* 50. *sect.* 5. *num.* 16. dicit sibi esse valde probabile, considerandum esse statum in quo pœnitens reperitur, cum lucratur Indulgentiam, nimirum considerandum esse fervorem, & devotionem qua se disponit ad indulgentiam lucrandam, & secundum illum statum mensurandum esse fructum talis Indulgentiæ, ita ut tanta pœnitentia remittatur, quanta redimeretur per opus pœnale tanto tempore factum in tali statu, & cum simili fervore, & devotione.

151. Sed hoc ultimum non probatur, quia status pœnitentis, quem habiturus est tempore lucrandi Indulgentiam, non cadit sub consideratione, vel indulgentiam concedentis, vel injungentis pœnitentiam, quia est quid futurum contingens, & personale, de quo Confessarius in determinanda pęnitentia non potest ferre judicium. Quamvis igitur ex opere operantis, qui cum majori devotione operatur bonum, consequatur majorem fructum; hæc tamen devotio futura, & Confessori incognita non est talis ex quo mensurari possit, & debeat quantitas pœnitentiæ injungendæ.

152. Sed neque tamen verum est, quod non sint considerandæ conditiones personales, quæ possunt facere ad justitiam pœnitentiæ injungendæ, quæ scilicet sunt præsentes, & cognoscibiles, seu cognitæ à Confessario. Nam certum est, quod quo maior est contritio peccatorum, tanto amplius ex vi confessionis remittitur de pœna temporali; igitur tanto minor pœnitentia debet ei imponi. Dicendum igitur, quod conditiones personales vel merè internæ, & occultæ, seu incognoscibiles à Confessario non possunt esse mensura, ex qua desumatur quantitas satisfactionis imponendæ. Pariter nec conditiones personales pœnitentis futuræ post impositam satisfactionem. Tum quia istæ sunt contingentes, & incognitæ Confessario, qui de futuris contingentibus judicium certum habere non potest. Tum quia debet attendi status pœnitentis de tempore confessionis, quia pœnitentia debet imponi juxta ea, quæ tunc pœnitens debet Deo, non vero ex iis, quæ contingenter futura sunt. Ubi ergo pœnitens confessus est peccata sua attendi debet status pœnitentis, in quo tunc est. Qui talis est, ut consideratis considerandis prudenter potest ei imponi certa pœnitentia. Sed ubi qui lucratur Indulgentiam non fuit confessus, sed vi contritionis, & voti Sacramenti fuit justificatus, considerari debebit status illius de tempore primo habitæ contritionis, quia hujusmodi dies & anni computandi sunt à die dati judicii de peccatis, ubi ergo judicium non fit actu ab homine, standum est judicio Dei, per quod judicatur id, quod prudenter fieri debuisset à suo ministro, si tunc pœnitens illi confessus fuisset peccata sua. Et quia ex tunc remanet reatus pœnæ temporalis debitæ à pœnitente, qui reatus est certe pœnæ, Et sic etiam in venialibus hoc judicium attendi debet à tempore, in quo pœnitens obtinuit illorum peccatorum remissionem quantum ad culpam. Credo tamen, quod si post culpam remissam pœnitens per propria opera satisfecit in parte, & diminuit reatum pœnæ temporalis relictum post peccati remissionem, si nihilominus remanet adhuc reatus unius Anni pœnitentiæ, quod per Indulgentiam unius Anni remittatur sibi illius Anni reatus.

153. Sed adhuc videtur, quod maneat incertitudo, quia videtur quod pœna injungenda pro peccatis habeat latitudinem rigorosæ, mediocris, & mitissimæ pœnæ intra latitudinem justitiæ, quibus in remittenda pœna Purgatorii, inæqualis respondet effectus; per quam ergo ex istis mensurandus erit effectus huius Indulgentiæ? Respondet Suarez *disp.* 50. *sect.* 5. *num.* 17. mensurandum à rigorosa pœna, quia hoc redundat in favorem Indulgentiæ, quia quo pœnitentia est magis rigorosa, tanto habet majorem compensationem pœnæ in Purgatorio, & sic etiam effectus Indulgentiæ est maior. Sed melius cum eodem Suarez dicitur, quod licet in foro externo locum habere possit dicta pœnæ distinctio, quia multa dari possunt ex parte delinquentis mitigantia demeritum delicti, ut delinquens propterea non sit dignus rigorosa pœna à lege statuta, tamen in foro Dei illa distinctio non habet locum, quia in eo foro non est ex lege aliqua determinata in communi pœna statuta, sicuti determinatur per leges humanas, sed Deus considerat in individuo delicta omnibus pensatis, quibus sic sumptis debetur determinata individualis pœna, & indivisibilis quia tali delicto proportionata est debita; & à prudenti Confessario est imponenda juxtà modum prudentis cognitionis humanæ, quam pœnam Deus scit, & ad quam ex lege divina justitiæ pœnitens qui per contritionem, vel confessionem totam non delevit, remanet obligatus; Et in hoc sensu iterum dicitur considerandam esse dispositionem, & statum pœnitentis, non ut ratione illius dispositionis, si sit melior, immediatè imponatur minor satisfactio, sed in quantum ratione illius melioris dispositionis ex vi contritionis, aut confessionis simul cum culpa remittitur major pœna temporalis, & sic remanet minor reatus satisfaciendi per alia opera. Tanta igitur satisfactio est imponenda determinate, & indivisibiliter, quantam requirit reatus pœnæ relictus, & ad quem redimendum tanta pœna indivisibilis, & tota est imponenda.

154. Dices indè sequi non dari Indulgentiam partialem, sed per Indulgentiam semper remitti totam pœnam peccatis debitam post confessionem, aut contritionem. Quia pœnitentia justa, & quæ debet imponi pœnitenti confesso aut contrito debet esse proportionata, & efficax ad satisfaciendum integraliter pœnæ debitæ ab eodem pœnitente. Cum igitur per Indulgentiam remittatur pœna Purgatorii correspondens pœnitentiæ injungendæ, jam per Indulgentiam etiam determinatam ad dies, aut annos remittitur tota pœna Purgatorii pœnitenti debita. Dicitur nihilominus cum Suarez *disput.* 50. *sect.* 5. *num.* 18. hanc consequentiam non valere, quia si conceduntur verbi gratia septem anni Indulgentiæ, potest esse quod pœna debita pœnitenti, & satisfactio illi de jure imponenda sit decem, vel vigenti annorum, & amplius, & sic non semper Indulgentia remittit totam pœnam. Tum 2. ut idem Suarez addit, quia adhuc non est certum, quod per pœnitentiam justam, & condignam in foro Ecclesiæ impositam remittatur tota pœna in Purgatorio debita, & respondens tali peccato, sed hoc judicio Dei est relictum.

155. Quamvis enim Sotus *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 2. *artic.* 3. sequens in hoc Scotum *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 1. voluerit, quod pœnitentia data à Confessore secundum prudens arbitrium, & clave non errante, & sic judicio illius justa, & condigna remittat totam Purgatorii pœnam debitam peccatis confessis, quamvis in re illa pœnitentia non sit æqualis pœnæ illi, quæ ex lege divinæ justitiæ est illis peccatis in Purgatorio debita, & taxata. Nihilominus contrarium sentiunt Suarez *disp.* 38. *sect.* 5. *num.* 3. Vasquez 3. *par. quæst.* 94. *num.* 2. *dub.* 6. Cardinal. de Lugo *disp.* 25. *de pænit. sect.* 2. *numer.* 19. Tum quia ad causandos alios effectus Sacramentales non sufficit præcedens æstimatio Ministri. Sic enim verè indispositus non absolvitur, quamvis Confessarius prudenter judicet illum esse dispositum. Tum quia non est credibile, quod relictum fuerit arbitrio Confessoris judicium de æqualitate satisfactionis cum debito, ut censeri debeat satisfactio in re æqualis ex eo quod ipse illam prudenter judicet esse æqualem. Nam hoc superat hominis vires, qui non scit, qua mensura peccata puniantur in Purgatorio, & qualis pœnitentia Sacramentalis correspondeat tantæ pœnæ Purgatorii, nec scit quanta, & qualis sit pœnitentis interior dispositio, ex quo tamen pendet quantitas pœnitentiæ injungendæ, quæ minor magis disposito imponi debet; non ergo potuit, nec debuit relinqui Confessori hoc æqualitatis judicium, quod ipse nullo modo poterat prudenter ferre. Tum 3. quia

Sacer-

Sacerdos minister Sacramenti pœnitentiæ non dimittit immediatè debitum pœnæ, sed medio Sacramento, quod est illud, quod remittit culpam, & pœnam tamquam causa naturalis talis effectus; ipse verò sacerdos est causa applicans activa passivis, scilicet applicans Sacramentum, & satisfactionem Sacramentalem, quæ illa est, quæ remittit pœnam, quæ remanet pro peccatis solvenda. At verò causa naturalis applicata tantum causat, quanta est, & de se invariabilem habet effectum, & indivisibilem suæ virtuti proportionatum. Unde duæ pœnitentiæ inæquales non possunt eumdem effectum producere, & sic satisfactio in re inæqualis totius pœnæ remissioni non potest causare remissionem totius pœnæ, aliter esset in virtute æqualis majori pœnitentiæ ad remissionem totius pœnæ proportionatæ.

156. Ex his verò colligi debet, quod fructus Indulgentiæ mensurandus est ex justa pœnitentia pœnitenti injuncta, vel injungenda, non verò ex ea, quæ actu injungitur, si non justa, sed vel deficiens, vel excedens imponitur, si enim juste pro delicto confesso injungenda esset pœnitentia septem annorum, si Confessarius imponat pœnitentiam annorum trium, & concedatur Indulgentia annorum trium, per hanc Indulgentiam non remittitur tota pœna illi delicto debita, quia illa est annorum septem, non verò trium, & defectus Confessarii, qui minorem satisfactionem imposuit, quam esset debita peccato non suffragatur, ad delendum totam pœnam in Purgatorio debitam, quæ est respondens pœnitentiæ annorum septem. Similiter si peccato confesso debetur solum pœnitentia annorum trium, si Confessarius imponat pœnitentiam annorum septem, sufficit ad delendam pœnam peccato debitam, & justæ pœnitentiæ respondentem Indulgentia annorum trium. Suarez *d. disp. 50. sect. 5. num. 19.*

157. Ex quo sequitur etiam quod cum modo in Sacramento pœnitentiæ imponantur satisfactiones mitissimæ, & deficientes ab æquitate Justitiæ, effectus Indulgentiarum non est mensurandus juxtà quantitatem pœnitentiæ, quæ solet imponi, sed juxta illam, quæ de Jure rigoroso injungenda fuisset.

158. Colligitur etiam non esse verum, quod aliqui dixerunt, scilicet per Indulgentiam partialem, quæ datur absolutè remitti majorem pœnam, quam remittatur per Indulgentiam datam per clausulam *de pœnitentiis injunctis*. Quia si pœnitentia injuncta non est justa, Indulgentia ex illa non mensuratur, sed ab ea, quæ fuisset injungenda, & ità per Indulgentiam partialem concessam per clausulam de injunctis pœnitentiis tantum remittitur, quantum remitteretur per Indulgentiam absolutè sumptam, quæ ex justa injuncta, vel injungenda pœna mensuratur. Aliter dicendum esset, quod si Confessarius pœnitentiam excedentem concessisset, major effectus haberetur per Indulgentiam datam cum clausula de pœnitentiis injunctis, quam absolutè concessam, quod certè non est dicendum.

159. Sed scrupulus adhuc remanet. Nam pœnitentia actu in confessione injuncta, cum remittat aliquid ex opere operato, majorem habet effectum, quam injungenda: incertum igitur erit sub qua ratione mensuret effectum Indulgentiæ. Dicitur nihilominus, quod quamvis effectus Indulgentiæ partialis respondeat pœnitentiæ, quatenus habet effectum ex opere operantis, tamen absolutè dicendum est, quod correspondet illi ut habet effectum tamen ex opere operantis, quam ex opere operato, quia Indulgentia respicit pœnitentiam in foro sacramenti pœnitentiæ vel impositam, vel imponendam, & sic satisfactio injungenda est etiam Sacramentalis in aptitudine, & veluti in voto pœnitentis contriti. Cæterum pœnitenti nullum damnum ex hoc provenit, quia perinde est excusari hominem ab exequenda pœnitentia injuncta, vel fieri immunem ne talis pœnitentia possit imponi Suarez *d. sect. 5. num. 20.*

160. Tandem si aliquis dicat, sequi ex prædictis eamdem Indulgentiam: v. g. septennem majorem habere effectum in eo, qui gravius peccavit solum quia gravius peccavit quia ei septennis gravior esset imponenda v. g. perjuro, quam adultero, & sic septennis Indulgentia in perjuro, cui debetur major pœnitentia cœteris paribus habet majorem effectum. Respondet Suarez *d. disp. 50. sect. 5. num. ult.* ex Corduba *quæst. 32.* nullum esse inconveniens, quod majorem gratiam recipiat à remittente debitum ille qui magis debet, & quia qui gravius peccat, ceteris paribus magis debet, & ideò in eo Indulgentia majorem pœnam remittit, misericordia Ecclesiæ Indulgentias concedentis hoc operante.

161. Sed remanet adhuc dubium, nam ex dictis videtur sequi, quod Indulgentia plenaria non deleat totam pœnam debitam peccatis remissis. Nam ex una parte dictum est, quod Indulgentia liberat à pœnis Purgatorii correlativè, & dependenter à pęna injuncta, vel injungenda in foro pœnitentiæ. Ex alia autem parte etiam dictum est, quod etiam si pœnitentia imposita prudenti arbitrio Confessoris sit justa; & condigna, adhuc potest esse, quod ei non respondeat in Purgatorio totius pęnæ debitæ remissio; igitur poterit esse, quod Indulgentia plenaria non liberans nisi à pęnis Purgatorii proportionatis pęnitentiæ injunctæ, vel injungendæ à Confessario, non liberet ab omnibus pęnis debitis in Purgatorio.

162. Respondetur nihilominus, quod ut dictum est *quæst. 12.* Indulgentia plenaria eadem est ac plenissima. Unde ex DD. ibidem citatis quam plures dixerunt eum, qui lucratus fuit Indulgentiam plenariam, si tunc statim obiret mortem sine eo quod transiret per pęnas purgatorii statim evolaret ad Cęlum. Et ad instantiam in oppositum dicitur, quod licet possit contingere, quod aliquando pęnitentia putata rationabiliter condigna, & tunc per illam satisfactionem non remittatur tota pęna debita in Purgatorio, tamen hoc est per accidens, & bene etiam contingere potest quod à Confessario pœnitentia in re condigna imponatur. Indulgentia verò plenaria liberat ab omni pęna Purgatorii quæ sit proportionata pęnitentiæ injunctæ, aut injungendæ absolutè, & universaliter, & nimirum etiam illi quæ injungi posset justa, & condigna ne dum secundum probabilem opinionem Confessoris, sed in rei veritate & secundum omninò indeficiens judicium Confessoris, seù clave nullo modo, & nec per probabilem ignorantiam aut errorem errante; & ideò Indulgentia plenaria liberat totaliter ab omni pœna Purgatorii pro peccatis demissis debita.

QUÆ-

QÆSTIO XV.

Utrum Soli homines Viatores sint capaces recipiendi Indulgentiam.

SUMMARIUM.

163 *Ratio difficultatis.*
164 *Soli viatores sunt capaces Indulgentiæ.*
165 *Cathecumini an sint capaces Indulgentiæ.*
166 *Omnis Indulgentia est personalis, licet ex analogia aliqua dicatur localis, aut realis.*

163. RAtio difficultatis est, quia Indulgentiæ prosunt etiam animabus Purgatorii, licet illæ sint extra viam. Item Indulgentia distinguitur in personalem, localem, & realem, quia aliqua conceditur loco, ut alicui Ecclesiæ, vel rei, ut imagini, aut Rosario. Non igitur soli homines sunt capaces Indulgentiæ.

164. Sed indubitatum est solos homines viatores esse capaces suscipiendi effectum Indulgentiarum Nam cum Indulgentia sit remissio pœnæ temporalis debitæ in foro Dei post culpam remissam, ille solus est capax Indulgentiæ qui est capax culpæ, & reatus pœnæ remissibilis. Quia verò sola creatura rationalis est capax operis laudabilis, meritorii, & demeritorii, ideò nulla creatura irrationalis est capax Indulgentiæ, sed neque Beati culpæ capaces sunt, vel Indulgentiæ. Damnatorum verò pœna est irremissibilis. Animabus verò existentibus in Purgatorio Indulgentiæ prodesse possunt, sed sunt aliquo modo viatores, quia adhuc ad terminum viæ, qui est beatitudo non pervenerunt. Soli igitur homines viatores sunt effectus Indulgentiarum capaces.

165. Imò hoc non convenit omnibus hominibus, quia non convenit non baptizatis; Respectu enim Cathecumeni non dari Indulgentiam tenent Suarez *disp.* 52. *sect.* 1. *& disp.* 53. *sect.* 4. *num.* 8. Nugnus *in add. quæst.* 27. *art.* 3. Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 33. Bonacc. *disp.* 6. *quæst.* 1. *p.* 5. *num.* 2. Leander, & Coninch, Præpositus Filliuc. Lavor. Machado apud Leandrum loco infra citando Palaus *tract.* 24. *par.* 8. *num.* 2. Cotton. *lib.* 2. *contr.* 11. *num.* 16. quia Indulgentia est actus Iurisdictionis spiritualis, quæ non potest exerceri nisi in subditos; *cap. quod autem de pœnit. & remiss.* Non baptizati autem non sunt subditi Ecclesiæ. Soli igitur baptizati sunt capaces Indulgentiarum, si tamen illa indigeant, quia qui non est debitor pęnæ, non est capax Indulgentiæ, quæ est pęnæ remissio. Nihilominus, quod Cathecumeni sint capaces Indulgentiæ per modum suffragii meritò sentiunt Navar. *not.* 31. *ad fin. & not.* 33. *num.* 8. Diana *par.* 5. *tract.* 2. *Resol.* 9. Card. de Lugo *disp.* 27. *num.* 77. Leander *tract.* 9. *disp.* 15. *quæst.* 35. Et apud istos Henric. Granados, Faber, & Villalobos. Quia Indulgentia per modum suffragii non requirit, quod is ad cujus favorem indirectè conceditur sit subditus. Nec Suarez, & qui illum sequuntur, probat, aut probare potest, quod sicut privatus potest suffragium ferre pro cathecumeno, id non possit facere Pontifex pro eo, qui Ecclesiæ est conjunctus fide, & charitate, licet nondum sit baptizatus, Boss. autem de *Iubilæo sect.* 4. *casu.* 22. *num.* 19. putat probabile esse, quod Cathecumenis competat etiam Indulgentia per modum absolutionis. Quod tenent apud Leandrum Navar. Leo, Polanchus, & Bostonus, & sumit fundamentum, quia Cathecumenus contritus est baptizatus in voto, & sic in voto est Ecclesiæ subditus An verò baptizatus nulliter possit ad baptismum cogi dixi *tom.* 2. *de stat. quæst.* 187. *art.* 1. *num.* 66. *pag.* 15. Et idem potest quæri de Cathecumenis, qui promisserunt Baptismum. Unde cum Cathecumenus contritus ex voto Baptismi sit jam fidelis, & unitus Ecclesiæ per charitatem, & jam absolutus à culpa, videtur taliter subiectus, quantum sufficit, ut sit capax Indulgentiarum.

Sed in hac difficultate considerandum mihi videtur, quod ad remissionem totius culpæ, & pęnæ pro peccato originali, & aliis peccatis actualibus commissis à non baptizato, ordinatum est Sacramentum baptismi per cujus susceptionem remittitur omnis culpa, & pęna, ut docet D. Thom. 3. *part. quæst.* 69. *art.* 2. & habetur diffinitum à Concil. Trid. *sess.* 5. *cap.* 5. *& sess.* 6. *cap.* 14. *& sess.* 14. *cap.* 8. Et licet per solam contritionem cum voto baptismi non remittatur semper omnis pęna temporalis ut docet Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. D. Thom. disp.* 31. *sect.* 1. Sed ad remissionem omnis pęnæ requiratur susceptio baptismi realis, & actualis; tamen peccatori jam concessum est sufficiens remedium, & medium ad remissionem totius pęnæ consequendam, quod est Sacramentum baptismi in re susceptum. Neque ad hunc effectum indiget Indulgentia. Cathecumenus igitur non indiget Indulgentia, quia omnem pęnæ remissionem infallibiliter consequi potest per Baptismum in re susceptum. Et licet possit dici, quod indigeat Indulgentia, ut si contingat eum non posse baptizari ante mortem, per eam obtineat plenam remissionem pęnæ, cujus reatum non abstulit contritio, & baptismus in voto, tamen si consideretur, quod Cathecumenus ab Ecclesia non potest absolvi à culpa nisi mediante Sacramento baptismi, quod omnem etiam pęnæ reatum aufert, perinde infertur, quod Ecclesia neque potest ipsum absolvere, & judicaliter liberare à pęna per indulgentiam, quia potestas remittendi pęnam supponit potestatem remittendi culpam, & illi innitur. Et Ecclesia non potest absolvere Cathecumenum à culpa, nisi per Baptismum, qui simul aufert omnem pęnæ reatum, & excludit remissionem pęnæ per Indulgentiam. Igitur ex his concluditur, quod Indulgentia respicit pęnam debitam pro peccatis post baptismum commissis, quorum reatus totius pęnæ regulariter per Sacramentum pęnitentiæ non tollitur ut ex Concil. Trident. in locis citatis habetur. Ecclesia igitur per Indulgentiam non potest absolvere Cathecumenum à pęna temporali, quia non potest illum absolvere à culpa, nisi per Sacramentum baptismi, quod ex quo ex se tollit omnem pęnam excludit remissionem pęnæ per Indulgentiam, & sic Indulgentia per modum absolutionis solum potest concedi, & habet locum in baptizatis, & respectu reatus pęnæ temporalis, qui remanet post susceptum pęnitentiæ Sacramentum.

166. Ad primum patet solutio ex dictis. Ad secundum quidam dicunt, quod omnis Indulgentia conceditur in ordine ad usum humanum, quamvis localis immediatè concedatur loco, & illi inhærat in ordine ad personas, & solum mediante loco effectus ejus communicatur hominibus. Et idem dicunt de Indulgentia reali, quæ conceditur in gratiam alicujus rei mobilis, ut est imago aliqua, vel Agnus Dei, aut Rosarium, & illi censetur inhærere, & per illam communi-

municari homini. Sed hæc minus proprie dicuntur. Nam omnis Indulgentia immediatè, & directè, & propriè conceditur hominibus, quibus remittitur pœna temporalis; sed quia Indulgentiæ conceduntur sub conditione alicujus operis, hæc differentia est, quod aliquando opus injunctum liberum est, nec alligatum alicui loco, vel rei sicut est Indulgentia concessa recitantibus Rosarium, aliquando verò opus est determinatum loco, ut quando conceditur Indulgentia visitantibus Basilicam Apostoli Petri. Tunc verò Indulgentia non est propriè concessa illi Basilicæ, sed homini sub conditione, quod visitet illam Basilicam. Et licet usus communis loquendi habeat, quod dicatur Indulgentia concessa Ecclesiæ; hæc est locutio figurata, & analogica, non habens fundamentum, nisi quia actio sub qua est concessa Indulgentia in Ecclesia illa haberi debet, & Indulgentia respicit cultum Dei, & honorem Sanctorum, sub quorum nomine Ecclesia est ædificata, vel Altare erectum, vel quorum reliquiæ ibi venerantur. Et idem dicitur de Indulgentia, quæ dicitur concessa imagini benedictæ. Nam propriè Indulgentia concessa est hominibus, sed sub conditione quod deferant, aut venerentur Imaginem illam benedictam.

QUÆSTIO XVI.

An in Indulgentia locali, ad obtinendam Indulgentiam sufficiat ingredi locum, vel aliquid in loco operari.

SUMMARIUM.

167 *Ingressus in Ecclesiam debet fieri intuitu divini cultus.*
Visitatio non fit sine aliquo actu orationis.

167. INdubitatum est, quod in forma Indulgentiæ exprimitur aliquod opus faciendum intra locum, seu Ecclesiam, cui dicitur concessa Indulgentia, necesse est omnino intra locum tale opus perficere, Indulgentiæ enim hujusmodi sunt concessæ sub conditione, nec habent effectum, nisi impleta conditione; sed quando expresse nullum hujusmodi opus particulare, sed sola visitatio Ecclesiæ exigitur, ut cum conceditur Indulgentia visitantibus aliquam Ecclesiam, certum est non sufficere ingressum in Ecclesiam ex quocumquè fine, vel scilicet curiositatis gratia ad videndum ejus structuram, vel picturas ejus, vel necessitatis gratia ad se defendendum à pluvia; sed requiritur ingressus in Ecclesiam, qui fit ex fide, & religione ad Deum colendum, vel in seipso, vel in aliquo Sancto, qui propter Deum ibi honoretur. *Extravag. Unigenitus de pœnit. & remiss.* Suarez *tom. 4. disp. 52. sect. 1. num. 4.* Palaus *tract. 34. punct. 3. num. 15.* Navar. *in cap. si quando de cons. dist. 1. cap. 6. §. 14.* Cond. *qu. 25.* Rodriq. *in summ. cap. 265. num. 7.* Unde talis visitatio moraliter non est separabilis ab aliqua oratione, aut deprecatione, quæ fiat in illo loco, quamvis modus, & quantitas ejus non determinetur, sed relinquatur visitantis arbitrio. Sed videnda sunt, quæ infrà de Ecclesiarum, & Altarium visitatione disputantur.

QUÆSTIO XVII.

Utrum Indulgentiam concessam visitantibus Ecclesiam aliquam, vel orantibus in ea, lucrentur illi, qui non possunt Ecclesiam ingredi.

SUMMARIUM.

168 *Corporalis ingressus intra Ecclesiam non est necessarius.*
169 *Sufficit visitatio moralis.*
170 *Sufficit visitare Ecclesiam ex Cæmeterio.*
171 *Qualis præsentia, & visitatio requiratur ad visitanda quinque altaria.*

168. NEcessarium esse in hoc casu corporalem ingressum intra Ecclesiam voluit Glossa *in Clem. 1. de Reliq. & Vener. Sanct.* Servanda enim est forma concessionis Indulgentiæ. Sed alii contrarium sentiunt ex præsumpta intentione concedentis. Sed alii scilicet Rosella. *Verb. Indulgentia num. 21.* Cordub. *quæst. 32.* citantur etiam Tancred. *par. 1. cap. 20. quæst. 40.* Pinellus *de Indulg.* Portell. *Verb. Indulg. in add. num. 8.* cum Suarez *tom. 4. disp. 52. sect. 1. num. 6.* dicunt in Indulgentiis non habere locum præsumptam concedentis voluntatem, quia ex communi sententia impotentia implendi conditionem, sub qua est concessa Indulgentia, non excusat, nec facit, quod possit Indulgentia obtineri: Nam aliter sequeretur, quod si fores Ecclesiæ essent clausæ, quis posset lucrari Indulgentiam extra illam orando. Imò sequeretur, quod infirmus manens Domi, si animo, & desiderio visitaret illam Ecclesiam Indulgentiam lucraretur. Imò nec sufficit aggredi opus, sub cujus conditione Indulgentia est concessa, si enim sit necesse visitare limina Apostolorum, non sufficit iter inchoare, etiam si mors intercedat. Nisi specialiter à concedente Indulgentia extendatur ad infirmos, & impeditos, sicuti Sixtus V. in sua constit. *Dum ineffabilia.* extendit ad infirmos, & impeditos Indulgentiam plenariam concessam interessentibus Processioni Rosarii prima Dominica Mensis.

169. Nihilominus licet verum sit, standum esse verbis concessionis Indulgentiarum, ut docet D. Tho. *quod. 2. art. 16.* Armilla & Palud. *4. dist. 20. quæst. 4. num. 46.* Navar. *in Comm. de Indulg. not. 19.* nihilominus hic distinguendum est, quia si verba concessionis expresse requirant ingressum corporalem, ut quia requirunt actionem, quæ extra Ecclesiam non potest haberi, ut si requirant Missæ celebrationem, in hoc, & similibus casibus, qui non ingreditur, non lucratur Indulgentiam, sed si verba concessionis extendi possunt, & verificari de accessu ad Ecclesiam; qui moraliter existimetur esse ingressus, & visitatio Ecclesiæ, non est necessarius ingressus corporeus. Sic si Indulgentia sit concessa visitantibus Ecclesiam, si ingressus corporeus est impeditus censetur Ecclesiam visitare, qui ad fores illius orat, Sic etiam si concessa sit Indulgentia visitantibus Ecclesiam, & ibi orantibus, si ob multitudinem populi, quis non possit ingredi, lucratur Indulgentiam, si extra orat, quia censetur moraliter visitare illam. Armilla *Verb. Indulgentia num. 19.* Nugnus *in 3. par. tract. de Bulla Cœnæ §. 10.* Suarez *disp. 52. sect. 1. num. 7.*

num.7. Bonac. *disp.6.quæst.1.punct.5.numer.16.* Diana *par.1.tract.11.resol.103.* Lugo *disp.27.num.97.* & apud ipsos Leo, Rodriquez, Graffius, Villalobos, Moure, Filliuc. & Sanctarellus, Layman. *lib.5. tract.7.cap.5. numer.4.* Leander. *tract.5.disp.14.quæst.67.* & apud eum Trullench. & Lavorius, Palaus *tract.24.punct.3.nu.15.* Boss. *de Iubil. sect.4. num.50.* & apud eum Layman. & Fernandez. Sanctarell. *de Iubil.cap.4.dub.3.*

170. Cæmeterium etiam hic venire nomine Ecclesiæ dicunt citati DD. & quia sumus in favorabilibus, si sit concessa Indulgentia audientibus Missam in Ecclesia, & in necessitate Missa audiatur in Cæmeterio, acquiritur Indulgentia. Extrà tamen casum necessitatis agendum est, quod est securius.

171. An verò sufficiat orare extra Ecclesiam, quando Indulgentia concessa est, visitantibus quinque Ecclesiæ Altaria, sufficere dicunt Rosella *.Verb. Indulg. num.22.* Corduba *quæst.21.* & apud Leandrum, Moure, Rodriquez, & Villalobos. Non sufficere ait Card. de Lugo. *disp.27.num.98.* & apud eum Nugnus *in 3 par. tract.2.tract.de Bulla num.10.* Diana *1.par.tract.11.resol.103.* Alii distinguunt, & dicunt, quod si à foris Altaria possint videri, & non possit quis ingredi Ecclesiam, quod sufficit orare extra, quia censetur moraliter illa visitare, Boss. *de Iubil. casu 14. num.14.* Leander *tract.5.disp.14.quæst.68.* & apud eum Trullench. & Ludovicus à Cruce. Quidam etiam existimant, quod ad visitanda Altaria sit necessarius motus corporis. Hoc autem negant Vega, Villalobos, Azorius, Graffius, Heuriquez, & alii quos sequuntur Diana ubi supra *res.102.disp.6.quæst.1.num.25.* quid de his sentiam dicam infrà.

QUÆSTIO XVIII.

Utrum diruta Ecclesia cesset Indulgentia illi concessa.

SUMMARIUM.

172 *Qualiter Ecclesia destructa destruatur, vel non destruatur, Indulgentia localis.*

172. Ecclesia potest dirui per partes, & simul per partes reædificari, & potest dirui tota. In primo casu remanet eadem Ecclesia, & ideò non cessat Indulgentia, ut fert communis sententia, sed si Ecclesia tota diruatur cessare Indulgentiam dixit Palud. *4.dist.20.quæst.4.art.1.* in fine, si oporteat eam dedicare iterum. Sed alii existimant, quod sive Ecclesia destruatur de jure, sive de facto, si reædificatur, recuperat privilegia sua, ita quod etiam si non reædificetur statim, retineat privilegia, si reædificatur in eodem solo. Ita Suarez *disp.52.sect.1.num.9.* Sed si Ecclesia transferatur ad alium locum licet fiat auctoritate Superioris idem Suarez ibidem negat, Ecclesiam retinere privilegia, quia non est eadem quoad locum, & ædificium. Sed cum alii dicunt Ecclesiam translatam auctoritate Superioris retinere privilegia Palaus *tract.24.par.11. num.3.* hoc limitat, ut non verificetur, quando Indulgentia est concessa ratione situs & loci. Sed in hac parte non est recedendum à communi sententia Canonistarum. Vel enim Ecclesia destruitur auctoritate Superioris, ut destructa maneat, & non reædificetur, ut si destruatur in pœnam populi, & certum est simul cum Ecclesia cessare omnia privilegia illius. Vel destruitur auctoritate Superioris, ut reædificetur in eodem loco, & sub eodem titulo, & certum est. Ecclesiam non perdere sua privilegia, & sic non perdere Indulgentias, sed eas manere suspensas, donec ita reædificetur ut in ea celebrentur divina officia, vel exhibeatur cultus auctoritate Superioris. Vel Ecclesia de facto diruitur sive ab hostibus, sive casu alicujus terremotus, aut simili causa, & tunc non perdit sua privilegia, sed reædificata auctoritate Superioris illa recuperat. Quod idem dicitur si auctoritate Superioris transferatur ad quemcumque alium locum sub eodem titulo, & ut subrogata in locum prioris dirutæ. Sic enim cum hujusmodi distinctionibus quæstionem solvunt, *in cap. cum ex injuncto de nou. oper. nunciat.* Innoc. *num.22.* Hostien. *num.9.* Io: Andr. *num.3. & 4.* Henric.Boich. *num.5.* Butr. *num.4.* Card. *num.5.* Anchar. *num.9.* Panorm. *numer.5.* Marian.Soccin. *num.11.* R. P. D. Fagnanus *num.15.* Circa quæ adverto, quod si Ecclesia fuit destructa simpliciter auctoritate Superioris, ut non reædificetur, non credo quod recuperet privilegia etiam si iterum Superioris auctoritate reædificetur, quia simpliciter illa defecit, & cessavit, & veluti mortua fuit, & per accidens est, quod resurgat. Quamvis quod reædificatum auctoritate Superioris recuperet privilegia doceat Innoc. *in cap. Abbate num.4.* in fine *de verb. signif.* & ex Gloss. *in cap. licitè videatur*, quod Lazarus resuscitatus recuperet dignitates, saltem de æquitate. Ad quod citatur etiam Bartolom. Brixien. *in quæst. Domin.* quæ incipit: *Esto quod aliquis.* Sed certè licet quæ effectum producunt in anima durent post mortem, undè resuscitatus non debet iterum baptizari, vel ordinari, tamen alia morte cessant, & sic morte solvitur matrimonium, & resuscitatus nisi iterum nubat cum priore uxore, non est illius maritus, ut tradit D.Thom. *lect.7.in cap.11. ad Hebræos*, gloss. *in d.cap. licitè in verb. nunquam*, & Turrecrem. *ibidem*. Et sic etiam morte Dignitates, & privilegia amittuntur. Ecclesia verò auctoritate Superioris diruta, ut non reædificetur est veluti mortua, undè non recuperat privilegia, si reædificetur, & doctrina Innoc. procedit de loco de facto, vel auctoritate Superioris diruto, ut reædificetur. Et pariter ad hoc ut recuperet privilegia necesse est, ut reædificetur auctoritate Superioris, quod maximè in Ecclesia est necessarium. Si enim invito Superiore reædificaretur, non recuperaret privilegia. Quando tamen Indulgentia esset concessa Ecclesia rationem loci, in quo est si transferretur totaliter extrà locum, non recuperaret Indulgentiam.

QUÆSTIO XIX.

Quid referat ad pietatis opus, & satisfactionem pœnæ orare potius in hoc loco, quam in alio, vel per hos calculos potius, quam per alios, ut ob hanc causam dicatur Indulgentia concessa huic loco, vel his calculis.

SUMMARIUM.

173 *Qua ratione concedatur alicui loco, aut rei Indulgentia.*

173 Res-

173 RESpondetur, quod circumstantia loci multum refert, & Indulgentia concessa uni Ecclesiæ juvat ad augendam devotionem erga Deum & Sanctum, in cujus honorem Ecclesia est dedicata. Similiter Indulgentia concessa huic vel illi imagini multum juvat, ut illa imago habeatur in majori reverentia, & ut crescat devotio erga Deum, & Sanctum, cujus est illa imago. Sic enim & Deus per quasdam imagines particulares magna operatur miracula, ad augendam fidelium devotionem, & ad exercitium fidei, & Religionis. Sic conceditur Indulgentia ipsis Agnus Dei consecratis, qui sunt veluti Sacramentali à quædam, ut in eorum usu fideles fidem protestentur, & Religionem. Sic quia grana, & calculi per se sunt instrumenta ad actum Religionis, scilicet ad orandum, illis conceditur Indulgentia, ut res hujusmodi apprehendantur tanquam specialia Instrumenta ad recipienda Dei beneficia, & ex hoc crescat in illis fides, & devotio, & excitenter homines ad frequentius, & devotius orandum per illa. Sic igitur loca, & res ex concessione Indulgentiæ magis sanctificantur, quia deputantur ad specialem spiritualem effectum, unde cæteribus paribus orare in simili loco, vel utendo similibus rebus ad Dei cultum est actio melior, & Deo magis accepta, quia habet circumstantiam moralem meliorem. Suarez *disp.52. sect.* 1. *num.* 10. de Lugo *disp.* 27. *num.* 130.

QUÆSTIO XX.

Vtrum generalis Indulgentia concessa alicui Oppido vel Populo se extendat ad Clericos, & Religiosos.

SUMMARIUM.

174 *Ratio ad quæstionem.*
175 *Indulgentiæ prosunt Clericis, & Religiosis.*
176 *Clerus venit sub nomine fidelium.*
177 *Clericis ejusdem Ecclesiæ communis est Ecclesiæ Indulgentia.*
178 *Religiosis competit Indulgentia Episcopalis.*
179 *Etiam Advenæ lucrantur Indulgentias loci.*

174 VIdetur enim non comprehendi; tum quia interdicto Populo non censetur interdictus Clerus; tùm quia dum conceditur Indulgentia alicui Ecclesiæ id fit ad augendam devotionem erga illam, & ideo non videtur intentio concedentis illam tribuere propriis, & quasi familiaribus Clericis ejusdem Ecclesiæ. Unde Nicolaus de Lyra *in quodlibet. apud Felin.tr.de Indulg.num.*35. dixit, quod Indulgentiam concessam venientibus, & benefacientibus Ecclesiæ non participant Clerici illius Ecclesiæ. Tertio quia Indulgentia solis subditis conceditur; Religiosi verò non sunt subditi Episcopi igitur non possunt participes esse Indulgentiæ Episcopalis.

175 Sed indubitatum est, Indulgentiam concessam generaliter se extendere ad Clericos, & Religiosos, quia isti in omni proprietate sermonis sunt fideles, & spectantes ad Populum Christianum *arg. cap. Duo sunt* 12.*quæst.* 1. ideò in his præcipuè, quæ favorabilia sunt comprehenduntur sub nomine fidelium, aut Christiani Populi, Indulgentiæ verò conceduntur fidelibus, & Populo Christiano, Non enim Clerici, aut Religiosi sunt minus adjuvabiles, quam seculares D. Thom. 4. *dist.*20. *quæst.* 1. *a.* 1. *quæst.* 2. Abb. *ibid. art.* 18. Innoc. V. *quæst.*3.*art.*1. Palud. *ibid. quæst.*4.*art.*3. Durand. *quæst.* 4. *num.*14. D. Anton. *part.* 1. *tit.* 10. *cap.* 3. §.2.*fin.* Bolog. *de Indulg. num.* 63. Navar. *not.* 31. *num.* 12. Bellarm. *lib.*1. *c.*11. *quæst.* 3. Barbosa *de offic. Episc. alleg.*88. *num.* 27. & apud eum Cochier. & Azed. Suarez *dist.* 52. *sec.*1. *num.* 13. *in verbo Indulgentia num.* 15. Palaus *tr.* 24. *par.*3. *num.*14. Bonac. *disp.*6.*q.*1.*par.*3. *n.*15. Felin. *d. quæst.* 3. *n.*35. Sanctarell. *de Iubil. cap.*3. *dub.*3.

176 Ad primum in oppositum dicitur, Clerum non venire sub nomine Populi solum in odiosis, & penalibus *cap. si sententia de sent. excomm.* & ideò interdicto Populo, non censetur interdictus Clerus, non verò in favorabilibus Ludov. Bonac. *de Indulg. num.* 106. ex Bal. *l. cunctis Populis colum.* 7. & 8. & Roman. *cons.* 180.

177 Ad secundum, quod sententia illa non est probabilis, quia & in propriis alicujus Ecclesiæ Clericis augeri potest devotio erga Ecclesiam, & Sanctos, qui in illa specialiter coluntur. Et de ratione visitationis Ecclesiæ non est extrinsecum iter ad Ecclesiam, sed præsentia in Ecclesia, & Dei cultus ibi præstitus.

178 Ad tertium dicitur, quod Religiosi sunt exempti ab Episcopis in favorem, non in detrimentum, & ad hoc sufficit quod monasterium sit intrà confines Diœcesis, ut citati DD. tradunt.

179 Hinc est, quod etiam Advenæ possunt locales Indulgentias lucrari, quia quantum ad hoc sunt satis subditi: Nam & tenentur ad leges loci: unde meritò fruuntur etiam loci privilegiis communibus, & sic loci Indulgentias possunt lucrari Paleus ubi suprà, & apud eum Sà, Layman, & Barbosa.

QVÆSTIO XXI.

Vtrum generalis Indulgentia personalis se extendat ad ipsum concedentem.

SVMMARIVM.

180 *Ratio difficultatis.*
181 *Pontifex potest uti Indulgentia aliis concessa.*
182 *Potest hoc facere committendo alteri, ut sibi Indulgentiam concedat.*
183 *Et quia est pars Communitatis potest frui bonis Communitati concessis.*
184 *Ex lege connaturali Pontifex est particeps bonorum communium.*
185 *Iurisdictio necessaria ad concedendas Indulgentias non est talis, quam Pontifex non possit in se ipsum exercere.*
186 *Pontifex duplicis personæ vicem gerit.*
187 *Quod Pontifex directè non possit sibi concedere Indulgentiam non est ex defectu potestatis.*
188 *Obiectiones aliquæ.*
189 *Non licet concedenti Indulgentiam dispensare thesaurum ut se promoveat ad procurandum Ecclesiæ bonum, quia ipso alias ad hoc tenetur.*

190 Li-

190 *Licet possit id facere ad hoc ut alii faciant id, ad quod tenentur.*
191 *Pontifex totus esse debet Ecclesiæ.*
192 *Pontificem non posse sibi directè concedere Indulgentiam est communis opinio.*

180 Videtur enim non posse extendi, quia concessio Indulgentiæ est actus jurisdictionis, nemo autem habet in se ipsum jurisdictionem. Tum secundo quia Indulgentia est absolutio, at verò nemo se absolvit. Tertio quia Prælatus non potest secum in lege dispensare, igitur neque pro se ipso potest thesaurum Ecclesiæ dispensare.

181 Nihilominus certa, & communis sententia est, Prælatum, qui generaliter Indulgentiam concessit, posse sibi lucrari Indulgentiam, ut docuit D. Th. 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæst* 4. Innocentius V. *ibidem quæst.* 3. *a.* 1. *ad* 2. *ult. arg* Durand. *quæst.* 4. *num.* 11. Paludanus *quæst.* 4. *art.* 3. Richard. *art.* 4. *quæst.* 3. Aug. de Ancona *de potest. Eccles. quæst.* 29. *art.* 2. Turrecremata §. *Item in Levitico de pœnitent. dist.* 1. *art.* 6. *n.* 68. D. Antonin. *part.* 1. *tit.* 10. *cap.* 3. §. 2. Cajetanus *tract.* 15. *cap.* 5. Syl. *verb. Indulgentia num.* 21. Tabien. *num.* 28. Bologn. *de Indulg. num.* 60. Fœlin. *eodem tract. num.* 35. Dominicus *in cap. Indulgentia de pœnitent. & remiss. in* 6. Navarr. *de Iub. not.* 20. *num.* 11. Sotus *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 4. Suarez *disp.* 52. *sect.* 1. *num.* 14. Sanctarell. *de Iubil. cap.* 15. *dub.* 6. Sà *verb. Indulgentia num.* 17. Bonac. *disp.* 6. *quæst.* 1. *part.* 3. *num.* 10. Filliucius *tract.* 8. *cap.* 6. *quæst.* 2. *num.* 130. Pinell. *de Indulgent. cap.* 20. Barbosa *dicta alleg.* 88. *num.* 28. & apud eum Graff. Henriq. Rodriq. Benzon Azon. Fabrin. Valer. & Layman Sylv. *in* 3. *part.* D. Thom. *quæst.* 25. *supplem. art.* 1. *d.* 3. *& art.* 4. Palaus *tract.* 24. *part.* 3. *num.* 14. Nugnus *in supplem. quæst.* 27. *art.* 4. Probatur verò hoc ex usu Pontificum, qui quidem Jubilæum à se concessum pro se ipsis lucrantur. Et ratio est, quia Prælatus in communibus bonis non debet esse deterioris conditionis, quàm sint alii subditi, & dura esset conditio Pontificis, si ipse non posset participare de communi thesauro Ecclesiæ.

182 Plures autem sunt modi, quibus secundum DD. Prælatus fieri potest particeps Indulgentiæ pro aliis concessæ; Primus est, si Prælatus alicui det facultatem, ut sibi concedat Indulgentiam, prout sibi bonum visum fuerit. Nam, & in foro pœnitentiæ Prælatus dat Jurisdictionem alicui, ut se absolvat. Nec valet quod aliqui dicunt, scilicet Jurisdictionem in foro pœnitentiæ à Jure Divino collatam esse, quoniam nisi Pontifex se subjiciat Confessorio, ille non habet Jurisdictionem expeditam, ut eum absolvere possit. Nec absurdum est, quod in foro Animæ Prælatus possit suam Jurisdictionem delegare circa se ipsum exercendam, ut in proposito de Indulgentis multi tenent, scilicet Innocentius V. Richardus, Cajetanus, Archidiac. Suarez, Nugnus, & plures alii locis citatis; Quidquid in contrarium dixerit Navarr. *not.* 20. *num.* 11. Sed de hoc vide infra *num.* 192. In eo tamen casu delegatus non poterit Indulgentiam concedere deleganti, nisi adsit justa causa. Nugnus, & Innocentius Quintus loco citato.

183 Secundus modus est, ut concessio, quæ directè fit Communitati redundet in Prælatum, ut est pars Communitatis. Et hunc modum approbat D. Thom. 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 5. *quæst.* 4. & alii supra citati; licet ergo nullus possit exercere directè Jurisdictionem erga se ipsum, id tamen fieri potest indirectè. Neque enim verum est, quod dicit Navarr. *Com. de Iubilæo not.* 20. *num.* 11. Scilicet hic non intervenire usum Jurisdictionis in Pontifice respectu sui, sed solum applicationem thesauri. Quia hæc Indulgentia habet vim in Pontifice, ex vi ejusdem concessionis, absolutionis, & remissionis, quæ Indulgentia habet locum in subditis, illud enim simplex verbum habet vim, & significationem respectu omnium, & ab unica, & simplici intentione procedit.

184 Dicunt verò alii, Indulgentiam hanc habere locum in concedente non ex voluntate concedentis, & potestate ejus, sed ex lege divina, & voluntate Principis Superioris, si usum habeat, vel ex voluntate Christi: Sic enim Prælatus non potest se ipsum obligare sua lege, sed obligatur ex lege naturali, quæ vult, quod in moribus caput conformetur corpori. Sed hoc alii impugnant. Nam unde constat Christum Dominum concedere eamdem Indulgentiam Prælato, quam Prælatus concedit aliis? Sed responderi potest, hoc colligi, quia est de lege naturali, ut caput sicut in moribus, ita in bonis communibus conformetur corpori, & bonorum illius sit particeps. Quamvis hic modus explicandi non sit necessarius in præsenti, quia non est contra rationem asserere, quod Prælatus, possit ex propria voluntate, & potestate esse particeps bonorum, quæ de thesauro Ecclesiæ communiter suis subditis dispensat.

185 Tertium modum assignat Suarez *tom.* 4. *disp.* 52. *sect.* 1. *num.* 19. admittens Prælatum posse sibi concedere Indulgentiam immediatè, & directè, & non solùm secundariò, & simul cum tota Communitate, sed primariò, ac sibi soli, & per se ipsum. Ratio est, quia usus Jurisdictionis, per quam conceditur Indulgentia, non est talis qui requirat realem distinctionem personarum, sed sufficit moralis distinctio. Nam ex generali ratione Jurisdictionis non habetur necessitas hujus distinctionis realis. Nam Pontifex potest secum dispensare in humana lege, & in voto, neque enim ratio dictat, quod Pontifex in terris debeat carere dispensatione, cum sit homo in quo cadere potest dispensationis necessitas. Atque propterea quod Pontifex secum possit dispensare in lege humana docuit D. Thom. *in addit. quæst.* 27. *artic.* 4. *ad* 3. Et potest confirmari ex eo quod Princeps Supremus potest suos filios legitimare in ordine ad temporalem hæreditatem, & Dignitatem *cap. per Venerabilem, qui filii sint legitimi.* Hoc autem est Principem dispensare secum, ut possit filium legitimatum hæredem instituere. Sic si Episcopus sit unus de Capitulo; & tanquam Canonicus conferat beneficium, ab hujusmodi collatione appellatur ad eundem Episcopum *cap. à collatione de appellat. in* 6. quia tunc Episcopus duplicem personam gerit, scilicet Canonici, & Episcopi.

186 Ità in præsenti contingere potest, ut Pontifex duplicem gerat personam, & quod ut Pontifex dispenset, & ut homo dispensetur. Neque enim hic intervenit collatio Sacramenti, quæ requirat distinctionem realem personarum, neque intervenit coactio aliqua, neque hic est actus Jurisdictionis judicialis, aut sententiæ, quæ requirat formam Judicii, in quo actor, & reus, seu accusatio, & probatio necessariò procedant, sed supposita potestate concedentis, & capacitate, & indigentia ejus, cui conceditur, sufficit prudens judicium, de sufficienti causa ad concedendam Indulgentiam. Et eo magis quod Pontifex, ut homo, est subditus suæ Dignitatis, & sic

& sic sub diversa formalitate est subditus, & Prælatus.

187. Sed hujusmodi discursus ad summum probare posset, quod Pontifici non est negandum posse sibi Indulgentiam concedere ex defectu potestatis, & Jurisdictionis, & quia non possit hanc Jurisdictionem exercere in se ipsum. Sed nihilominus D. Thom. 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 5. *quæst.* 4. Quem explicat, & tuetur Nugnus loco citato, ex alia ratione probat, quod Pontifex directè, & primariò non potest sibi Indulgentiam concedere; quia nimirum non datur causa, ex qua Pontifex moveri possit, ut justè sibi Indulgentiam concedat. Quia Indulgentia debet dari ex tali causa, qua is, cui conceditur Indulgentia provocetur ad aliquem actum, qui cedat in Ecclesiæ utilitatem, & Dei honorem, hujusmodi autem causa non habet locum in Prælato, qui ex munere suo tenetur Ecclesiæ utilitatem, & Dei honorem promovere. Adde, quod privata utilitas non dat justam causam dispensandi thesaurum Ecclesiæ, ut infra etiam probatur.

188. Sed instat Suarez, Tum quia stat, quod honestè quis se provocet ad id, ad quod tenetur ex debito officii. Tum quia Pontifex posset concedere Indulgentiam, ut ex hoc fideles provocentur ad id, ad quod tenentur, ut concedere Indulgentiam Regi, ut provocetur ad hoc ut Regnum justè gubernet. Tum 3. quia in ordine ad gubernium Ecclesiæ Pontifex potest habere plures actus, qui sint de consilio, non de præcepto.

189. Sed ad primum horum respondetur, quod Pontifex potest se promovere, & excitare ad procurandam utilitatem Ecclesiæ, & Dei honorem, sed ad hunc finem non licet sibi assumere de bonis Ecclesiæ, & aperire, & dispensare Ecclesiæ thesaurum; hoc enim non licet facere in ordine ad id, ad quod Pontifex aliundè tenetur.

190. Ideò ad 2. respondetur non esse eamdem rationem, quia dispensare thesaurum Ecclesiæ, ad hoc ut fideles faciant id, ad quod tenentur, non est id facere nisi in ordine ad id, ad quod tenentur, subditi; quod quidem in utilitatem magnam Ecclesiæ redundat, ut scilicet in subditis tollatur torpor, & negligentia, seu etiam contemptus obligationis eorum in ordine ad observantiam legum, & Dei honorem, sed non licet Pontifici uti hac thesauri dispensatione, ut à se contemptum, aut negligentiam, aut torporem auferat; quia ad hoc aliundè tenetur.

191. Ad 3. dicitur, quod debitum Pontificis in procuranda utilitate Ecclesiæ, & Dei honore, habet quamdam infinitatem, est enim sicut lex charitatis, quę obligat in infinitum ad diligendum Deum semper perfectiùs, & perfectiùs ex toto corde, & ex tota anima, ideò sicut non datur actus charitatis, qui sit de consilio, ut probavi latè *tom.* 1. *de stat. quæst.* 184. *art.* 3. *num.* 70. *& sequentibus*, quia nihil facere licet, nisi ex Dei dilectione, ex qua nec licet impedire intensionem actus dilectionis, vel non diligere Deum quantum possumus ex toto corde, ex tota anima. Ita Pontifex totus est, & debet esse Ecclesiæ, nec datur actus tendens in Ecclesiæ utilitatem, qui sit illi de consilio, & ad quem non teneatur, cum Ecclesiæ utilitatem debeat tota mente, toto corde, tota anima promovere. Nec sibi licet ab aliquo actu Ecclesiæ utili cessare, nisi intuitu majoris utilitatis Ecclesiæ. Et ideo si Ecclesiæ utilitas sit possibilis, ad illam procurandam tenetur Pontifex.

192. Quamobrem quod Pontifex primariò, & directè non possit sibi concedere Indulgentiam, cum D. Thoma loco citato docuerunt locis supra citatis, Innocentius Quintus, Caiet. Sylv. Tabien D. Anton. Navar. Turrecremata, Bologninus, & apud eum Vincent. & Guidditionius, Fœlin. Sylvius, Sotus, Barbosa, & ferè omnes ibi citati: Hinc est quod Pontifex sicuti non potest sibi ipsi ut privatæ personæ concedere Indulgentiam directè, & principaliter; ita nec potest hoc facere per alium, & sic limitanda sunt dicta supra *nu.* 182. Quia hoc non est ex defectu potestatis, sed ex defectu causæ rationabilis, quæ saltem regulariter non potest reperiri. Quæ si daretur etiam directè sibi Indulgentiam concedere posset juxta dicta superiùs *num.* 187.

QUÆSTIO XXII.

Vtrum ad recipiendum effectum Indulgentiæ sit necessaria fides.

SUMMARIUM.

193. *Sensus, & ratio quæstionis.*
194. *Infidelis non est capax Indulgentiæ.*
195. *Necessaria fides Indulgentiæ.*

193. NUnc de dispositione necessaria ex parte recipientis, ad hoc ut Indulgentia suum effectum habeat, agere incipimus. Dispositionem verò remotam jam explicuimus, quæ in tribus consistit scilicet ut subiectum, in quo Indulgentia habere possit effectum, sit homo ratione utens, Viator, & aliquo modo subditus concedenti. Remanet ut de dispositione proxima sermo habeatur, & quidem primò de habituali. Et quia habituum supernaturalium quodammodo prior est fides, primò quæritur, an ad lucrandam Indulgentiam sit necessaria fides.

194. Dicitur igitur Indulgentias solum fidelium esse, unde in concedendis Indulgentiis Pontifices solent expressè illas concedere utriusque sexus fidelibus. Ratio est, quia membra non possunt participare de spiritu vitæ corporis, & de bonis illius, nisi sint conjuncta corpori, prima autem conjunctio hominum cum Ecclesia est per fidem, soli igitur fideles sunt Indulgentiarum capaces. Quamobrem nedum Infideles non baptizati, sed hæretici, & Apostatæ à fide, quamvis baptizati sunt incapaces Indulgentiarum, Imò etiam si quis in facie Ecclesiæ sit fidelis, si in mente sit hæreticus, deficiente interna unione ejus cum Ecclesia, non est capax Indulgentiarum, quæ consistunt in interna communicatione Thesauri Ecclesiæ. Infidelis tamen, sed baptizatus, sicut potest infidelitatem liberè rejicere, & per pœnitentiam justificati, sic potest fieri capax, ut Indulgentiam acquirat Boss. *de Iubil. sect.* 4. *casu* 22. *num.* 13.

195. In particulari verò esse necessariam fidem circa Indulgentias, quia nimirum quod sit necessarium, quod pœnitens credat in Ecclesia esse potestatem concedendi Indulgentias illasque valorem habere, & efficaciam ex clavium potestate, advertunt Albertus Magnus 4. *dist.* 20. *art.* 18. Innocentius Quintus *ibidem quæst.* 3. *art.* 1. & Turrecremata *§. Item in Levitico de pœnit. dist.* 1. *art.* 1. *num.* 11.

QUÆSTIO XXIII.

Vtrum excommunicatus sit capax Indulgentiæ.

SUMMARIUM.

196 *Excommunicatum etiam contritum non esse capacem Indulgentiæ aliqui dicunt.*
197 *Alii id negant.*
198 *Pontifex ex certa scientia concedens Indulgentiam excommunicato illum absolvit.*

196. Dicitur breviter, quod cum excommunicatio privet communicatione bonorum Ecclesiæ, & præcipuè interna, certum est, quod excommunicatio privat hominem omni fructu, & effectu Indulgentiarum, quod à Suarez *disput. 52. sect. 2. num. 5. & de cens. disp. 12. sect. 3, numer. 7.* Ugolin. *de Cens. tab. 2. cap. 9. in princ.* Bonac. *d. punct. 5. numer. 3.* Layman. *tract. 7. cap. 6. num. 1.* Nugnus *in add. ad quæst. 27. art. 1.* Lavor. *part. 2. cap. 14. numer. 5 1.* Diana *part. 5. tract. 1 2. res. 1 3*, & apud eum Filliuc. Pollachus, & Moure Fernandez *part. 3. cap. 57. §. 4. num. 2.* ampliatur, ut verum sit nedum ratione peccati mortalis, quod major excommunicatio supponit, sed ratione excommunicationis formaliter, unde dato, quod aliquis excommunicatus virtute contritionis, & voti Sacramenti Pœnitentiæ sit justus coram Deo, etiam si aliàs non possit obtinere absolutionem, nihilominus donec sit absolutus ab excommunicatione non potest participare de Indulgentiis, quia per excommunicationem est privatus omni communione Ecclesiæ.

197. Nihilominùs, quod excommunicatus, qui sit contritus, aut in statu gratiæ quomodocumque sit capax Indulgentiæ quia præsumi debeat Ecclesiam nolle privare fructu Indulgentiæ obedientem subditum, dixerunt Navar. *not. 18. numer. 14.* Henriq. *lib. 7. cap. 18. numer. 1.* Sa *verb. Indulgentia numer. 2.* Leo *par. 1. num. 197.* Boss. *sect. 4. casu 22. §. 1. numer. 12.* quod, & probabile putat Diana loco citato, & æquè probabile Leander *d. disp. 14. quæst. 39.* Sed res hæc incerta est. Bene tamen faciet hujusmodi excommunicatus, si opera injuncta pro Indulgentia perficiat, nam in omni casu cum sit in gratia, ut supponitur, non frustrabitur meritò operum. Alias tamen prior opinio est de Jure verior, quia ut habet Sotus *4. dist. 22. quæst. 1. art. 1.* Excommunicatus contritus non desinit esse excommunicatus, donec absolvatur. Assertio autem posita vera est etiam de excommunicato occulto; quia verè coram Deo, & Ecclesia est excommunicatus, nec illi suffragatur Extravag. Martini Quinti *Ad evitanda.*

198. Sed si Pontifex excommunicato concedat Indulgentiam censetur ne approbare statum illius, & illum absolvere ad effectum, ut lucretur Indulgentiam? Affirmat Ludov. Bonon. de Indulg. *num. 107.* ex Panorm. *cons. 55.* sed negant alii cum Suarez *tom. 4. disp. 52. sect. 2. num. 3.* quia Indulgentia supponit statum, & capacitatem, non verò illam fert. Sed respondetur cum distinctione, quia si Pontifex ex certa scientia confert Indulgentiam excommunicato absque dubio illum absolvit ad effectum lucrandi Indulgentiam, quia Pontifex scienter non agit in vanum, & inaniter. Et licet Indulgentia supponat capacitatem, concessio tamen Indulgentiæ emanans scienter à Papa per prius absolvit excommunicatum, & illum reddit capacem Indulgentiæ. Nugnus *in Supplem. quæst. 27. art. 1.* Secus dicendum, si Papa excommunicationem ignorat. Cum verò excommunicatio sit quid facti, ejus scientia non præsumitur in Pontifice, nisi de ea aliunde constet.

QUÆSTIO XXIV.

An ad consequendum fructum Indulgentiæ sit necessaria charitas, seu gratia justificans.

SUMMARIUM.

199 *Remissio pœnæ non competit nisi remisso peccato.*
200 *Indulgentia occasionaliter disponit ad gratiam.*
201 *Indulgentia ut indulgentia non prodest peccatori, ut illi remittatur pœna.*
202 *Sententia aliquorum.*
203 *Status gratiæ necessarius.*
204 *Non remittatur pœna temporalis, non remissa æterna.*
205 *Non est eadem ratio de gratiis, quæ liberaliter à Deo conceduntur peccatoribus, & de remissione, pœnæ concessæ per modum operis operati.*

199. Hoc primo est certum, nullum peccatorem posse obtinere remissionem pœnæ illius peccati, quod sibi non fuit remissum, quia manente culpa, durat inseparabiliter reatus pœnæ illi peccato debitæ. Quod est verum etiam de peccato veniali, unde justus non potest per Indulgentiam consequi remissionem pœnæ debitæ pro veniali, manente illo quantum ad culpam.

200. Verum est, quod Albertus *4. dist. 20. art. 18.* Sentit Indulgentias posse valere velut dispositiones remotas ad gratiam, vel per modum impetrationis, & meriti de congruo. Quorum primum verum est, quatenus Indulgentia potest esse occasio, vel motivum habendi aliquod opus bonum, vel obiectum, & materia operis boni, ut v. g. obiectum fidei, quod disponat ad gratiam, & sic disponere ad gratiam est effectus Indulgentiæ occasionaliter, aut obiectivè; Aliàs verò opus bonum occasione Indulgentiæ habitum non est ex hoc convenientior dispositio, sed hoc convenit operi bono, quatenus est in se bonum, vel melius, & est ex gratia speciali Dei. Et sic quatenus Indulgentia ad actum aliquem concurrit, ut obiectum, potest actus ex hoc habere specialem bonitatem, & magis ad gratiam disponere.

201. Similiter ut docuit D. Th. *4. d. 20. qu. 1. art. 5. q. 1.* Si præter Indulgentiam Pontifex applicaret merita Sanctorum ad effectum, ut cui conceditur Indulgentia, obtineret gratiam, posset prodesse existenti in peccato mortali per modum meriti congrui, sed ut dictum est supra, & advertit Sylvest. *v. Indulgentia nu. 21.* hoc non pertineret formaliter ad effectum Indulgentiæ, nec hujusmodi applicatio meritorum esset Indulgentiæ concessio, sed esset oratio, & intercessio Ecclesiæ, quæ ut peccator justificaretur, & ipsa posset illi gratiam

tiam impetrare, imploraret meritum, & auxilium Sanctorum. Indulgentia igitur, ut Indulgentia, peccatori non prodest, ut remittat illi pœnam peccato non dimisso debitam.

202. Jam verò hoc supposito dubium esse potest, an peccatori virtute Indulgentiæ remitti possit pœna debita pro peccatis aliis jam aliàs sibi remissis. Suarez *tom.4. disp.32. sect.2. numer.5.* dicit posse affirmativam sumi ex Scoto 4. *dist.15. quæst.1. art.4.* Et subdit quod hoc expressiùs affirmant Guillielm. de Rubion. *in 4. dist.20. quæst.1.* & Mairon. Et expressè quidem hoc habet Maior. *4. dist. 19. quæst.2. lit.P.* Nam ad remissionem pœnæ temporalis non est necessaria gratiæ infusio, ut est manifestum, sed neque est necessarius status gratiæ, cum Deus soleat peccatoribus conferre beneficia multò majora, qualia sunt inspirare sanctam cogitationem, & præstare auxilium ad consentiendum. Item suffragia Ecclesiæ valent ad impetranda peccatori similia beneficia; igitur multò magis valebunt ad impetrandam remissionem pœnæ temporalis. Eadem igitur ratione non repugnabit, quod Ecclesia per Indulgentias hujusmodi pœnas remittat.

203. Dicendum nihilominus est, statum gratiæ esse omninò necessarium ad hoc, ut Indulgentia suum effectum consequatur. Probatur *ex Clem. 6. in Extravag. Unigenitus de pœnit. & remiss. in 6.* ibi, *quod verè pœnitentibus concedatur.* Quod etiam communiter sentiunt DD. cum D. Thom. *4. dist. 20. quæst. 1. art. 5. & in Addit. quæst. 27. artic. 1.* ubi Nugnus *conclus. 2.* D. Bonav. *ead. dist. art. 2. quæst. 2.* Albertus *ead. dist. art. 18.* Innocentius Quintus *quæst. 1.* Richardus *art. 4. quæst. 1.* Durand. *quæst. 4. numer. 11.* Paludanus *quæst. 4. art. 3.* D. Anton. *part. 1. tit. 10. cap. 3. §. 2.* Caietanus *part. 1. opusc. tract. 15. cap. 2.* Sylv. *verb. Indulgentia num. 21.* Tabien. *num. 2.* Armill. *num. 13.* Sotus *in 4. dist. 21. quæst. 2. artic. 3.* Turrecrem. *§. Item in Levitico de pœnit. dist. 1. art. 1. numer. 11.* Bolognin. *de Indulg. num. 73.* Flin. *eodem tract. num. 26.* Panom. *cons. 55.* Adrian. *de Indulg. conclus. 3.* Gabriel in Canonem *quæst. 59. Supplem.* Gabriel. *4. dist. 45. quæst. 1. artic. 1.* Medina *C. de orat. quæst. 25.* Suarez *disp. 52. sect. 2. num. 6.* Epit. Candid. *disq. 52. artic. 1. numer. 8.* Rodriq. *quæst. Reg. 99. art. 5.* Lezana *verb. Indulgentia num. 5. & verb. Iubil. num. 10.* Sylv. *in 3. part. D. Thom. quæst. 27. Supplem. art. 1. quæst. 1.* Corduba *quæst. 23.* Navar. *de Iubil. not. 17.* Filliuc. *tract. 6. cap. 6. numer. 137.* Layman. *tract. 7. cap. 6. num. 2.* Lavor. *de Iubil. part. 2. cap. 14. numer. 58. & 70.* Boss. *de Iubil. sect. 4. casu 11. num. 1.* Bonac. *disp. 6. punct. 5. num. 10.* Sanctarel. *cap. 4. dub. 1.* Pasqual. *de Iubil. quæst. 30.* Palaus *tract. 24. part. 8. numer. 3.* & cæteri DD. omnes, & hæc sententia est omninò certa, & indubitata; & ratio est, quia peccator indignus est cui remittatur pœna, maximè per modum operis operati, nec de hoc est aliqua lex, vel promissio, & neque aliqua congrua ratio est, ut peccatori manenti in inimicitia Dei pœna peccatorum remittatur, maximè per Indulgentias, quæ continent favorem, qui non inimicis Dei, sed amicis fieri solet, & debet.

204. Item remissio pœnæ temporalis supponit remissionem pœnæ æternæ, nam in eo, qui habet reatum pœnæ æternæ, æterna quoque est pœna sensus peccato debita. Indulgentia verò non habet vim remittendi æternitatem pœnæ, sed solum ex suppositione, quod sit remissa culpa, & ablatus æternæ pœnæ reatus, & pœna facta sit temporalis, potest illam remittere. Ideò nec per Sacramentum applicatur passio Christi ad redemptionem pœnæ temporalis in illo qui perseverat in peccato; multò minus igitur hoc fit per Indulgentias.

205. Ad argumenta in oppositum dicitur, quod primo non est eadem ratio de inspiratione sanctæ cogitationis, & auxiliis ad illi consentiendum, quæ ex natura sua talia sunt, ut gratiam sanctificantem non supponant, & imò sunt necessaria ad hoc, ut homo se ad gratiam sanctificantem disponat, & de remissione pœnæ, quæ ex sui conditione supponit culpam dimissam. Secundo non est eadem ratio de concessione gratiarum proveniente ex speciali Dei misericordia superante Peccatoris demerita, & remissione pœnæ, quæ per Indulgentias fit ex certa lege, & infallibili efficacia; Peccator enim est summè indignus, ut ei voluntariè manenti in peccato, ex certa lege per modum operis operati remittatur pœna peccatis debita.

QUÆSTIO XXV.

In quo tempore gratia requiratur ad Indulgentiam lucrandam.

SUMMARIUM.

206 *Status gratiæ necessarius pro eo instanti, in quo Indulgentia habet effectum.*
207 *Si Indulgentia habet effectum successivum status gratiæ necessarius in tota successione.*
208 *Aliquando Indulgentia habet effectum in instanti primi non esse operis injuncti.*
209 *Sufficit ad Indulgentiam quod opus sit finitum moraliter.*

206. EX duplici causa potest esse necessaria gratia Sanctificans ad valorem Indulgentiæ, vel scilicet tempore, in quo habendum est opus, sub cujus conditione Indulgentia est concessa, ad hoc ut illud opus sit validum, & tale, quale requirit concedens: & de hoc tractabitur in sequentibus. Secundo gratia est necessaria, ut dispositio ad recipiendum effectum Indulgentiæ, & hoc modo gratia est necessaria haberi pro illo instanti, in quo Indulgentia consumatur, & applicatur, seu in quo Indulgentia habere debet effectum suum. Per se verò, ex hac causa non est necessaria haberi tempore operis, nisi quia simul cum opere sit tempus, in quo Indulgentia consumatur; Unde si ad lucrandam Indulgentiam plura opera requiruntur, sufficit si habeatur gratia tempore operis ultimi, imò si illud sit successivum, non erit necesse habere gratiam in principio illius, sed sufficiet si habeatur in fine pro illo instanti, in quo consumatur Indulgentia, & quod est instans productionis effectus illius.

207. Hic tamen distinguendum est de Indulgentia, quia quædam potest esse, quæ producat effectum suum successivè. Posset enim concedi Indulgentia recitanti psalmum Miserere, ita quod recitanti totum, tota, & recitanti dimidium, dimidia, & sic cuilibet parti responderet pars Indulgentiæ; & si talis Indulgentia concederetur, necesse esset gratiam haberi in toto tempore recitationis ipsius Psalmi. Quia suc-

cessivè Indulgentia haberet effectum suum toto tempore recitationis illius. Nam & satisfactio Sacramentalis censetur habere effectum suum successivè, aliter qui partem satisfactionis impleret, & partem omitteret, nullum fructum consequeretur remissionis pœnæ temporalis ex opere operato; quod non admittitur. Nihilominus Indulgentia, quæ sic successivè producat effectum suum, non consuevit concedi, sed Indulgentiæ, quæ conceduntur, obtinent effectum suum in instanti illo, in quo completur opus impositum, seu completur conditio requisita ad Indulgentiam. Ita quod licet aliqua Indulgentia aliquando acquiratur per partes, ut licet Indulgentia, quæ conceditur illi, qui assistit Divinis Officiis in festo Corporis Christi, acquiratur per partes, & successione discreta, ita quod per singulas horas, aut Missam aliquam Indulgentiam lucretur: tamen hujusmodi veluti partialis Indulgentia acquiritur in instanti illo, in quo quælibet hora completur.

208. Est verò ulteriùs considerandum, quod cum actiones nostræ in motu successivo consistant, & motus compleatur per primum sui non esse, licet hoc instans primi non esse motus, & actionis sit extrinsecum actioni, non est tamen extrinsecum actioni, ut est conditio requisita ad effectum Indulgentiæ, & ideò benè potest contingere, quod Indulgentia habeat effectum suum in instanti, in quo primò non est opus injunctum, quia in eo completur opus ut est conditio requisita ad effectum Indulgentiæ. Quamvis etiam considerandum sit sæpissimè contingere, quod opus in aliquo instanti intrinseco finiatur in ratione conditionis requisitæ; priusquam sit consumatum in ratione actionis phisicæ, vel motus phisici: Sic enim fit, ubi opus requisitum sit oratio, quia loquutio in ratione loquutionis terminatur in aliquo instanti intrinseco antequam terminetur actio illa, sive motus physicus, nimirum in eo primo instanti, in quo completur significatio orationis, quæ in instanti intrinseco terminatur, priusquam sonus vocis cesset; in illo scilicet instanti, in quo completur productio speciei sensibilis orationis in sensum; quod certè fit, quando sonus vocis est, non quando non est. Ideò ubi opus injunctum sit oratio, conditio completur in aliquo instanti intrinseco, priusquam motus loquutionis cesset, sed ubi v. g. conditio sit jejunium, quod durat per diem, conditio non impletur nisi per primum non esse diei, in quo jejunatur, & in eo instanti Indulgentia habet effectum suum.

209. Quamvis etiam dici possit instans consumationis conditionis requisitæ ad effectum Indulgentiæ non esse instans consumationis physicæ ipsius operis, sed instans, in quo opus jam censetur moraliter finitum, licet non sit finitum physicè. Nam v.g. jejunium potest dici moraliter finitum in illo instanti diei, post quod non remanet tempus, in quo possit esse comestio. Sicut martyrium dicitur moraliter consumari in eo instanti, post quod statim mors omninò necessariò sequitur, & inevitabiliter secundum legem ordinariam. Sic igitur hoc modo dici posset, quod Indulgentia completur, & habet effectum in aliquo instanti intrinseco, in quo moraliter completur opus, sub cujus conditione datur Indulgentia; Sic etiam in Indulgentia, quæ conceditur morientibus in aliqua Religione dici potest, quod Indulgentia habet effectum suum, in primo non esse vitæ illius, quod est primum instans mortis. Etenim pœna etiam in morte remitti potest. Et pariter dici potest, quod habeat effectum in aliquo instanti vitæ, in quo vita dicatur moraliter completa, quia statim Religiosus sit infallibiliter moriturus; sed Deus ipse scit, quando in hujusmodi effectus Indulgentiæ obtineatur. De his vide Nugnum in supplem. *quæst.27.art.1.*

QVÆSTIO XXVI.

An impedito effectu Indulgentiæ ob defectum gratiæ recuperetur recedente fictione.

SVMMARIVM.

210 *Indulgentiam habere effectum recedente fictione quidam dicunt.*
211 *Hoc negatur.*
212 *Indulgentia est ipsa pœna remissio, quæ evanescit, si tunc subiectum est incapax.*

210. Affirmant enim Palud.4. *dist.20. quæst.4.art.3.* D.Anton.*part.1.tit.10.§.2.* Sylvest. *verb. Indulgentia num.32.* Henriquez *lib.7. cap.9. num.3.* Granados *tract.2. disp.20. numer.5.* Diana *part. 5. tract. 12. resol.4.* Quintanall. *tract.8. Append. dub. ult. num.5.* Fernandez *part.3. exam. Theol. cap.8. §. 8. num.1.* Nam sicut in Baptismo recedente fictione recuperatur gratia, ita etiam dici potest, quod fiat in Indulgentia, quæ habet effectum ex opere operato sicut Baptismus, sic enim sicut Sacramentum non est opus recipientis, sed Dei conferentis per ministrum suum, ita etiam Indulgentia, per quam applicatur effectus quasi ex opere operato potius est opus Dei, quam hominis; igitur etiam si recipiens sit indignus, manet effectus Indulgentiæ ut pro tempore, quo fuerit dignus, illum recipiat.

211. Sed breviter dicitur effectum Indulgentiæ nec acquiri, nec acquiri posse recedente fictione. Quia à concedente, vel Indulgentia conceditur, & applicatur thesaurus Ecclesiæ pro eo tempore, quo est in gratia, & sic si suscipiens Indulgentiam non est in gratia tempore debito, nunquam amplius fructum Indulgentiæ acquirit: At verò irrationabile est, & contra Divinum Jus, si thesaurus Ecclesiæ dispensetur, ut participandus ab eo, qui non est in gratia. Et si dicatur posse Ecclesiam concedere Indulgentiam ut is, cui conceditur, illam lucretur completo opere, si tunc est in gratia, sin minùs tempore quo erit in gratia. Respondetur, quod etiam hoc admisso, tunc non acquireretur Indulgentia, recedente fictione, sed statim impleta conditione nimirum habita contritione, seu confessione, per quam acquireret gratiam, sub cujus conditione solum Indulgentia, quæ est remissio pœnæ potest concedi. Et ita quod fructus Indulgentiæ non obtineatur, recedente fictione docent Sotus 4. *dist. 21. quæst.2. art 3.* Caiet. *tom.1. tract.15.cap. 9.* Navarr. *notab. 17. num.2.* Nugnus *tract. 2. in 3. part. quæst.27. art.1. in fine* Suarez *disput. 52. sect.2. num. 13.* Cardinalis de Lugo *disp.27. num.84.* Palaus *tract. 24. part.8. num. 4.* Diana *part. 4. tract. 4. resol. 94.* Lavor. *part. 2. cap. 14. numer. 69.* Leander *tract. 5. disput. 14. quæst. 42.* Bonac. *disput. 6. quæst. 1. punct. 5. numer. 13.* & apud

& apud istos Sà, Coninch. Reginald. Leo, Pollachius, Filliuc. Machado, Villalob. Sanctarell. *cap. 7. dub. 2.* Boss. *sect. 4. casu 11. numer. 2.* Filliuc. *tract. 8. cap. 6. numer.* 181. Præpos. *quæst. 14. de Indulg. dub. 10. numer. 78.* Pasqual. *quæst. 30. num. 4.* Isambertus *disp. 6. de Indulg. art. 1.*

212. Ad argumentum respondetur nec per omnia Sacramenta conferri gratiam, recedente fictione, nec esse eandem rationem de Sacramento, & Indulgentia, quæ iterabilis est; Illud enim est externa, & sensibilis actio, unde ea perfecta Sacramentum perficitur, licet sit sine effectu propter fictionem, quia posteà ablata datur gratia propter ipsum Sacramentum. Rursus Sacramentum non est ipsa sanctificatio, aut remissio peccatorum, sed est causa gratiæ justificantis, & peccata remittentis. Sed Indulgentia non perficitur, si homo non sit capax illius, ipsa enim est ipsa pœnæ remissio, quæ nec habet, nec habere potest locum, nisi culpa dimissa, ideò tunc solum Indulgentia perficitur, cum pœna remittitur, & si pœna non remittitur, Indulgentia non perficitur.

QUÆSTIO XXVII.

Vtrum ad effectum Indulgentiæ sit necessaria confessio.

SUMMARIUM.

213 *Ex lege divina Peccatori necessaria contritio ut sit capax Indulgentiæ.*
214 *Distinctio inter forum Sacramentale, & forum Indulgentiæ.*
215 *Vbi confessio requiritur ut conditio, non sufficit confessio in voto.*
216 *Sufficit quæcumque confessio valida.*
217 *Non est necessaria confessio venialium.*
218 *Ex vi necessitatis communionis non est necessaria confessio.*
219 *Non obstat si quis inculpabiliter fuerit oblitus alicuius peccati.*
220 *Sufficit confessio informis, si sit valida.*
221 *Non sufficit confessio invalida.*
222 *Sufficit confessio semel habita, & etiam si homo postea peccat, si conteritur & obtinet gratiam.*
223 *Non excusat impotentia confitendi.*
224 *Nec sufficit confessio invalida etiam si ex malitia Confessarii.*
225 *Tempore Iubilæi confessio potest haberi Dominica prima, in qua publicatur.*
226 *Et etiam Dominica sequenti usque ad horam communionis.*

213. EX duplici causa potest esse necessaria confessio ad effectum Indulgentiæ obtinendum, vel primò ex lege divina, ex qua est necessarius status gratiæ, vel ex lege humana quia concedens Indulgentiam requirit illam tanquam opus præmittendum ad hoc ut Indulgentiæ fructus obtineatur. Ex priori causa confessio est necessaria illi, qui sine illa non potest consequi gratiam, & ideò est necessaria ei, qui peccavit mortaliter, ut habita vel in re, vel in voto ab illo, qui est contritus. Quod est manifestum ex praxi concedendi Indulgentias, quia sæpè conceduntur, non requisita nisi contritione cum proposito confessionis; igitur non semper est necessaria confessio, ut actu exhibita, sed sufficit confessio in voto. Quod verò ex Extravag. *Unigenitus de pœnit. & remiss.* & ex Concil. Constant. *sess. ult.* videatur, quod sit necessaria actualis confessio, respondetur, quod Pontifices, & Concilia per verè pœnitentes, & confessos intelligunt existentes in statu gratiæ, quia ex lege divina hoc solum sufficit; Quoniam verò nomen contritionis, aut pœnitentiæ est generale, & comprehendit contritionem imperfectam, quæ sola sine Sacramento actualiter suscepto non sufficit ad hoc ut obtineatur gratia, ideò dixerunt, Indulgentiam concedi verè pœnitentibus, & confessis: Cum tamen in eo, qui est justus, ex divina lege non sit necessaria, nec etiam nova contritio perfecta; sed ad obtinendam remissionem pœnæ per Indulgentiam sufficiat, quod culpa sit remissa, & ita ad remissionem venialium sufficit illa imperfecta contritio, quæ requiritur ad delenda venialia.

214. Nec obstat, quod Indulgentia spectet ad forum Ecclesiæ, & ideò videatur necesse, quod peccata sint deducta ad Ecclesiæ forum, quia forus Indulgentiæ est veluti forus gratiæ, forus verò Sacramentalis est forus justitiæ, ideò requirit cognitionem culpæ, sed in foro Indulgentiæ sufficit, quod concedens prudenter judicet de justitia causæ illam concedendi; non verò requirit novam cognitionem culpæ, quia illam supponit vel cognitam, vel quantum opus sit cognoscendam in foro Sacramentali.

215. Quantum verò ad secundam causam, hoc debet haberi pro certo, quod quando concedens Indulgentiam requirit tanquam opus præmittendum, ipsam confessionem, illa est necessaria, & non sufficit confessio in voto, sed est necessaria confessio actualis. Quamvis debeant diligenter inspici verba confessionis, nam cum confessio sit conditio valdè onerosa, non debet imponi, nisi sit sufficienter expressa, ut si dictum fuerit, *præmissa tamen confessione.*

216. Sufficit tamen confessio quomodocumque facta, dum tamen sit valida, sive facta sit verbo, sive per nutus, sive integra sit materialiter, sive non, dummodo tamen liceat non integrè confiteri, ut docent Sylv. *verb. Indulgentia num. 26.* D. Anton. *d. cap. 3. §. 5.* Boss. *sect. 4. de Iub. casu 19. §. 1. num. 4. & 5.* Pasqual. *quæst. 71. num. 1.* Leo *part. 2. de Iub. num. 164.* Bottinus *in Bullam Sixti V. verb. sua conscientia* Faustus *lib. 4. de Indulgentia quæst. 41. art. 42.* Quod meritò ampliatur, ut sufficiat illa absolutio, quæ in terminis Ritualis Romani *tit. de Sacramento pœnitentiæ*, dari potest moribundo, qui petiit confessionem Sylv. *num. 26.* Boss. *num. 6.*

217. Limitatur primò hoc, ut non intelligatur necessaria confessio venialium, nisi id exprimatur. Limitationem hanc non admittunt Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 15. num. 19. lib. 4. sum. cap. 54. num. 41.* Fernandez *part. 3. exam. cap. 7. §. 8. num. 8.* Sylvius *quæst. 27. art. 1. dub. 30. ibid.* Nugnus. Citatur verò pro hac sententia Caiet. *opusc. 15. cap. 10.* qui oppositum sentit, & supponit, si consideretur quæstio, quam ibi solvit, & proposuerat *cap. 4.* solum enim vult, quod qui commisit mortale post confessionem annuam teneatur actu iterum confiteri, & non sufficiat confessio Paschalis priùs habita. Citatur etiam Sylvest. *verb. Indulgentia quæst. 10.* qui tamen expressè docet oppositum ibi *nu. 27.* Citatur quoque Sotus 4. *dist.* 21. *quæst.*

21. *quæst.* 2. *art.* 3. qui ibi nihil de hac quæst. habet. Citantur etiam alii, quos videre non potui. Limitatio tamen communiter admittitur, & probatur, quia in Jure nomine confessionis absolutè intelligitur confessio mortalium. Tum quia confiteri omnia venialia est ferè impossibile, confiteri verò illa in generali est valdè accidentarium. Tum quia quod præcipuè intendunt Pontifices in concessione Indulgentiæ est conversio peccatorum, & illorum justificatio, ut sint Sancti, & immaculati, & Dei amici: Nec distinguendum est inter venialia gravia, & levia, ut facit Cord. *quæst.* 28. quia hæc distinctio non habet fundamentum in verbis Pontificum, & aliundè necessitas confitendi aliquod veniale non sufficienter probatur. Navarr. *not.* 18. *num.* 1. & 17. & *not.* 30. *num.* 6. D. Anton. *part.* 1. *tit.* 10. *cap.* 3. §. 5. Bellarm. *lib.* 1. *cap.* 13. *quæst.* 3. Suarez *disput.* 52. *sect.* 3. *num.* 5. & 9. Lugo *disput.* 27. *num.* 100. Pasqual. *quæst.* 67. *num.* 5. Diana *d. tract.* 12. *resol.* 30. Leander *d. tract.* 14. & apud istos Henriq. Graffius Homobon. Ludovicus à Cruce, Reginald. Çoninch. Benzon. Fabrinus, Buttonus, Leo, Sanctarellus *cap.* 14. *dub.* 2. & 4. Bonac. *disp.* 61. *quæst.* 1. *pun.* 5. *num.* 7. Filliuc. *tract.* 8. *nu.* 145. Layman. *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 17. & *cap.* 8. *num.* 6. Lezana *verb. Iubilæum num.* 15. Cotton. *lib.* 2. *contr.* 11. *num.* 72. Fœlin. *de Indulg. num.* 7. Tabien. *verb. Indulg. num.* 21. Si tamen Pontifex nullum aliud opus, nisi solam confessionem injungeret, signum esset quod vellet confessionem venialium, vel quod pœnitens actu confiteretur subjiciendo clavibus aliquod peccatum ex priùs confessis Boss. *num.* 36.

218. Limitatur 2. ut ex eo quod sit requisita communio, non per hoc sit requisita confessio, nisi quatenus sit necessaria ad dignam communionem, ut docent Suarez ibidem *num.* 6. Boss. *sect.* 4. *de Iub. casu* 19. §. 3. *num.* 34. Pasqual. *quæst.* 70. *num.* 4. Layman. *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 5. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 1. Filliuc. *tract.* 8. *num.* 146. Quidquid in contrarium probabiliter dicat Nugnus *in suppl. quæst.* 27. *art.* 3. *num* 3. Unde si quis dignè potest communicare, non præmissa confessione, vel ex necessitate, & carentia copiæ confessionis, vel ex ignorantia probabili, verè lucrabitur Indulgentiam, quia conditionem implet, cum dignam communionem præmittat.

219. Limitatur tertiò ut non obstet consequutioni Indulgentiæ, si quis aliquorum peccatorum fuerit inculpabiliter oblitus. Quidquid in contrarium senserint Suarez *disp.* 52. *sect.* 3. *num.* 7. Filliuc. *tract.* 8. *num.* 187. Sanctarell. *cap.* 14. *dub.* 4. Bossius *sect.* 4. §. 2. *num.* 23. Nam tunc non est necessaria confessio ut dispositio, quia jam illa peccata sunt remissa quantum ad culpam licet indirectè, & sic ille est in statu gratiæ, & dispositus, ut Indulgentiam lucretur, sed neque est necessaria ut opus injunctum, quia jam iste satisfecit, quoniam validè confessus fuit, & sic conditionem implevit: Palaus *part.* 4. *tract.* 24. *punct.* 9. *num.* 25. Pasqual. *quæst.* 26. *num.* 4. Præpos. *quæst.* 14. *dub.* 10. *num.* 8. Faustus *lib.* 4. *quæst.* 44. Ideò tempore Jubilæi si quis post confessionem factam recordetur intra tempus Jubilæi alicujus peccati obliti, licet aliàs teneatur illud confiteri, non tenetur tamen ex vi consequendi Jubilæum, satisfecit enim operi injuncto ex eo quod semel validè confessus fuit.

220. Ideò in hoc casu non sunt audiendi, qui dicunt eum, qui est oblitus aliquorum peccatorum, non sortiri remissionem illorum, quorum fuit oblitus Gerson. *part.* 2. *Alphab.* 33. *lit. R.* Angelus *verb. Indulgentia num.* 2. Rosell. *num.* 16. Corduba *lib.* 1. *qu.* 27. *prop.* 3. *opin.* 3. Nam peccata oblita veniunt sub nomine confessatorum, intelliguntur enim inclusa in eadem confessione, Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. & in eadem confessione sunt remissa indirectè D. Anton. *part.* 1. *tit.* 10. *cap.* 3. §. 5. Sylvest. *verb. Indulgentia num.* 35. Bossius *sect.* 4. *casu* 19. §. 6. *numer.* 62. Pasqual. *quæst.* 67. *num.* 3.

221. Limitatur 4. ut in sententia eorum qui admittunt dari posse confessionem informem, & validam hæc confessio sufficiat si tamen recedat fictio, & obtineatur status gratiæ tunc cum obtinendus est fructus Indulgentiæ. Leon. *part.* 1. *de Iubil. num.* 83. Bossius *sect.* 4. *de Iubil. casu* 19. §. 1. *num.* 9. Faustus *lib.* 4. *de Indulg. quæst.* 39. Suarez *d. sect.* 3. *num.* 6. Quamvis enim de hoc dubitet Pasqual. *quæst.* 73. *num.* 2. ex eo quia confessio semper intenditur, ut dispositio, quæ conducat ad finem intentum, qui est effectus Indulgentiæ, ad hunc finem verò non conducit confessio informis. Hæc tamen ratio non valet, quia confessio ut dispositio non est simpliciter necessaria, cum sufficiat contritio, & sic sufficit, quod recedat fictio. Confessio verò ut opus injunctum sufficit, quod sit talis, ut sit valida.

222. Ampliatur verò principalis assertio, ut minimè sufficiat confessio invalida ut advertunt Suarez *d. sect.* 3. *num.* 6. Filliuc. *tract.* 8. *numer.* 149. Pasqual. *quæst.* 72. Card. de Lugo *disp.* 27. *numer.* 103. Leander *tract.* 5. *disp.* 14. *quæst.* 80. Sanctarellus *cap.* 2. *dist.* 2. Zanardus *p.* 1. *cap.* 25. *quæst.* 28. confessio enim invalida non est Sacramentum, quod tamen est id, quod injungitur quando injungitur confessio. Quod verificatur etiam si confessio sit invalida sine culpa pœnitentis, quidquid in contrarium dixerit Bossius *sect.* 14. *cas.* 19. §. 1. *num.* 16. Nam confessio etiam inculpabiliter invalida non est confessio. Nam idem sunt invalidè confiteri, & non confiteri, *l. non putavit* §. *non quæris ff. de bon. possess.* ubi Bart. & *l.* 1. §. *quod autem ff. de offic. Præfect. Urb. ubi Bald. Rota d.* 345. *num.* 3. *part.* 2. *recent.* Et proptereà quidquid in contrarium dixerint Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 148. & Faustus *lib.* 4. *quæst.* 46. Cotton. *lib.* 2. *tract.* 11. *num.* 74. Non sufficit, quod talis nulliter confessus habeat contritionem, sed requiritur valida confessio Sylv. *verb. Indulgentia num.* 26. Suarez *disp.* 52. *sect.* 3. *num.* 6. Bonac. *disp.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 5. *numer.* 17. Sanctarell. *de Iub. cap.* 14. *dist.* 2. Filliuc. *tract.* 8. *num.* 146. & alii.

223. Ampliatur 2. ab aliquibus, ut non sufficiat semel confiteri si post priorem confessionem antequam sint perfecta omnia opera, seu antequam pœnitens lucratus fuerit Jubilæum vel Indulgentiam, committit aliud peccatum mortale. Non enim valet, quod aliqui dicunt scilicet, quod jam hic pœnitens implevit opus injunctum ex quo semel confessus fuit. Quoniam confessio imposita refertur ad Indulgentiam obtinendam, & ideò comprehendit totum tempus usque ad talem terminum, & ex consequenti omnia peccata ante illum terminum commissa. Suarez *d. sect.* 3. *num.* 7. & alii apud Pasqual. *quæst.* 66. Boss. *sect.* 4. *de Iubil. casu* 19. §. 2. *num.* 22. & apud Dianam, & Leandrum, Filliuc. Villalobos, & Sanctarellus. Hoc tamen limitatur, ut non procedat, si pœnitens inculpabiliter non advertat, & obliviscatur confiteri illud peccatum, si tamen saltem per generalem confessionem illud tollatur; Tunc enim se habet sicut pecca-

tum

tum oblitum. Sed hæc limitatio non procedit consequenter, quia si hæc confessio verè est opus injunctum ad Indulgentiæ consecutionem, nihil juvat, quod confessio omittatur inculpabiliter, quia non impleta conditione, sub qua conceditur Indulgentia etiam inculpabiliter, & ignoranter pœnitens non lucratur Indulgentiam. Et quia durum est intelligere, quod qui semel hæc peccata confessus fuit, si posteà peccet, & ex inculpabili oblivione non confiteatur, privatus remaneat fructu Indulgentiæ, ideò ex hoc prior opinio vim sumit, ut dicatur sufficere ad adimplendam conditionem impositam, quod pœnitens semel confiteatur. Quod si post confessionem peccet, sufficiat, si de peccato conteratur, & remissionem illius recipiat ut tenent Nugnus *3. par. quæst. 27. supplem. art. 3. dist. 4.* Bonac. *disp. 6. quæst. 1. punct. 5. nu. 9.* Diana *part. 5. tract. 17. res. 1.* Leand. *d. disp. 14. quæst. 79.* Cardinalis de Lugo *disp. 27. numer. 101.* Præpos. *in 3. part. quæst. 14. dub. 10. numer. 84.* Cotton. *lib. 2. contr. 11. num. 73.*

224. Ampliatur 3. ut non excuset impotentia confitendi, quidquid enim voluerint Boss. *d. casu 19. §. 1. num. 14.* Zanard. *cap. 21. quæst. 20.* Henriq. *lib. 7. cap. 10. numer. 6. in Gloss. lit. N.* Reginald. Layman, Fernandez, & alii, quos sequitur Leander *d. disp. 14. quæst. 82.* quod scilicet si ob multitudinem pœnitentium, vel ob aliam causam, quis non potest confiteri, nihilominus lucratur Indulgentiam, si sit contritus, oppositum dicendum est, quia velle confiteri non est confiteri, requiritur verò actualis confessio qua deficiente deest Indulgentiæ causa, & sic deficit Indulgentiæ fructus juxta regulam D. Thom. *quodlib. 2. artic. 16. in fin. corp.* & tenent Suarez *disp. 52. sect. 3 num. 6.* Bonac. *dicta quæst. 1. punct. 5. num. 17.* Diana *part. 5. tract. 12. resol. 20.* & apud ipsum Faustus, Sanctarellus, Filliuccius, Lavorius, Homobonus, & uterque Leo. Neque enim hic valet recurrere ad pias præsumptiones, nedum quia sumus in claris, sed quia ubi aliquid requiritur expressè ut conditio, non potest præsumi quod illud non sit necessarium.

225. Ampliatur 4. ab aliquibus, ut si contingat aliquem ex parte sua confiteri peccata sua, sed illum non absolvi, vel ex oblivione Sacerdotis, vel ex ejus malitia, talis non obtineat effectum Indulgentiæ, quia talis re vera non confitetur. Nec obstat, quod id eveniat sine culpa pœnitentis, quia quando concessio respicit effectuationem, & exitum conditionis, non attenditur quod non stet per pœnitentem, quod non impleatur conditio *l. in Testamento 2. ff. de condit. & demonstr. & l. legatum C. de cond. inser.* Glossa *in l. quæ sub conditione §. quoties ff. de condit: inst.* Suarez *dicta sect. 3.* Nihilominus dici potest quod Pontifex injungens confessionem tanquam opus injunctum attendit, effectuationem illius quantum sit ex parte operantis, ut scilicet pœnitens ex parte sua totum ponat, quod ex parte sua poni necesse est, non verò attendit effectuationem confessionis quantum ad id quod merè dependet ex parte Confessarii. Et ideò quod in hoc casu pœnitens lucretur Indulgentiam tenet Cotton. *lib. 2. contr. 11. numer. 73.*

226. An verò tempore Jubilæi possit quis confiteri in ea Dominica in qua publicatur Jubilæum, negavit Salas consultus, ut refert Lugo *disp. 27. num. 106.* Sed cum imò hebdomada Ecclesiastica incipiat à die Dominico, undè dies Lunæ dicitur feria secunda, hebdomada Jubilæi incipit à Dominica, & proptereà praxis habet, ut illa die Confessarii absolvant à reservatis, & sic etiam valet confessio facta illo die post promulgationem Jubilæi pro lucrando Jubilæo Lugo *d. num. 106.* & apud Filliuc. Leander *quæst. 82.*

227. Ex hoc autem videri poterit alicui, quod non sufficiat confiteri Dominica sequenti, quia illa Dominica est extrà hebdomadam concessam pro lucrando Jubilæo. Et propterea hoc tenuerunt Filliuc. *tract. 8. cap. 10. num. 272.* Portell. & Leo apud Dianam. Sed oppositum meritò sentiunt Navarr. *not. 19. numer. 19.* Sotus *4. dist. 21. quæst. 2. art. 3.* Lugo *disp. 27. numer. 107.* Diana *part. 1. tract. 1. Miscell. res. 28.* Bonac. *disp. 6. quæst. 2. punct. 5. numer. 34.* Et apud istos Acostas, Reginald. Villalob. Sanctarell. Sà, Vega, Molphes. Boss. Battonus, Corduba, Lublinius, Grassius, & alii, qui dicunt hoc declarasse Greg. XIII. anno 1576. Sed verba ipsa Bullæ hunc sensum admittunt, cum concedant communionem fieri posse illa Dominica, quam committatur confessio; Et hæc etiam est praxis, quam Romæ ignorare non potest Papa. Quamvis hoc, ut benè advertit Lugo contrà Bonac. non debeat restringi ad Urbem, quia aliis Civitatibus conceditur; ut pariter, & similiter Jubilæum consequi possint.

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrum ex vi clausulæ *verè pœnitentibus, & confessis*, præmittenda sit actualis confessio.

SVMMARIVM.

228 *Aliquando conceditur Indulgentia cum clausula verè pœnitentibus, &c.*
229 *Qui non est in peccato mortali ex vi dicta clausula esse necessariam multi dicunt.*
230 *Cujus est confessionem præmittere.*
231 *Confessionem ex serie dicta clausula esse necessariam multi dicunt.*
232 *Nec sufficit secundum istos confessio facta tempore suo.*
233 *Secundum alios sufficit confessio in voto.*
234 *Clausula verè pœnitentibus, &c. importat conditionem, & opus injunctum.*
235 *Quando dictio qui, injungitur verbo futuri temporis importat conditionem.*
236 *Si Ablativus absolutus importat conditionem.*
237 *Clausula verè pœnitentibus etiam ante posita dictioni, qui dicit conditionem.*
238 *Etiam si sola ponatur ante dictionem, & clausulam Qui, &c.*
239 *Ex vi clausula verè pœnitentibus, &c. confessio est præmittenda.*
240 *Quando sufficere volunt contritionem Pontifices id exprimunt.*
241 *Confessio necessaria ante completum ultimum opus saltem.*
242 *An sit eadem ratio de hac clausula de peccatis confessis, &c.*
243 *Non tenetur confiteri, qui non habet conscientiam mortalis peccati.*

244 Non

244 *Non est necessaria confessio generalis.*
245 *Argumenta in contrarium supponunt falsum.*
246 *Ubi confessio est necessaria non obtinentur sine illa alii favores ab illa dependentes.*

228. PONTIFICES sæpè Indulgentias concedentes significant se illas concedere verè pœnitentibus, & confessis, ut patet *in tit. de pænit. & remiss.* & in Clem. 1. *de reliq. & venerat. Sanctor.* & in Concil. Lateranen. sub Innocentio III. *in decreto ultimo, & in Bullis Iubilai*, & quam pluribus aliis literis Apostolicis.

229. Supponit autem quæstio, quod lucraturus Indulgentiam post confessionem, si aliquam præmisit, iterum mortaliter peccaverit. Nam si post ultimam confessionem non peccavit mortaliter, jam ille est verè pœnitens, & confessus, unde ex vi talis clausulæ non indiget iterum confiteri; ut enim dictum est supra *num.* 217. confessio venialium non est necessaria. Ideò quæstio præsens est, an qui habet mortale peccatum non confessum ex vi præfatæ clausulæ teneatur illud confiteri, an potiùs sufficiat illum conteri, & sic obtinere statum gratiæ.

230. Indubitatum etiam est securius esse ad lucrandam Indulgentiam concessam cum illa clausula præmittere actualem confessionem, & quod consulendi sunt omninò fideles, ut id observent. Sed & post factum, si aliquis contritus solùm perfecerit omnia opera injuncta, quæritur an censendum sit, illum obtinuisse fructum Indulgentiæ vel potiùs ita confessio actualis sit necessaria, ut ea omissa, non obtineatur Indulgentia.

231. Confessionem esse necessariam quamplures existimant, Nimirum Durand. *in 4. dist. 20. quæst. 4. num.* 4. Caiet. *opusc. 2. de Indulg. quæst.* 10. Navar. *de Indulg. notab. 18. num.* 1. *& notab.* 31. *num.* 30. Rodriq. *in Bullam Cruciatæ §. 2. num.* 10. Leo *par.* 1. *cap.* 3. *num.* 26. Layman. *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 7. Bonac. *disput.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 50. *num.* 5. Lavor. *par.* 1. *cap.* 10. Villalobos *numer.* 51. Bellarm. *lib.* 2. *de Indulg. cap.* 13. *quæst.* 3. Reginald. *lib.* 7. *num.* 171. Diallius, Boss. *sect.* 4. *casu* 19. *§.* 5. *num.* 54. Sanctarell. *de Iubil. cap.* 14. *dub.* 3. Acosta, Benzon. Philippus à Cruce, Graff. quos refert, & sequitur Pasqual. *quæst.* 61. *num.* 4. Lezana *part.* 4. *verb. Iubilæum num.* 15. & alii post Gloss. *in verb. confessis* Extravag. *Unigenitus de Pænit. & remiss.* Turrecrem. *§. Item in Levitico num.* 1. *art.* 1. *num.* 11. D. Anton. *par.* 1. *tit.* 10. *cap.* 3. *§.* 5. Ratio est, quia sive dicamus, quod per clausulam illam injungatur confessio tanquam opus præmittendum, vel potiùs tanquam qualitas subiecti, idem sequitur, & dicendum est non sufficere contritionem, sed requiri actualem confessionem, quia effectus Indulgentiæ non obtinetur nisi ad impleta conditione, sub qua Indulgentia conceditur, vel nisi lucraturus Indulgentiam habeat illas qualitates quas concedens requirit: Ubi enim plures qualitates copulativè requiruntur necesse est omnes haberi, ut locum habeat dispositio *l. si hæredi plures ff. de condit. instit. l. si is qui ducenta §. Utrum ff. de reb. dub.* Item secundo additur. Nam confessio est simpliciter quid diversum à contritione, non ergo contritio sufficit ad verificanda verba dispositionis, præsertim cum non sit recedendum à verborum proprietate *l. non aliter ff. de legat.* 3. *cap. intellig. de verb. signif.* Item tertio, licet contritio sufficiat ad obtinendum statum gratiæ, tamen quia potest esse, quod quis putet se esse contritum, cum non sit Ecclesia utrumque requirit in lucraturo Indulgentiam, ut adhibeatur medium certius, ad illam acquirendam.

232. Nec admittenda est limitatio, quam afferunt aliqui dicentes sufficere, si quis confessus fuerit tempore suo, quia expresse non dicitur, quod tunc fiat confessio. Nam mens Pontificis non fuit præcipere observantiam quadragesimalis confessionis, sed exigere opus, aut dispositionem necessariam ad præsentem Indulgentiam, quam postulat respectu omnium præcedentium peccatorum. Est enim considerandum, quod Pontifices injungentes expresse confessionem non injungunt illam solum ut dispositionem necessariam, ut subiectum sit capax acquirendi effectum Indulgentiæ; ex una enim parte confessio ad hoc non est simpliciter necessaria, cum sufficiat contritio, & confessio in voto; ex alia verò parte in non contrito confessio est necessaria ad effectum Indulgentiæ ex jure divino, quia necessarius est status gratiæ, sed finis imponendi confessionem expresse est bonitas ipsius confessionis, & sanctitas illius; quod apparet ex Brevi Pii Quinti ad favorem Confraternitatis Rosarii, quod incipit *Iniunctum* & datum fuit 14. Junii 1566. ibi. *Et Confratres earum Confraternitatum ad illorum visitationem, ad confessionis, & Eucharistiæ Sacramenta suscipienda faciliùs invitentur.* Ex hoc enim habetur Pontifices intendere, perducere fideles ad suscipiendum Sacramentum confessionis, propter Sanctitatem, & bonitatem talis susceptionis. Nam, & iustificationem, quæ est effectus confessionis intendunt propter illius bonitatem, quia est reconciliatio hominis cum Deo, & non solum quia sit dispositio ad acquirendum effectum Indulgentiæ.

233. Nihilominus alii volunt, quod ex vi dictæ clausulæ *verè pænitentibus, & confessis* non sit necessaria actualis confessio, sed sufficiat contritio, & confessio in voto Gloss. *in Clem. unic. de reliq. & vener. Sanctor.* Card. ibidem Io: Andr. *in cap. quod autem de pænit. & remiss.* Panorm. *in cap. omnis utriusque sexus de pænit. & remiss.* Fœlin. *de Indulg. num.* 27. Albertus Magnus *ead. d stinct. art.* 18. Palud. 4. *dist.* 20. *quæst.* 4. *art.* 3. Sylv. *verbo Indulgentia num.* 20. Suarez *tom.* 4. *disp.* 53. *sect.* 3. *num.* 13. Palaus *tract.* 24. *punct.* 9. *num.* 12. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 1. Tabien. *verb. Indulgentia num.* 17. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 6. *num.* 148. Angelus *verb. Indulgentia num.* 17. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 27. Comitol. *lib.* 1. *resp. quæst.* 39. Sà *verb. Indulgentia num.* 3. Ludovicus à Cruce, Coninch. Isambert. & Præpos. apud Pasqual. ubi supra Sylvius *in 3 par. D. Thom. quæst.* 27. *Supplem. art.* 1. *quæst.* 3. Cotton. *lib.* 2. *controv.* 11. *numer.* 70. *&* 71. Nam per illam clausulam non requiritur confessio ut opus injunctum, sed ut dispositio ad recipiendum effectum Indulgentiæ, ad hunc finem verò sufficit confessio in voto. Item secundò verbum illud verè pœnitentibus, non potest intelligi de contritis perfectè, aliter sequeretur, quod ad lucrandam Indulgentiam non valeret etiam confessio, nisi verè contriti, & non sufficeret attritio simul cum confessione, quod prorsus est falsum. Nec etiam potest intelligi illa clausula de sola pœnitentia imperfecta, quia hæc se sola non fert statum gratiæ: Intelligitur igitur clausula de pœnitentia communiter dicta, & sic meritò requiritur etiam confessio, quatenus tamen sit necessaria, & pœnitentia sit imperfecta.

234. Mihi in hac parte primò videtur considerandum, an Pontifex concedens Indulgentiam verè pœniten-

nitentibus, & confessis requirat confessionem, ut dispositionem, vel etiam ut opus injunctum, & sicut conditionem necessariam ad obtinendam Indulgentiam. Nam ubi confessio sit opus injunctum, indubitatum est eam actu esse præmittendam. Cum verò ex una parte pœnitentia vera, seu etiam actualis confessio, ubi non præcedit contritio sit necessaria universalissimè peccatori ad obtinendam Indulgentiam; & ex alia parte Pontifices sæpissimè concedant Indulgentias sine clausula verè pœnitentibus, & confessis, & aliquando expresè solam contritionem cum confessione in proposito requirant, signum est, quod quando expresè requirunt confessionem, illam requirunt non præcisè ut dispositionem, sed ut opus iniunctum, ut ponderatum est etiam *num.* 232. Neque enim videtur sufficere si dicatur, clausulam illam poni ad majorem declarationem necessitatis dispositionis ad effectum Indulgentiæ consequendum, quia ad hunc finem semper deberet poni, quia hujusmodi dispositio semper est necessaria.

235. Et requiri ut opus injunctum dicendum est ex vi hujus clausulæ, *qui corde contrito peccata sua confessi fuerint*, qua utitur sanctissimus Pius Quintus in Brevi. *Iniunctum nobis*, dato die 14. Junii 1566. ad favorem Confratrum Rosarii. Quando enim dictio, *Qui*, jungitur verbo futuri temporis, eam importare conditionem advertit Rota *decis.* 77. *num.* 2. *part.* 7. *rec.* post Ias. *in l. Stichum num.* 1. per illum textum *ff. de leg.* 1. Calcagnet. *de condit. & demonstr. par.* 1. *cap.* 4. *num.* 11. Sesse *decis.* 124. *num.* 17. Navar. *de Iubil. not.* 32. *numer.* 37. Et idem dicendum de hac alia clausula. *Qui in mortis articulo constituti salutari pœnitentia, & Viatici Sacramento muniti fuerint*. Qua usus est idem Pontifex in Brevi *Consueverunt* dato ad favorem ejusdem Societatis 17. Septembris 1569. Idem credo dicendum ubi eodem verborum tenore requiruntur confessio, & communio, ut in hac clausula, *Verè pœnitentibus, & confessis, ac communicantibus*. Qua ad favorem ejusdem Societatis usus est Gregorius XIII. *in Brevi Pastoris æterni* dato 5. Maii 1581. Eodem enim modo requiritur confessio, & communio, at verò communio non requiritur, ut dispositio necessaria ad fructum Indulgentiarum, requiritur igitur ut opus injunctum. Idem dicendum est de hac clausula. *Vobis omnibus, & singulis verè pœnitentibus, & confessis, ac communicatis, qui in prima Dominica, &c.* qua usus est idem Greg. XIII. ad favorem Confratrum Rosarii in Civitate Cremon. in Brevi *ad Augendam* dato 12. Martii 1577. Seu de hac alia: *Vobis omnibus pœnitentibus, & confessis, ac Sanctissima communione refectis*. Qua usus fuit idem Pontifex ad favorem Confraternitatis Rosarii in Ecclesia Sancti Dominici Bononiæ in Brevi dato 24. *Octobris* 1577. & in Brevi *Cum sicut* dato ad favorem Confraternitatis Rosarii in Ecclesia Prædicatorum Papiæ *die* 3. *Ianuarii* 1578. & Paulus V. in Brevi *Piorum hominum* dato ad favorem Confraternitatis Rosarii *die* 15. *Aprilis* 1608.

236. Verùm non solum significatur aliquid requiri, ut conditionem, quando dictio, *qui*, jungitur verbo futuri temporis, sed etiam quando disponens utitur nominibus in ablativo absolutè prolato. Sic enim opus injunctum, & conditionem importat hæc clausula. *Omnibus Confratribus, & Consororibus prædictum Psalterium modo suprà exposito, & per nos concesso recitantibus*, qua usus fuit Clemens VII. ad favorem Confraternitatis Rosarii in Bulla *Et si temporalium*, data octavo Idus Maii Anno undecimo. Et hæc alia: *Universis, & singulis Christi fidelibus præfato modo orare volentibus*, qua ad favorem ejusdem Confraternitatis usus est Sixtus IV. in Bulla *Ea quæ ex fidelium*, data quarto Idus Maii 1479. Et hæc alia: *Omnibus, & singulis utriusque sexus Confratribus, &c. itinerantibus, vel navigantibus, & servientibus, totum Rosarium infirmis verò, aut aliis legitimè impeditis tertiam ejus partem devotè recitantibus, nec non temporibus debitis, & ab Ecclesia statutis confitendi, & communicandi verum propositum habentibus, qui Cappellam, &c.* qua ad favorem ejusdem Confraternitatis usus fuit Sixtus Quintus in Brevi *Dum ineffabilia, &c. dato* 30. *Ianuarii* 1586. Manifestum est enim, quod recitatio Rosarii in supradictis literis Apostolicis requiritur, ut opus injunctum, non verò solum ut dispositio necessaria ad acquisitionem Indulgentiæ. Sed hoc idem probatur ex hac clausula, *omnibus, &c. ad Basilicas ipsas accedentibus reverenter, verè pœnitentibus, ac confessis, vel qui verè pœnitebunt, & confitebuntur, &c.* qua usus est Bonifacius Octavus *in Extravag. Antiquorum de pœnit. & remiss.* Nam ad lucrandum Jubilæum certum est esse necessarium quod fideles accedant ad Basilicas Apostolorum Petri, & Pauli, & ad alias à Pontifice designatas. Et ideò etiam hanc clausulam Bonifacii Octavi expressit *Clem.* 6. *in extravag. Unigenitus eodem tit.* per hæc verba, *ut omnes, qui, &c. ad dictorum Apostolorum Basilicas de Urbe accederent reverenter*. Quia in idem coincidunt, & eumdem sensum habent, loqui per ablativum absolutum, & dicere *accedentibus*, & dicere *qui accesserint*. Quibus sic istantibus dicendum videtur, quod clausula verè pœnitentibus, & confessis importet opus injunctum, & conditionem, & æquivaleat dicere *verè pœnitentibus, & confessis*, & dicere, *qui pœnitebunt, & confitebuntur*. Et ita Pontifices in concedendis Indulgentiis indifferenter utuntur modo una modo altera ex hujusmodi formis loquendi ad idem exprimendum, ut in Brevi Gregorii XIII. pro Confraternitate Rosarii; quod incipit *ad augendam*, & fuit datum 8. *Novembris* 1578. Et in alio Brevi eiusdem, quod pariter incipit *ad augendam*, & fuit datum *die* 29. *Augusti* 1579. habentur verò hujusmodi Brevia in Bullario dictæ Confraternitatis.

237. Verùm dici posset, quod ubi hæc clausula *verè pœnitentibus, & confessis*, anteponitur alii clausulæ, *qui visitaverint, aut jejunaverint*, aut aliud opus fecerint, tunc non importet opus injunctum, sed necessariam dispositionem. Nam dum dicitur *verè pœnitentibus, & confessis* disponitur qualificativè de subiecto, cui fit concessio, sed dum dicitur, *Qui &c.* disponitur de onere, seu conditione, sub qua fit concessio. Sed hæc differentia debile habet fundamentum. Nam in idem coincidunt quantum ad importandum onus, & conditiones dicere in ablativo pœnitentibus, & dicere, qui pœnitebunt. Et ideò quod clausula *pœnitentibus, &c.* importet onus injunctum, etiam ubi anteponitur alteri clausulæ, *qui visitaverit, &c.* probatur ex sequenti clausula. *Ipsis autem Confratribus in articulo mortis constitutis, & Sacramenta Ecclesiastica suscipientibus, ac Ecclesia Romana fidem professis, qui Antiphonam prædictam recitantes eidem Beatissimæ Virgini se commendaverint*. Qua usus est Clemens Octavus in Brevi *Ineffabilia*, ad favorem Confraternitatis Rosarii, in Ecclesia Prædicatorum Vallis Oleti dato 12. *Februarii* 1598. Eodem enim modo requiruntur

tur alia Ecclesiastica Sacramenta, & fidei Romanæ professio, & Sacramentum pœnitentiæ. Illa verò requiruntur ut opus injunctum, non enim sunt necessariæ dispositiones ad valorem Indulgentiæ, sed sunt opera liberè à Pontifice injuncta; igitur eodem modo injungitur confessio. Non obstante igitur quod per usum ablativi absoluti illorum requisitio exprimatur antequam succedat alia clausula, *qui se commendaverint*, nihilominùs illa requiruntur tanquam opus injunctum, seu tanquam conditio.

238. Sed posset dici, quod clausula *verè pœnitentibus, & confessis*, tunc non importat opus injunctum, cum sola ponitur ante aliam clausulam, *qui, &c.* sicuti in hac clausula integra: *Verè pœnitentibus, & confessis, qui prima vice, qua descripti fuerint sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum perceperint*. In hac enim clausula prima pars, scilicet, *verè pœnitentibus, &c.* ponitur, ut dispositio necessaria ad communionem; sed cum verum sit, quod confessio ad communionem præmitti debeat, tamen Sacramentum pœnitentiæ habet suam bonitatem, ob quam possit injungi, & ob quam injungitur, ut est probatum, aliàs verò expressio illa per ablativum absolutum conditionem importat ex sui natura, & opus injunctum.

239. Cum igitur non obstante quod confessio vel in re, vel in voto sit simpliciter necessaria peccatori, ut obtineat Indulgentiam, & nihilominùs Ecclesia non utatur clausula *pœnitentibus, & confessis*, universaliter, sed solùm quando concedit præcipuas Indulgentias, & præcipuè plenarias, & Jubilæum, & alias eadem clausula ex forma verborum importet opus injunctum, & conditionem; dicendum est, quod quando Pontifices concedunt Indulgentiam pœnitentibus, & confessis, confessio sit necessariò præmittenda.

240. Et quia si eorum intentio esset, quod sufficeret confessio in voto id exprimerent, sicut sæpè faciunt, & aliàs superfluè adderent *& confessis*, sed sufficeret dicere *verè pœnitentibus*; Quia vera pœnitentia perfecta continet confessionem in voto. Idcircò absolutè dicendum est, quod clausula *verè pœnitentibus, & confessis*, importat opus injunctum, & formam, & conditionem, & ideò quod ex vi dictæ clausulæ semper ad acquirendam Indulgentiam præmittenda est actualis confessio respectu illius, qui habet peccata mortalia, quæ non fuit confessus, & non sufficere contritionem, nam nec contritio in jure dicitur confessio, & tunc jura præter contritionem requirunt etiam confessionem.

241. Dubium verò est, quando haberi debeat confessio, nam videtur, quod ex vi dictæ clausulæ haberi debeat ante alia opera injuncta, quando præmittitur aliis operibus. Tum quia ordo literæ servari debet *l. quoties ff. de usufructu cap. mandato de prebend. in 6.* At verò in Bullis Jubilæi dicitur, *qui verè pœnitentes, & confessi visitaverint, &c.* quia forma loquendi utuntur Pontifices etiam in concessione aliarum Indulgentiarum, ut apparet ex allegatis quæst. sup. Cum igitur primum requisitum sit confessio, ipsa est aliis requisitis operibus præmittenda. Secundo quia confessio non tam est opus injunctum, quam dispositio, & qualitas subiecti, & qualitas verbo adiuncta intelligenda est secundum tempus verbi, *cap. ex parte de consuet.* Et quia adiectivum, nempè *confessus*, qualificat substantivum *l. cum filius familias ff. de legat. 1.* & ideò qualitas confessi præscribitur tanquam qualificans subiectum, cui additur juxtè doctrinam Bart. *in l. si quis Posthumo §. si filium ff. de fil. & posthum.* Ideò Navar. *de Iub. not. 32. num. 39.* existimat in Jubilæo Anni Sancti necesse esse, quod confessio præcedat visitationem Ecclesiarum. Hoc tamen limitat primò respectu ejus, cui non esset justa copia bene confitendi, quia tunc sufficeret si confessio antecederet ultimam visitationem. Secundo respectu ejus, qui ignoranter etiam ignorantia crassa invalidè confessus fuit, quia isti sufficit, si etiam domum suam reversus confiteatur intrà annum Pasqualig. *quæst. 90.* vult, quod confessio non possit esse opus ultimo executum, sed quod saltem præcedere debeat visitationem Ecclesiæ ultimæ. Sed hujusmodi resolutio difficultatem patitur. Neque enim ubi plures conditiones imponuntur ordo literæ est servandus, ut sit de forma implere priùs conditionem priùs nominatam; nisi id exprimatur, quia necessitas hujus Ordinis servandi novum est gravamen, & speciale onus, quod non debet censeri impositum nisi id exprimatur, & specialiter imponatur. In his enim gravantibus stricta debet fieri interpretatio. Nec oppositum colligitur ex *d. cap. mandato*, in quo est sermo de concessionibus beneficialibus alternativis, & habetur, quod in hujusmodi alternativi illud priùs debet impleri, cujus casus priùs accidit, ut ex Dom. & Franc. ibi adnotavi, undè doctrina illa ad rem nostram non facit. Et quod in proposito nostro confessio non sit præmittenda aliis operibus injunctis, ex eo est manifestum, quod in Jubilæis ordinariis, in quibus imponuntur jejunium, & visitatio Ecclesiarum, nihilominùs sufficit, si in Dominica post hebdomadam Jubilæi peccatores confiteantur peccata sua post jejunium, & visitationem quæ hebdomada præcedenti impleri debent. Et ad aliud motivum dicitur, quod confessio requiritur simul, ut qualificans subiectum, & ut conditio, & opus injunctum, sed hæc qualitas imponitur non ut prærequisita ad alia opera injuncta, sed ut prærequisita ad consequutionem Indulgentiæ. Et ita sive confessio consideretur ut opus injunctum, sive ut qualitas subiecti, sufficit ut habeatur ante illud instans, in quo Indulgentia debet habere effectum suum, quia sufficit, quod peccator tunc sit in gratia ad hoc ut lucretur Indulgentiam, ut patet ex dictis *quæst. 24. & 25.* Et ita confessio potest esse ultimum opus, quod impletur, nisi ubi etiam sit imposita communio, quia tunc qui habet conscientiam peccati mortalis, debet priùs confiteri, quam communicet. Nec prior illa opinio loquitur consequenter; Nam si de forma est, ut valida confessio præmittatur Visitationi Ecclesiarum, ex quacumque causa hæc confessio non præmittatur, non potest Indulgentia obtineri, non impleta conditione, etiam si fuit impossibile conditionem impleri, ut probatur *infra quæst. 31.* & probat Pasqual. *d. quæst. 90. num. 4.* Et pariter si semel est de forma, ut servetur ordo literæ non benè, & consequenter dicit Pasqual. *d. quæst. 90.* quod sufficiat confessionem antecedere visitationem ultimæ Ecclesiæ, quia ordo literæ est, ut confessio præcedat visitationem simpliciter. Considerandum igitur est, quod ubi Pontifices utuntur clausula *pœnitentibus, & confessis* præcipuum quod intendunt est, quod suscipiatur Sacramentum pœnitentiæ ob ejus sanctitatem, & ad hoc ut peccatores reconcilientur Deo. Præmittunt verò clausulam *pœnitentibus, & confessis*, quia sit meliùs, ut præmittatur confessio, & ordo connaturalis operationum bonarum, id postulat de consilio, & tanquam id,

id, quod est optimum, non verò ut imponant necessitatem præmittendi confessionem. Quod ex hoc etiam colligitur, quod aliquando impossibile sit illam præmittere. Sic enim interessentibus processioni Rosarii in prima Dominica mensis Paulus Quintus in Brevi, quod incipit *Piorum hominum*, & fuit datum 15. *Aprilis* 1608. concessit Indulgentiam plenariam cum clausula *pœnitentibus, & confessis*, & sacra communione refectis. Processio verò ista haberi potest de mane, & in aliquibus locis de mane habetur, potest ergo haberi de mane tali tempore, ut commodè fideles ante illam non possint confiteri, & communicare, unde non est verisimile, quod Pontifex per illam clausulam voluerit privare Indulgentia illos, qui commodè ante processionem non potuerint confiteri, & Eucharistiam sumere, sed potiùs dicendum est sufficere, si peccatores intuitu talis Indulgentiæ Deo reconcilientur, & Sacramentum Eucharistiæ eadem die suscipiant. An verò in Anno Sancto sufficiat, si peccator post visitationem Ecclesiarum reversus domum confiteatur. Respondetur moraliter esse impossibile, & inverisimile, quod peccatur, qui relicta patria venit Romam, ut lucretur Jubilæum scienter, & sine necessitate velit redire in Patriam, non præmissa confessione, & non lucrato Jubilæo, & hoc supponunt Pontifices, qui juxtà Juris ordinem hujusmodi casus raros, & inverisimiles non attendunt. In casu verò, quod peccator Romæ confessus intuitu Jubilæi, dum est reversus in Patriam, inveniat se invalidè confessum fuisse, si infra annum confiteatur validè, confessio valet pro lucranda Indulgentia Jubilæi, ut docent Navar. *d. not.* 32. *num.* 39. Boss. *de Iubil. sect.* 4. *casu* 15. & apud Pasqual. *d. quæst.* 90. Zeroll. Lavor. Sanctarell. & Polach.

242. An verò eadem sit ratio de hac clausula *pœnitentibus, & confessis*, & de hac de *peccatis confessis*, dictum est supra *quæst.* 13.

243. Non sequitur etiam ex prædictis, quod qui non habet conscientiam peccati mortalis commissi post ultimam confessionem debeat nihilominus confiteri, quidquid in contrarium voluerint aliqui relati supra *quæst.* 27. Quia qui post ultimam confessionem non commisit peccatum mortale est verè confessus quantum sufficit ad lucrandam Indulgentiam. Et quia in jure confessio absolutè prolata importat confessionem mortalium, quæ sola est necessaria ad salutem, & ad lucrandas Indulgentias. Ideò cum absolutè præcipitur confessio tam de Jure divino, quàm de Jure humano non præcipitur nisi confessio mortalium. Ideò præceptum de confessione ante communionem non obligat nisi habentem mortalia, ut declarat Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 7. *de Eucarist.* Et ideò qui non habet mortale aliàs non confessum, etiam si omittat confessionem, lucratur Indulgentiam ut tenent DD. citati *d. quæst.* 27.

244. Colligitur verò ex his, quod ad lucrandum Jubilæum Anni Sancti non est necessaria generalis confessio omnium peccatorum sed sufficit confiteri commissa post ultimam confessionem, & ideò pro eo, qui non peccavit post ultimam confessionem, non est necessaria nova confessio, ut lucretur Jubilæum, vel aliam Indulgentiam.

245. Argumenta in oppositum jam sunt soluta, supponunt enim falsum, scilicet quod clausula *vere confessis*, non importet conditionem necessariam ad valorem Indulgentiæ consequendum.

246. Ex dictis quoque sequitur, quod ubi confessio ex forma concessionis est necessaria, omnes illi favores, qui præter Indulgentiam concaduntur vel in ordine ad confessionem ipsam habendam, ut facultas absolutionis à casibus reservatis, & à censuris, vel ut obtinenda media confessione, ut dispensatio votorum, non obtineatur nisi media confessione, & ex consequenti regulariter nisi homine existente in gratia, quia confessio confert gratiam, nisi sit deficiens.

QUÆSTIO XXIX.

Vtrum de necessitate Indulgentiæ sit, quod Pontifex injungat ei, cui Indulgentiam concedit, aliquod pium opus.

SUMMARIUM.

247 *Opus injunctum quomodo sit dispositio.*
248 *Regulariter non conceditur Indulgentia sine alicuius operis impositione.*
249 *Hoc tamen per se non est necessarium.*

247. Regulariter quidem ita sit, & pium hoc opus impositum ab aliquibus dicitur dispositio actualis ad Indulgentiam, ab aliis causa pia. Cum tamen dispositio se teneat ex parte recipientis, hujusmodi verò pium opus non sit necessarium simpliciter, ut disponat suscipientem ad effectum Indulgentiæ, sed potiùs sit necessarium ex parte causæ concedendi Indulgentiam, nihilominus quia etiam ejus executio est necessaria ad hoc ut fidelis Indulgentiam recipiat, & in hoc quamdam rationem dispositionis habeat, ad causam etiam dispositivam reducitur.

248. Dicitur igitur regulariter non concedi Indulgentias nisi injungendo illas lucraturis aliquod pium opus, sive hoc sit peregrinatio, sive visitatio Basilicarum, & Ecclesiarum seu Altarium, sive eleemosyna in aliquem pium finem, sive oratio aliqua, sive bellum contra Infideles, sive aliquod aliud hujusmodi.

249. Et nihilominùs etiam additur, non esse simpliciter necessarium ad legitimam, & justam concessionem Indulgentiæ, quod Pontifex lucraturis Indulgentiam injungat aliquod opus. Nugnus *in supplem. quæst.* 27. *art.* 3. *dub.* 1. Nam salva pietate, & justitia concessionis, posset Indulgentia in aliquo casu concedi vel titulo gratitudinis ob præstita beneficia, vel ut medicina ad sublevandam spem alicujus, & juxtà dictum Pauli 2. *Cor.* 2. condonandum esse alicui, ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur. Item tertio ex liberali concessione justam causam habente, ut in honorem alicujus magnæ solemnitatis. Sic enim & Principes seculares in magnis festis aliquem damnatum liberare solent. Item 4. Indulgentia uni potest concedi ad intercessionem alterius, sic enim etiam antiquitus pœnæ canonicæ ad Martyrum intercessionem remittebantur, ut habetur ex Tertull. *lib.* 1. *ad Martyres cap.* 1. & Cyprian. *Epist.* 11. aliàs *lib.* 3. *epist.* 15. & ex *lib. de lapsis*, & alibi. Sic igitur sine novi operis impositione ex his, aut aliis similibus causis possent concedi Indulgentiæ. Unde opus impositum sic est aliqua dispositio ad fructum Indulgentiarum suscipiendum, quod non est dispositio necessaria simpliciter, sed solum ex suppositione impositionis illius.

QUÆ-

QVÆSTIO XXX.

Vtrum concedi possit Indulgentia pro aliquo opere interno.

SUMMARIUM.

250 *Ratio quæstionis.*
251 *Indulgentia regulariter non conceditur pro actu interno licet aliquando etiam concedatur.*
252 *Ecclesia habet Ius ut imponat conditionem internam soli Deo cognitam.*
253 *Effectus Indulgentiæ est internus.*

250. CUm enim Ecclesia nec judicet de actibus merè internis, nec habeat super illos Jurisdictionem, concessio verò Indulgentiæ sit actus jurisdictionis spiritualis, videri posset, quod pro actibus merè internis non possit imponi Indulgentia. Secundo nam actiones sacramentales debent esse sensibiles, Indulgentiæ verò concessio illis assimilatur, quia per Indulgentiam commutatur, quodammodo pœnitentia Sacramentalis in tale opus.

251. Sed dicitur, quod licet de facto magis communiter in concessione Indulgentiæ imponantur actiones externæ, tamen & possunt imponi internæ, & de facto aliquando imponuntur. Nam conceduntur aliquando Indulgentiæ pro examine conscientiæ, quod fiat singulis noctibus, item pro dolore, & detestatione peccatorum, item pro proposito proficiendi in virtutibus, aut pænitendi; quæ omnia per actus merè internos fiunt, similiter conceditur Indulgentia existentibus in articulo mortis, si nomen Sanctissimum Jesus, si ore non possunt saltem invocent corde Palaus *tract. 24. par. 9. num. 3.* De Lugo *disp. 27. num. 87.* Suarez *disp. 52. sect. 5. num. 5.*

252. Ad primum in oppositum dicitur, quod Jurisdictio Ecclesiæ se extendit ad hoc ut imponat conditiones internas, pro effectu interno, quem sufficit, quod cognoscat Deus, in cujus foro pœna temporalis remittitur. Et sic non est necesse quod Ecclesia judicet de hoc, opere, vel illud cognoscat, sed sufficit, quod cognoscat illud Deus, & effectum Indulgentiæ non conferat non implentibus operis conditionem.

253. Ad secundum dicitur, quod etiam Sacramenta in suis effectibus dependent ab aliquo interno, ut Sacramentum confessionis dependet à contritione, vel attritione interna. In hoc tamen est discrimen, quod Sacramenta sunt signa effectus, quem causant, Indulgentia verò non est signum, neque Sacramentum, undè licet sit sensibilis, quatenus est actio Papæ imponentis Indulgentiam, & remittentis pœnam temporalem, cujus reatum invenit, tamen ut est passio est quid internum, quod est ablatio reatus pœnæ in foro Dei. Pontifice interim imponente conditiones sibi benè visas, & servandas à volente consequi effectum Indulgentiæ.

QUÆSTIO XXXI.

Vtrum opus injunctum sit exequendum omninò ut obtineatur effectus Indulgentiæ.

SUMMARIUM.

254 *Ratio quæstionis.*
255 *Non impleto opere injuncto non acquiritur indulgentia.*
256 *Non excusat ignorantia, &c.*
Pontifex potest secum dispensare super opere injuncto.

254. VIdetur quod non sit necessarium, quia si esset necessarium etiam Papa teneretur illud opus implere, si vellet lucrari Indulgentiam, quia legibus communibus obligatur, saltem quantum ad vim directivam.

255. Indubitatum est tanta necessitate implendum esse opus injunctum à concedente Indulgentiam, ut nisi lucraturus Indulgentiam illud exequatur, non consequatur effectum Indulgentiæ. Quod adeò est verum, ut defectum adimpletionis hujus operis non excuset vel ignorantia invincibilis, vel impotentia, sed quælibet talis operis omissio impediat Indulgentiæ effectum D. Thom. *quodl. 2. art. 16.* D. Bonav. *4. dist. 20. part. 2. art. 1. quæst. 4.* Durand. *eadem distinct. quæst. 4.* Richardus *art. 4. quæst. 3.* Palud. *quæst. 4. art. 1. & 3.* D. Anton. *part. 1. tit. 10. cap. 3. §. 2.* Turrecrem. *§. item in Levitico art. 6. num. 62.* Fœlin. *de Indulg. num. 29.* R. P. D. Fagnan. *cap. quidam de celebrat. Miss. num. 16.* Tabien. *verb. Indulgentia num. 15.* Sylvest. *numer. 19.* Sylvius *in 3. part. D. Thom. quæst. 27.* Sotus *4. dist. 20. quæst. 2. artic. 3.* Pasqual. *quæst. 37. num. 1.* & alii communiter, nisi Pontifex expresse concedat, ut impediti lucrentur Indulgentiam; quod solet aliquando facere injunctis aliis operibus impeditis proportionatis, & ratio est, quia forma concessionis Indulgentiæ sub onere talis operis est conditionata, cum igitur conditionalis non posita conditione nihil ponat in esse, ideò concessio Indulgentiæ sub conditione operis, non posito opere nihil facit. Sic etiam in Sacramentis nihil efficitur, si cessat conditio, scilicet dispositio necessaria ad effectum Sacramenti obtinendum.

256. Ad argumentum in oppositum dicitur, quod ut desumitur ex D. Thom. 4. *dist. 20. quæst. 1. artic. 3. quæst. 4.* & docent Supplem. Gabriel, Rodriquez, Corduba, Fabin. Benzon. quos referunt, & sequuntur Boss. *sect. 4. casu 22. §. 3. num. 36.* Pasqual. *d. quæst. 37. num. 2.* Bonac. *disp. 6. quæst. 1. punct. 3. num. 17.* etiam Pontifex tenetur ad opera injuncta, quia Indulgentia non est concessa nisi sub illa forma, sed tamen ut DD. advertunt, sua potestate potest opus injunctum in aliud commutare, vel secum dispensare, vel etiam si causa adsit, totum opus relinquere, cum ut dictum est *quæst. 30.* possit Indulgentiam concedere nullo opere injuncto.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXII.

Utrum opus injunctum possit à lucraturo Indulgentiam impleri per alium.

SUMMARIUM.

257 *Ratio ad quæstionem.*
258 *Opus injunctum est personale, & non potest impleri per alium.*
259 *Potest uti quis ministerio alterius in iis, quæ ministerialiter per alium fiunt.*
260 *Dominus non lucratur Indulgentiam, si famulus eam furatur.*
261 *Valet eleemosyna data à divite nomine pauperis.*
262 *Sufficit perficere opus per alium, si hoc est concessum.*
263 *Unus non potest pro alio lucrari Indulgentiam.*
264 *Si hoc sit concessum non est necesse, quod is, pro quo acquiritur Indulgentia id sciat.*
265 *Unus non potest alteri donare Indulgentiam.*

257. ET videtur ita fieri posse; nam v. g. qui medio ministro suo dat eleemosynam, cur non poterit lucrari Indulgentiam. Secundo qui de proprio ære facit eleemosynam pro alio, censetur illi donare id, quod nomine suo dat pauperibus; poterit igitur pauper, qui non habet unde eleemosynam faciat, rogare divitem, ut pro se aliquid det pauperibus, & illa eleemosyna illi imputabitur; poterit igitur implendo opus per alium satisfacere oneri suo, & Indulgentiam lucrari.

258. Sed indubitatum est opus injunctum pro Indulgentia importare onus personale ab eo personaliter ferendum, qui vult lucrari indulgentiam, nec posse per alium impleri. Ita DD. communiter. Et ratio est, quia in concessione Indulgentiæ præscribitur opus ut personaliter exequendum, ut ex his verbis, qui Ecclesias visitaverint, qui jejunaverint, qui Rosarium recitaverint, qui Processioni interfuerint, &c. Si igitur hujusmodi opera personaliter non impleantur, non impletur conditio sub qua Indulgentia conceditur, & conditione non impleta, Indulgentia non sortitur effectum D. Thom. *4 dist. 20. quæst. 1. art. 5. quæst. 3.* Suarez *tom. 4. disp. 52. sect. 7.* Henriq. *lib. 7. cap. 10. nu. 5.* Rodriq. *in Bulla Cruciatæ §. 8. nu. 14.* Filliuc *part. 1. tract. 8. cap. 6. num. 28 1.* Layman. *lib. 5. tract. 7. cap. 6. num. 5.* Bonac. *disp. 6. quæst. 1. punct. 5. num. 24.* Armilla *verb. Indulgentia nu. 19.* Bossius *de Iubil. sect. 4. casu 8. num. 15.*

259. Ad primum dicitur limitari assertionem, ut non procedat in illis actionibus, quæ si exercentur per ministrum, ut tamen mandans ipsi censeatur causa moralis, & qui actionem illam principaliter causat. Dominus enim est, qui facit eleemosynam, cum servus de pecunia Domini solùm merè ministerialiter dispensat, sic ergo qui vult Indulgentiam obtinere potest per alium exercere illas actiones, quæ merè ministerialiter fiunt ab alio, denominatione agentis manente apud eum, qui per servum facit.

260. Si tamen Dominus det famulo eleemosynam, ut illam tradat pauperi, & famulus illam non tradat, Dominus Indulgentiam non consequitur Bonac. *dist. 6. quæst. 1. punct. 5 nu. 22.* Lugo *disp. 27. nu. 1 22.* Leand. *qu. 49.* & apud eum Leo, & Philippus de Cruce, Diana *par. 5. tract. 12. res. 31.* Et idem dicitur in casu in quo eleemosyna non perveniat ad pauperem intrà tempus Jubilæi. Nisi pauper intra tempus illam acceptaverit, licet inter manus Domini custodiendam nomine suo illam reliquerit. Non ergo audiendi sunt Sà *verb. Indulgentia num. 4.* Vega *tom. 2. cap. 7. casu 24.* Nebullosa *discursu 10.* quos refert, & probabiliter sequitur Bossius *d. casu 8. nu. 19.* qui dicunt in hoc casu, qui dedit ad eleemosynam erogandam lucrari Indulgentiam, etiam si minister illam furetur. Eo quia Dominus non est in culpa, si eleemosyna non est data pauperi. Nam nihil interest, si quis omittit opus injunctum & conditionem ponendam illam omittit, vel non ex culpa, vel non ex culpa Nam necesse est, ut conditio ponatur, sub qua Indulgentia conceditur. Sic si pro Indulgentia exigitur jejunium qui non jejunat, licet id faciat sine culpa quia est infirmus, vel legitimè impeditus, non lucratur Indulgentiam. Sic neque Dominus Indulgentiam acquirit, si famulus pro se retinuit pecuniam à Domino datam, ut daretur in eleemosynam pauperi. Rosella *verb. Indulgentia nu. 7.* Corduba *qu. 22.* Leo. *num. 173.* Lavor. *p. 1. cap. 14. nu. 4.* Sanctarell. *cap. 7. dub. 1.*

261. Ad secundum eodem modo dicitur, quod qui ad instantiam Titii dat de proprio eleemosynam pauperi, primo donat pecuniam Titio, & deindè merè, ministerialiter dat eleemosynam pauperi, & ideò dat eleemosynam per se ipsum quantum sufficit ad consequendam Indulgentiam. Posset tamen concedens Indulgentiam velle, ut eleemosyna fieret immediatè ab aliquo per se ipsum, & si hoc exprimeret, impleri deberet.

262. Si tamen in concessione Indulgentiæ contineatur, quod quis per se, vel per alium aliquid faciat, tunc ad Indulgentiam lucrandam sufficit implere opus per alium D. Thom. *4. dist. 20. qu. 1. art. 1. qu 3. ad 2.* Qui etiam advertit in eo casu illum, qui operatur non donare Indulgentiam illi, nomine cujus operatur, sed Pontifex est, qui sub conditione operis exerciti per alium Indulgentiam concedit.

263. Hinc etiam sequitur, quod nisi id sit expressè concessum, non potest unus alteri lucrari Indulgentiam, quia alias Indulgentia est personalis, & ex forma est concessa solùm operanti opera injuncta D. Thom. *4. dist. 20. qu. 1. art. 3. qu. 2. & dist. 45. qu. 2. art. 3.* Navar. *not. 22. nu. 1. & 2.* Boss. *d. casu 8. num. 20.*

264. Quando autem unus potest alteri acquirere Indulgentiam non est necesse ut ille, pro quo Indulgentia acquiri debet inducat alium ad hoc ut pro se Indulgentiam lucretur, imò neque quod sciat alium ad favorem sui agere, sed sufficit quod qui lucratur Indulgentiam, intendat illam pro alio obtinere.

265. Sequitur etiam, quod nullus potest alteri donare Indulgentiam sibi personaliter concessam, & alteri scilicet committendo ut faciat opus ad Indulgentiam necessarium, ut illi obtineat eam Indulgentiam, quæ sibi concessa fuit, quia ex concessione Indulgentia est personalis, & alteri incommunicabilis, nisi aliud expressè concedat Pontifex; in quo casu servandum esset, quod ipse ordinaret Suarez *disput. 52. sect. 7. numer. 7.*

QUÆSTIO XXXIII.

Vtrum ignorantia, vel impossibilitas exequendi opus injunctum excuset; ut sine opere consequi possit Indulgentia.

SUMMARIUM.

266 *Difficultatis fundamentum.*
267 *Non lucratur Indulgentiam, qui non perficit opus externum, etiam si sit impeditus.*
268 *Non excusat impotens, si pauper non faciat eleemosynam injunctam.*
269 *Non valet eleemosyna spiritualis, ubi temporalis est injuncta.*
270 *Religiosi qualiter eleemosynam facere debeant.*
271 *Nec in Sacramentis acquiritur gratia propria Sacramenti sine injuncto opere.*
Quamvis non sit eadem ratio de Sacramentis, & de Indulgentia.
272 *Pontifex sæpè dispensat cum impeditis.*

266. VIdetur enim quod ita dicendum sit, quia in Sacramentis sufficit impedito votum Sacramenti, ut patet in Sacramento baptismi; eadem igitur ratione Indulgentia habere poterit suum opus operatum, & si impeditus desinat, implere opus impositum ut lucretur Indulgentiam.

267. Sed dicitur indubitatum esse non posse lucrari Indulgentiam eum, qui opera injuncta non operatur, sive id proveniat ex ignorantia invincibili, sive ex impotentia, sive ex quocumque alio impedimento. Ita enim cum D. Thom. *4. dist. 20. quæst. 2. artic. 5. quæst. 3. & quodl. 2. art. 16.* tradunt communiter D. Bonav. *4. dist. 20. part. 2.* Turrecrem. *art. 6. numer. 61.* Durand. *quæst. 4. art. 1. quæst. 4.* Sotus *4. dist. 21. quæst. 2. art. 3.* D. Anton. *d. tit. 10. cap. 3. §. 2.* Sylvest. *verb. Indulgentia numer. 19.* Navar. *com. de Indulg. not. 19.* Belarm. *lib. 1. de Indulg. cap. 3. quæst. 4.* Suarez *tom. 2. dist. 52. sect. 5. numer. 1.* Bonac. *disp. 6. quæst. 1. punct. 5. num. 20.* Palaus *tract. 24. part. 9. numer. 1.* Mercer. *in 3. part. quæst. 25. supplem. art. 4. dub. 1.* Sylv. *ibid. art. 7. disp. 3.* Faustus *lib. 3. quæst. 50.* Sanctarell. *de Iubil. cap. 7. dub. 1.* Valent. *tom. 4. disp. 7. quæst. 2. part. 3.* Comitol. *lib. 1. quæst. 37.* Lavor. *part. 1. cap. 21. numer. 1.* Filliuc. *tract. 8. num. 152.* Palud. *4. dist. 20. quæst. 4. art. 1. & 3.* Tabien. *verb. Indulgentia num. 15. & 25.* Bolognin. *de Indulg. 68.* Fœrin. *num. 39.* Bossius *sect. 4. casu 8. à num. 1.* Pasqual. *quæst. 34.* & apud eum Sà, Layman, Vega, Benzon. Graff. Leo, Polach. Putian. Præpos. & Villalobos, Trullench. *in Bullam Cruciatæ §. 1. d. 5. num. 2.* & ratio manifesta est, quia concessio Indulgentiæ est conditionalis, at vero conditionalis deficiente conditione nihil ponit in esse; deficiente igitur opere, sub cujus conditione concessa est Indulgentia, concessio non habet effectum, quia habetur pro non facta, *l. pecuniam, ff. si cert. petat. l. necessario §. quod si pendente ff. de perit. & com. rei vend.* Cum enim conditio suspendat actum, dispositio conditionata non potest sortiri effectum antequam adimpleatur conditio *l. qui hæred. ff. de cond. & demonstr.*

268. Limitant hoc aliqui casu eleemosynæ injunctæ, quia dicunt pauperem nihil habentem, quod dare possit in eleemosynam illam acquirere Indulgentiam etiam eleemosyna non data, nec teneri in tempore Jubilæi procurare commutationem in aliquod aliud opus sibi possibile ita Leander, *tract. 5. disp. 14. qu. 53.* nec est alienus Diana *par. 5. tract. 12. res. 15.* referens pro hac sententia Navar. *Miscel. 94. nu. 2.* Henriq. *lib. 7. cap. 10. nu. 6. lit. N.* & Graffium, & Fernandez. Sed limitatio admitti non debet; Tum quia casus moraliter non est dabilis, ut quis nec unum minutum habeat, quod dare possit; Tum quia potest agere, vel ut alius det pro se eleemosynam, vel in casu Jubilæi, ut confessarius commutet in aliud opus; Tum quia in his non est tutum fundare se in præsumptionibus; Tum quia conditio est implenda. Et ideò quod pauper non acquirat Indulgentiam, si non facit eleemosynam injunctam, docent Sanctarell. *cap. 7. disp. 1.* Leo *par. 2. nu. 73.* Lavor. *cap. 19. nu. 6.* Bossius *sect. 4. casu 21. num. 3.* & DD. supra citati.

269. Imò non sufficit dare æquivalens alterius speciei aut majus, & sic non sufficit dare eleemosynam spiritualem, quidquid dixerint Zanardus, Graffius, Lavorius, Felin. & Alens. relati à Leand. quia sola eleemosyna temporalis est propriè eleemosyna Diana *d. tract. 12. res. 31.* Leander *quæst. 52.* & apud eum Bottonus, Bossius, & Lavor.

270. Quamobrem Religiosus, si pro Jubilæo acquirendo superior nolit dare eleemosynam, tenebitur dare omni meliori modo, quo poterit vel de concessis sibi ad usum, vel per amicum, & de licentia Superioris, vel agere ut sibi opus commutetur Lugo *disp. 27. num. 115.*

271. Ad argumentum in oppositum respondetur, quod neque in Sacramentis fit, ut impeditus à susceptione Sacramenti lucretur proprium Sacramenti effectum. Quod verò sufficiat contritio, cui est annexum votum Sacramenti ad consequendam gratiam sanctificantem, hoc est ex Dei institutione, qui non vult, quod faciens totum quod est in se convertendo se in ipsum Deum per amorem, & recedendo à peccato per odium illius, remaneat privatus sua gratia, & sit ejus inimicus.

272. Sic enim, & sæpè contingit, quod Pontifex extendit Indulgentiam ad illos; qui sunt impediti, injungendo illis aliquod aliud opus, quod in impeditis possit habere locum. Ex quo asserta conclusio magis comprobatur.

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrum, qui non implet totum opus injunctum sed partem tantum, ex hoc sit privatus Indulgentia in totum, vel potiùs partem illius lucretur.

SUMMARIUM.

273 *Rationes ad quæstionem.*
274 *Attendi debet forma concessionis.*
275 *Qui integrè opus injunctum non implet, non consequitur Indulgentiam.*
276 *Aliquando Indulgentia conceditur acquirenda per partes.*
277 *Quando conditio haberi debeat pro impleta.*

273. Et

273. ET videtur quod implens partem operis lucretur partem Indulgentiæ. Nam si concedatur Indulgentia illi, qui est præsens divinis officiis, si uni horæ solum assistat, consequitur Indulgentiæ partem illi horæ respondentem. Secundo quia conditio habetur pro completa, quando per eum non stat, quin impleatur conditio *l. jure civili ff. de condit. & demonstr. & l. jure civili ff. de reg. jur.* unde servus, cui sub conditione donata fuit libertas, remanet liber, si per eum non stetit, quin impleretur conditio; sufficit igitur si qui incæpit opus injunctum, non perficiat illud impeditus, ad hoc ut saltem partem Indulgentiæ acquirat.

274. Respondetur attendendam esse formam concessionis Indulgentiarum. Nam aliquando Pontifex extendit Indulgentiam ad illos, qui impediti non possunt opus incæptum perficere, ut v. g. iis, qui sumpta peregrinatione ad limina Apostolorum moriuntur in itinere. Et tunc juxta Pontificis dispositionem, qui partem operis implent, etiam totam consequuntur Indulgentiam, si tota illis est concessa.

275. Sed nisi Pontifex extendat Indulgentiam ad impeditos implere totum opus, qui solum partem illius implet, nihil lucratur Indulgentiæ, ut docent D. Thom. *quodl. 2. art. 16.* & Palud. *4. dist. 20. quæst. 4. art. 3.* D. Anton. *part. 1. tit. 10. cap. 3. §. 4.* Navar. *de Indulg. not. 9. num. 3. & not. 19. num. 27.* Suarez *tom. 4. disp. 52. sect. 5. num. 3.* Corduba *quæst. 23.* Coninch. Reginaldus, Lavor. Leon. Mercer. Villalob. Faustus, Henriquez, Graffius, quos sequitur Pasqual. *quæst. 41.* Palaus *tract. 24. punct. 9. num. 1.* Lugo *disp. 27. num. 89.* Sanctarell. *de Iubilaeo cap. 7. disp. 1.* Pinell. *de Indulg. cap. 15.* Trullenc. *in Bullam Cruciatæ §. 1. dub. 15. num. 2.* Filliuc. *tract. 8. cap. 6. num. 153.* Bossius *sect. 4 casu 8. num. 6.* Bonac. *disp. 6. quæst. 1. punct. 5. num. 21.* Layman. *lib. 5. tract. 7. cap. 6. num. 3.* Nam forma, sub qua aliquid conceditur de re indivisibilis est, sicut & de genere indivisibilium est conditio, sub qua aliquid conceditur, ita ut non possit scindi, sed tota debeat impleri *l. qui duobus & l. cui fundus ff. de condit. & demonstr.* Qui ergo totum opus injunctum pro Indulgentia non implet, nihil Indulgentiæ lucratur. Item in conventionibus conditionalibus non attenditur solus animus, sed effectuatio conditionis, qua non posita etiam si id fit ex impedimento, conventio perinde se habet, ac si facta non fuisset, *l. pecuniam ff. si cert. petat.* Cum igitur concessio Indulgentiarum se habeat per modum conventionis conditionalis, sequitur ut conditione tota non completa, concessio Indulgentiæ effectum non habeat.

276. Ad primum dicitur attendendam esse intentionem concedentis Indulgentiam. Nam si conditio fuit, ut quis esset præsens omnibus horis, ad hoc ut acquireret Indulgentiam, eam non acquirit, si solum alicui horæ sit præsens. Sed si conditio fuit, ut Indulgentiam acquireret, qui esset præsens divinis officiis, etiam divisim, tunc qui uni horæ est præsens, acquirit Indulgentiam respondentem illi parti. Indulgentia autem concessa iis, qui sunt præsentes divinis officiis sic absolutè concessa potiùs intelligitur ut concessa pro illis divisim, non verò pro illis omnibus collectivè.

277. Ad secundum dicitur, quod regula illa intelligitur ut valeat quando apponens conditionem, attendit solum ad factum illius, qui eam debet ponere, non verò quando respicit ad exitum: nam tunc exigitur conditionis effectuatio. Quod præsertim habet locum in mixtis, & casualibus conditionibus *l. in Testamento 2. ff. de condit. & demonstr. & l. legatum C. de cond. insert.* & tenet gloss. *in l. quæ sub conditione §. quoties ff. de cond. instit.* Duran. *decis. 339. num. 63.* Quando autem Pontifex concedit Indulgentiam sub conditione operis respicit conditionis exitum, quia quodammodo compensat satisfactionem sacramentalem cum opere injuncto. Et ideò quando volunt, quod impedimentum excuset, solent Pontifices id exprimere; Et nihilominùs etiam tunc solent pro impeditis aliud opus injungere, quod non possit habere impedimentum, seu quod aliàs impeditis possit convenire, & ab illis exequi.

QUÆSTIO XXXV.

Vtrum si omittatur pars minima operis injuncti acquiratur Jubilæum.

SUMMARIUM.

278 *Opiniones diversæ.*
279 *Omissio minimi non impedit effectum Indulgentiæ.*
280 *Integritas materialis, & formalis.*
281 *Minimum accipitur per comparationem ad totum.*

278. COmmunis sententia est, quod minimum in præsenti pro nihilo reputatur, quamvis Suarez *d. disp. 52. sect. 5. numer. 4.* & aliqui alii hoc dubium esse velint. Aliqui etiam distinguunt, quia nimirum vel potest esse tale de substantia, & formalitate, seu qualitate essentiali operis, vel solum est de materiali integritate, si minimum sit necessarium ad formalitatem, & essentialem qualitatem, & substantiam operis, ejus omissio non potest haberi pro nihilo, quia constituit essentialiter formaliter opus. Hujus igitur minimi omissio impedit effectum Indulgentiæ, quia eo omisso cessat simpliciter opus, sub cujus conditione data est Indulgentia. Hujusmodi enim conditio injuncti operis inducit formam, *l. qui hæredi, & l. Mevius ff. de cond. & demonstr.* Rota *decis. 515. num. 3. part. 1. recent.* Ruin. *cons. 199. num. 1. vol. 1.* Bald. *l. 1. num. 8. C. ne liceat in una, eademque causa* Menoch. *cons. 35.* Corruere autem actum, quando forma non servatur, tradunt Jurisperiti *ex l. cum hic §. si Prætor ff. de transact. & d. l. qui hæredi & l. Mevius*, unde corruit Indulgentia ex omissione minimi, non servata forma operis injuncti.

279. Ex hoc Pasq. *de Iubil. q. 41.* deducit, quod si opus injunctum sit recitatio Rosarii, omissio unius *Ave Maria* impedit effectum Indulgentiæ, quia de forma Rosarii est quod constet ex 150. *Ave Maria*, & si solum sunt 149. non est Rosarium.

280. Verum quidquid sit de hujusmodi regulis Juris spectantibus ad forum contentiosum, quæ etiam ab omnibus non admittuntur sine limitatione, ubi sumus in foro spirituali, & respectu remissionis pœnæ debitæ in foro Dei, ratio ipsa naturalis, quæ dictat, quod minimum pro nihilo sit habendum, prævalere debet

debet Suarez *disp. 52. sect. 5. numer. 4.* Layman. *lib. 5. tract. 7. cap. 6. numer. 3.* Bonac. *disp. 6. quæst. 1. punct. 5. num. 21.* Palaus. *tract. 24. punct. 9. num. 2.* Lavor. Faustus, Lau. Favent. Rodriquez, Vega, Leon. Præpos. & Mercen. quos refert Pasqual. *quæst. 41. num. 2.* Trullench. *in Bullam Cruciata §. 1. dub. 5. num. 2.* Filliuc. *tract. 8. cap. 6. num. 153.* Sanctarell. *cap. 7. dub. 1.* Boss. *sect. 4. casu 8. num. 6.* Bonac. *disp. 6. quæst. 1. punct. 5. num. 21.* Pinell. *cap. 15.*

281. Et ulterius considerandum, quod aliud est esse de integritate substantiæ, & aliud est esse de forma, & essentia rei, sic ergo de integritate materiali Rosarii est quod constet ex 150. *Ave Maria*, sed si una deficit, pro nihilo habetur, & ac si non deficeret. Forma verò Rosarii non deficit, quia hæc consistit in meditatione mysteriorum Christi Domini & ejus Matris, & quod illi 15. *Pater noster*, & 150. *Ave Maria* recitentur in eorumdem mysteriorum honorem, & Dei cultum moraliter enim ab unoquoque censebitur eum recitasse Rosarium, si ex 150. *Ave Maria* unam solam emiserit.

282. Benè verum est, quod citati DD. admonent scilicet quod hoc minimum debet accipi non spectata re secundum se, sed comparativè ad totum. Nam omissio unius *Ave Maria*, quæ est quid minimum respectu integri Rosarii, non est quid minimum respectu numeri quinque *Ave Maria*, si hic numerus fuisset pro aliqua Indulgentia injunctus. Sic ergo hoc minimum debet esse quid comparativè ad suum totum sic parvum, ut moraliter pro nihilo possit computari. Sic igitur si v. g. opus injunctum sit jejunium, si aliquis parum aliquid, & minimum commedat ex quo non tollatur substantia jejunii, adhuc lucrabitur Indulgentiam.

QUÆSTIO XXXVI.

Vtrum si quis partem operis injuncti ita exequatur, ut non sufficiat pro Indulgentia, teneatur repetere totum.

SUMMARIUM.

283 *Si opus injunctum sit indivisibile, qui partem implevit, tenetur repetere totum; secus si sit divisibile.*

283. SI opus injunctum sit indivisibile, nec habeat partes separabiles, proculdubio qui partem exequutus fuit tenetur totum repetere, ut si quis jejunavit usque ad meridiem, & ampliùs, & posteà comedendo carnes fregit jejunium; secùs si totum sit divisibile in partes separabiles, quia tunc intrat regula, quod utile per inutile non vitiatur *cap. utile de reg. Iur. in 6.* Et sic si opus injunctum sit jejunium trium dierum, qui omisit jejunium tertii diei, sufficit, quod una die jejunet, nisi jejunium esset alligatum diei fixo, quod jam præteriit. Nam si non adsit tempus repetendi vel totum opus, vel partem, ubi pars sufficit, non est remedium consequendi Indulgentiam, & sibi imputet, qui non fecit, quod debuit. Si tamen (ut in Jubilæis aliquando contingit) Pontifex dedit facultatem commutandi opera injuncta, tunc poterit opus illud jam non exequibile in aliud commutari, in terminis literarum Apostolicarum.

QVÆSTIO XXXVII.

An opus injunctum pro Indulgentia acquirenda debeat esse ex obiecto honestum.

SUMMARIUM.

284 *Opus vel bonum, vel malum, vel indifferens.*
285 *Opus malum non est aptum injungi ad Indulgentias.*
286 *Opus ex obiecto bonum potest imponi pro Indulgentiis.*
287 *Opus indifferens, ut indifferens non potest imponi pro Indulgentiis.*
288 *Hoc explicatur.*

284. OPus omne vel est ex obiecto malum vel est bonum, vel est indifferens; dari enim actum ex specie indifferentem probat D. Thom. *part. 2. quæst. 18. artic. 8.* Est autem certum, quod opus externum, quod intrinsecè ex obiecto est malum, non potest esse opus, sub cujus conditione detur Indulgentia, quia opus injunctum, cujus intuitu Indulgentia conceditur, debet esse opus pertinens ad pietatem, & quod ordinetur in Ecclesiæ spiritualem utilitatem, & Dei honorem. At verò opus ex obiecto intrinsecè malum est peccatum, & offensa Dei; nec est pertinens ad pietatem, nec conducens ad Ecclesiæ spiritualem utilitatem, & Dei honorem, nec est dignum aliqua remuneratione, sed pœna. Inde est, quod esset actio ab intrinseco irreligiosa, & impia concedendo Indulgentiam pro opere malo, ex hoc inducere homines ad malum sub spe obtinendæ Indulgentiæ.

285. Certum quoque est opus ex obiecto bonum, quod est actus virtutis conformæ rationi rectæ, per se dignum esse, ut ratione ejus concedatur Indulgentia, aliis ad hanc concessionem requisitis concurrentibus; quia tale opus est pietatis, & conducit ad Dei honorem, & Ecclesiæ publicam utilitatem.

286. Dubium igitur esse potest, an opus indifferens ex obiecto sit tale, ut rationabiliter pro eo possit dari Indulgentia. Ita enim videtur dicendum, quoniam v. g. jejunium est opus ex specie indifferens; quia abstinere à cibo de se non est bonum, nec malum, sed potest esse utrumque, At verò pro jejunio Indulgentia conceditur.

287. Sed nihilominùs dicitur, quod opus indifferens, ut indifferens non potest esse opus, cujus intuitu detur Indulgentia. Nam opus indifferens esse potest utile, & ad bonum, & ad malum finem, sicut abstinentia à cibo potest esse utilis ad finem honestum consequendum, ut ad domandum carnis militantis contra spiritum, ardorem, & petulantiam, & ad satisfaciendum pro culpis commissis, & etiam ad malum finem, ut ad vanagloriam, hypocrisim, vel ad obtinendum aliquod illicitum. Inquantum verò opus indifferens est utile ad finem honestum, est jam quid spiri-

spirituale, pertinens ad pietatem, & honestatem, & est voluntatis obiectum honestum, & bonum: Non potest verò opus iniungi, ut ejus intuitu obtineatur Indulgentia, nisi inquantum est ordinabile in pium finem, nimirum in Ecclesiæ communem utilitatem, & Dei honorem, ut docet D. Thom. 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæst.* 5. & *art.* 1. *quæst.* 1. Igitur nullum opus indifferens ut indifferens potest iniungi, ut ratione ejus detur Indulgentia, sed omne tale opus licet materialiter possit esse indifferens, non pertinet ad indulgentias, nec injungitur, nisi ut formaliter est honestum, & actus alicuius virtutis, ut v. gr. actus misericordiæ sicut est eleemosyna data pauperi, vel actus religionis, ut est eleemosyna data pro fabrica Ecclesiæ, vel actus temperantiæ, ut est jejunium ad domandam carnem, vel est actus pœnitentiæ, vel est jejunium assumptum ad satisfactionem culparum.

288. Sed ad majorem evidentiam considerandum est, quod opus injunctum potest attendi, vel respectu concedentis Indulgentiam, vel respectu illud exequentis pro Indulgentia acquirenda. Si consideretur primo modo pertinet ad causam, ob quam conceditur Indulgentia. Et quia, ut per se est manifestum, & infrà ex professo explicatur, non potest concedi Indulgentia, nisi ex motivo divini honoris, & utilitatis honestæ, piæ, & religiosæ ipsius Ecclesiæ; hinc manifestum est, quod actus indifferens, non ut indifferens, sed ut religiosum, & pium debet imponi. Si verò consideretur respectu exequentis opus injunctum, major est difficultas, quia potest esse, quod opus sit utile ad finem spiritualem, etiam si aliàs ex intentione exequentis non fiat ex honestate, & pietate. Ideò quantum ad hanc partem, quæstio ex dicendis solvenda est.

QUÆSTIO XXXVIII.

Ex qua intentione fieri debeat opus injunctum pro consequenda Indulgentia.

SUMMARIUM.

289 *Finis agentis duplex.*
290 *Ad hoc ut aliquis impleat opus injunctum necesse est, ut intendant actum virtutis, & quod finem honestum intendat.*
291 *Finis extrinsecus duplex.*
292 *Requiri intentionem lucrandi Indulgentiam multi dicunt.*
293 *Alii oppositum sentiunt.*
294 *Necessaria est actualis, vel virtualis intentio lucrandi Indulgentiam.*
295 *Præsumptio generalis fundatur in præsumptione alicujus voluntatis.*
296 *Forus Indulgentiæ non fundatur in præsumptione, sed in veritate, ideò non sufficit intentio præsumpta.*
297 *Intentio beatitudinis generalissima non sufficit ad constituendum actum virtutis.*
298 *Non sufficit ad Indulgentiam substantiam operis.*
299 *Remissio facta salva æquitate justitiæ non fit sine voluntate satisfacientis.*
300 *Non est necesse quod intentio lucrandi Indulgentiam sit magis principalis.*
Aliqua tamen intentio est necessaria.
301 *Consequitur Indulgentiam qui ex intentione illam obtinendi facit opus, quod non fecisset nisi aliquis finis adesset.*
302 *Necessaria est intentio finis, quem vult concedens Indulgentiam.*

289. PRæcipitur habendum opus injunctum sine dubio taliter ut sit opus humanum, & sic ut sit opus agentis ex intentione finis. Est autem duplex finis operis humani, alius scilicet intrinsecus, & alius extrinsecus. Intrinsecus coincidit cum obiecto ejusdem operis, ex quo habet speciem suam, & bonitatem substantialem. Extrinsecus verò finis est, ad quem opus ex obiecto specificatum ulteriùs ex voluntate agentis ordinatur.

290 Dicitur ergo primo, quod opus impositum debet esse honestum ex fine intrinseco, & ex obiecto. Pro nunc explicatur hæc assertio breviter, quia inferiùs examinanda est uberius. Sed assertio primò est manifesta in illis casibus, in quibus Pontifex injungit aliquod opus virtutis, ut cum expressè injungit eleemosynam, vel orationem, vel aliquem alium virtutis actum. Dare enim pecuniam pauperi non est eleemosyna, nisi fiat ex misericordia. Non sufficit igitur ad Indulgentiam dare pauperi pecuniam, quod est quid indifferens; sed necesse est dare illam ex misericordia, quia eleemosyna est actus misericordiæ. Item assertio verè non potest negari, quando ad finem intentum à Pontifice non juvat opus nisi in quantum est opus virtutis. Ut si finis Pontificis sit inducere homines ad exercitium virtutum, vel ad placandum Deum; prudens enim vir intendens finem, & in ordine ad finem conveniens, & veluti paciscens cum operario, intendit opus ut utile ad finem. Si ergo ad finem Pontificis non servit opus, nisi ut est opus virtutis, dum concedit Indulgentias sub conditione operis, intendit illud opus, ut est in specie sua opus virtutis. Sed absolutè dicitur, quod ad Indulgentiam acquirendam, prout de facto solet concedi, non sufficit actus ex obiecto, & specie sua indifferens secundum substantiam nudam sumptam, sed omninò requiritur, quod sit formaliter, & ex specie sua honestum, & ad minùs sit actus religionis in Dei cultum, & honorem ordinatus. Quia non est verisimile, quod Pontifex sub conditione operis liberi, & humani, velit concedere remissionem pœnæ in foro Dei illis, qui non operantur religiosè formaliter; sub ea enim ratione, qui vult lucrari Indulgentiam tenetur velle actum injunctum, sub qua injungitur, & est utile ad finem concedentis Indulgentiam, & est dignum, ut ejus intuitu Indulgentia concedatur; hoc autem non habet opus, ut est malum, vel formaliter ut indifferens, sed ut est alicujus virtutis actus, illius nimirum, quam intendit, & imponit concedens Indulgentiam.

291. Finis autem extrinsecus hic duplex est, scilicet ex parte operantis, qui est lucrari Indulgentiam, & ex parte concedentis, qui est vel impetrare à Deo v. g concordiam Principum, & exaltationem Sanctæ Matris Ecclesiæ, vel obtinere victoriam contra hostes fidei, vel Ecclesiam esse constructam, vel pauperum sustentamentum, vel aliquid simile.

292. Quantum autem ad primum finem non est dubium sufficere intentionem formalem, aut virtualem acquirendi Jubilæum, aut Indulgentiam. Aliquam tamen harum esse necessariam plures docent. Tum quia ad merendum hujusmodi intentio est necessaria. Tum quia concessio requirit acceptationem, neque enim Pontifex censetur concedere indulgentiam non acceptantibus illam. Corduba *lib. 5. de Indulg. quæst. 25.* Rodriq. *part. 1. summa cap.* 184. *num.* 7. Suarez *disp. 52. sect. 6. num. 5. & in* Exposit. *Bulla §. 8. num. 9.* Trullench in Bullam *lib. 1. §. 6. dub. 2. numer. 1.* Alphonsus de Leon. *part. 2. num.* 135. Vega *tom. 2. cap. 7. casu* 2. Bossius *de Iubil. sect. 4. casu* 10. *num.* 4. Mendo in Bullam *disp. 6. cap. 4. nu. 57.* Quintanad. *de Iubil. cap.* 8. *num.* 14. Undè isti DD. volunt, quod qui ignoranter exequitur opus injunctum, non acquirat Jubilæum, vel Indulgentiam.

293. Sed alii, nimirum Layman *lib. 5. tract. 7 cap. 6. num. 5.* Salas *de legibus disp. 17. sect. 5.* Diana *part. 5. tract. 12. resol. 6.* Portel. *verb. Indulgentia in add. num.* 7. Card. de Lugo *disp. 27. numer.* 81. Pasqual. *de Iubil. quæst. 34.* Leander. *quæst. 37.* & apud eum Villalobos existimant, non requiri aliam intentionem, quam illam interpretativam generalem, per quam unusquisque præsumitur facere actum eo modo, & titulo, quo sibi utilior est, ut respondet Papinianus *l. cum ex pluribus in fine ff. de soli* & eo modo quo efficacior est, ut Iurisperiti dicunt Bald. *in cap. quia verisimile, de præsumpt.* Calcagn. *cons.* 1. Cravera *cons.* 118. Nam unusquisque ex intentione generali virtuali quærit beatitudinem, ut habet S. August. concion. 2. *in Psal.* 32. Et ideò quærit semper, & intendit quod sibi melius est. Tum amplius quia ad consequendam Indulgentiam sufficit exequi opus injunctum, igitur sufficit, quod exhibeatur substantia actus, sicut contingit quando præceptum exigit aliquid fieri; Nam & injunctio operis in Indulgentiis est per modum præcepti. Item Pontifex injungit opus, sed non requirit quod operans habeat hanc, vel illam intentionem. Amplius Jubilæum potest sortiri suum effectum independenter à voluntate recipientis, quia pœna hoc modo relaxari potest; concessio autem intelligi debet ut facta secundum naturam rei concessæ.

294. Non est dubium, quod pœna potest remitti sine actu, & cognitione obligati ad pœnam. Et Indulgentia ipsa etiam aliquando ita potest acquiri, ut si alicui concessum sit indultum, ut sibi à confessario tribuatur Indulgentia tempore mortis, potest confessarius ei, qui jam est omninò extrà sensus, illam communicare. Sed hoc non debet dici de Indulgentia, quæ conceditur sub onere operis injuncti ad finem consequendi Indulgentiam. Nam in Indulgentia hoc modo concessa fit applicatio thesauri Ecclesiæ, cujus concessionario donatur pars, quem solvat pro suo debito, ideò necesse est, quod in eo, qui vult lucrari Indulgentiam, sit saltem virtualis intentio offerendi quod sibi de thesauro Ecclesiæ donatur, pro suo debito. Nec dici potest, quod ad hoc sufficiat intentio Ecclesiæ, quia cum Ecclesia in hoc exigat opus concessionarii, exigit illud per modum cujusdam conventionis, ut exhibendum pro eo fine, & ex illa intentione, & ut homo ipse activè se habeat satisfaciendo Deo. Requiritur enim actio, ergo requiritur non purè qui patiatur, sed qui agat, & quidem non tanquam bestia, sed tanquam homo se movens in finem, & ex consequenti ut agens ex finis intentione.

295. Ad primum autem in oppositum dicitur, quod probat contra arguentem, quia præsumptio illa generalis est præsumptio alicujus voluntatis, per quam operans velit operari omni meliori modo, quo potest; igitur necessaria est aliqua voluntas, vel formalis, vel virtualis, per quam operans velit modum meliorem sui operis. Sed modo additur, quod in foro Indulgentiarum non statur præsumptioni, sed veritati, & quia injungitur opus ut humanum, & ut ordinatum in acquisitionem Indulgentiæ, non sufficit voluntas finis præsumpta; sed est necessaria vera formalis, vel virtualis.

296. Ad secundum dicitur, quod intentio beatitudinis generalissima est, & applicabilis ad opposita bona, undè ex illa non potest argui determinata voluntas lucri Indulgentiæ. Nam & ut plurimum ex ea generalissima intentione homines quærunt, quod verè sibi peius est, licet appareat melius.

297. Ad tertium dicitur, quod sufficit exequi opus injunctum prout est injunctum per modum cujusdam conventionis, & ut habendum ex causa lucrandi Indulgentiam, ideò non sufficit præbere solum substantiam actus, sed necesse est præbere illum in ordine ad finem, ad quem imponitur. Nec est verum, quod opus injungatur per modum præcepti, sed injungitur per modum conventionis; Nam promittitur operanti remissio pœnæ sub conditione operis; ideò non est eadem ratio de opere hoc injuncto, & de præcepto.

298. Et per hæc patet ad quartum. Et ad quintum dicitur, quod pœna humano modo, nimirùm ut convenit homini libero, non potest relaxari nisi eo liberè acceptante relaxationem. Et additur, quod relaxatio, quæ fit salva æquitate justitiæ, sicuti fit per Indulgentias, nequit convenienter, & extrà casum specialis rationis fieri, nisi debitore liberè solvente, & satisfaciente. Et sic qui vult lucrari Indulgentiam debet intendere ex concessis sibi de Ecclesiæ thesauro solvere Deo, quod debet.

299. An verò hæc intentio lucrandi Indulgentiam debeat esse principalis, vel principalior; quamvis aliqui hoc affirment, dicitur tamen quod ubi non habeatur intentio, quæ sit contraria, & incompossibilis cum intentione lucrandi Indulgentiam, parùm interest, quod eadem intentio sit minùs, vel magis principalis, quia sufficit exequi opera injuncta eo fine, quo injuncta sunt, ut docent Suarez *d. disp. 32. sect. 6. num. 5.* Bossius *de Iubil. §. 4. casu* 10. *num.* 8. Pasqual. *quæst. 42.* Diana *d. tract. 12. res. 6. & 7.* Leander *quæst. 38.*

301. Malè tamen ex hoc Pasqual. colligit, quod exequens opus injunctum consequitur Indulgentiam, etiam si nec formalem, nec virtualem intentionem illam consequendi habeat, quia ut probatum est aliqua talis intentio est necessaria.

300. Benè tamen colligitur, quod etiam si quis habeat talem intentionem, quod non præstaret opus injunctum, nisi ex alio fine moveretur, adhuc Jubilæum consequitur, si vere opus injunctum exequitur ex intentione lucrandi Jubilæum, aut Indulgentiam.

302. Pariter verò necesse est, quod lucraturus Indulgentiam intendat finem sibi injunctum ex parte concedentis, ut v. g. si imposita fuit oratio pro extirpatione

tione hæresum, &c. ad hunc finem oret, sed simul verum est, quod in intentione obtinendi Indulgentiam continetur virtualiter hæc alia intentio, & hoc sufficit etiam si orans nihil cogitaret de hæresum extirpatione, &c. Intentio tamen lucrandi Indulgentiam debet esse honesta, quia si quis ultimum finem poneret in remissione pœnæ, peccaret, & eam non obtineret.

QUÆSTIO XXXIX.

An opus bonum injunctum debeat esse bonum etiam ex circumstantia.

SUMMARIUM.

303 *Acquiri posse Indulgentiam per opus quod ex circumstantia sit peccatum mortale aliqui dicunt.*
304 *Huius opinionis fundamenta. nu.305.*
306 *Hec non probant, nisi quod Indulgentia possit ita concedi.*
307 *Oppositum asseritur de facto.*
308 *Pontifices opus devotum requirunt.*
Opus quod ponit impedimentum Indulgentiæ non valet ad ejus executionem num.308.
309 *In peccatore possunt esse opera bona.*
Ex lege, & pacto Dei non datur merces operi malo. num. 309.
310 *De peccato veniali opiniones diversa.*
315 *Actus ex circumstantia mala fit simpliciter malus.*
316 *Actus malus intrinsecè, aut concomitanter.*
Si malitia venialis se habet concomitanter non impedit fructum Indulgentiæ. nu.316.
317 *Rationabile est asserere, quod concedens Indulgentiam non obliget ad exclusionem omnis peccati venialis.*
318 *Opus quod sit veniale peccatum directè, & ex malitia volitum non sufficit.*
319 *Secus si sit levis culpa non ex malitia volita.*
320 *Non sufficit opus ex parte bonum.*
321 *Sufficit si sit bonum in quantitate injuncta.*

303. Supposito igitur opere secundum speciem non malo, potest contingere, quod hoc opus sit malum ex circumstantia dupliciter, vel scilicet ita ut sit peccatum mortale, vel solum ut sit peccatum veniale. Est ergo primò difficultas, an opus quod ex circumstantia sit peccatum mortale possit sufficere ad acquirendam Indulgentiam. Affirmat enim Auctor Summæ Dianæ *verb. Indulgentia numer. 5.* citans Bellarm. *lib.1. de Indulg. cap. 13. quæst. 2.* Sed Pasqual. excusat Bellarm. quia non loquitur in sensu hujus quæstionis, sed de actu solum venialiter malo. Et excusat Dianam, qui licet dicat non requiri in operibus injunctis aliquid ampliùs, quam requirat Ecclesia in observantia præceptorum, quæ tamen impleri possunt per opera mala ex circumstantia; tamen Diana debet intelligi de vitio veniali. Sed legenti patet, quod Diana absolutè loquitur, & quod assimilat absolutè observantiam operis injuncti observantiæ præcepti, quæ habetur sufficienter per opus, quod alias sit peccatum mortale. Eandem sententiam tenet Leand. *tract. 5. disp. 14. quæst. 43.* quia rejicit ut minùs probabilem opinionem distinguentem inter mortale, & veniale, & vult quod sufficiat, si in fine ultimi operis homo sit constitutus in gratia Citat verò quamplures DD. qui tamen non loquuntur expressè de opere, quod sit peccatum mortale.

304. Sed nihilominus probari videtur hæc sententia ex eo, quia homo satisfacit præcepto per opus, quod ex circumstantia sit peccatum mortale; igitur eadem ratione satisfaciet Ecclesiæ iniungenti illud opus, licet illud ex malitia operantis fiat malum. Et confirmari potest ex eo quod non deest in Pontifice potestas imponendi pro acquirenda Indulgentia opus bonum, vel indifferens obligando solùm ad illud opus secundum substantiam, non exigendo omnes circumstantias necessarias ad hoc, ut opus sit bonum simpliciter, & in individuo. Quod probatur tum exemplo præcepti, & legis obligantis ad substantiam actus, non verò ad modum, & circumstantias. Tum quia obligatio ad solam substantiam actus boni est de se bona, & sufficiens ut moveat dispensatorem thesauri etiam prudenter operantem; quia licet positivè non exigat omnes bonas circumstantias, illas tamen non excludit, sed quantum est de se ad illas invitat, & potest illas non exigere, ne minùs difficilem, & lubricam reddat Indulgentiam. Secundò quia intentio concedentis non sistit in opere injuncto, sed ad finem altiorem frequentiùs tendit, ut ad pacem Reipublicæ, & ad spiritualem fructum Ecclesiæ, ad quos fines utile esse potest opus bonum ex obiecto, etiam si non omninò benè fiat, vel quia in paucis malè fiet, & in quampluribus erit opus simpliciter bonum; vel quia non obstante defectu operantis opus bonum ex obiecto Deo placet, & solet ab eo aliquod præmium impetrare, ut de virtutibus Romanorum dixit S. Aug. *lib.5. de Civit. cap. 12. & 15.* Vel denique quia ex tali opere aliquid permanet, quod per se confert ad Ecclesiæ bonum, ut v.g. quia ædificatum est templum, parta est victoria, aut congregata est pecunia ad stipendia militum, & similia, quæ licet videantur temporalia, tamen ordinata ad divinum cultum sunt spiritualia, ideò nulla est inordinatio, quod ex eorum intentione concedatur Indulgentia, ut notavit S.Thomas *4. dist. 20. quæst. 1. art. 3.*

305. Supposito igitur in potestate concedentis Indulgentias esse injungere opera bona ex genere obligando solùm ad substantiam actus illorum, quando concedens aliud non exprimit, sed solum opus bonum ex suo genere injungitur, ita interpretari debet illa conditio, quia verba ipsa nihil ampliùs requirunt, & concessio favorabilis latè est interpretanda, & non debemus injungere onus, quod dispensator, non explicavit. Et præterea cum non repugnet tale opus fieri ex intentione lucrandi Indulgentiam, & petendi, & impetrandi, quod concedens Indulgentias intendit, ergo sufficit opus sic factum ad lucrandam Indulgentiam.

306. Sed hujusmodi ratio non probat, nisi quod sit possibile, quod ex causa aliqua speciali Pontifex possit concedere Indulgentiam, obligando ad solam substantiam operis injuncti, quia nimirum opus secundum substantiam suam naturalem secundum quam est de obiecto bono, aut indifferenti ex sui tali substantia potest ferre aliquam utilitatem, quæ conferat ad commune bonum Ecclesiæ. Ratio autem illa, quæ vim facit ex eo quod ad servandum præceptum

ptum sufficit substantia operis, inanis est. Nedum quia opus in Indulgentiæ concessione non præcipitur propriè, sed per modum conventionis injungitur, & quidem ad eum finem, ut ejus intuitu concedatur remissio pœnæ debitæ pro peccato, ad quem finem opus peccaminosum est ineptum. Tum secundo quia etiam falsum est, quod ab observandum præceptum sufficiat sola substantia physica actus. Cum enim præceptum affirmativum alicujus virtutis obligat, necessarius est actus, qui sit formaliter specie talis actus, & sic habeat intrinsecè honestatem virtutis. Cum verò Indulgentiæ concedantur intuitu divini honoris sub conditione operis, ad minùs exigitur opus, ut pium, & Religiosum.

307. Dicitur nihilominus, quod de facto concessio Indulgentiarum sub conditione operis injuncti obligat ad excludendum omnem circumstantiam, per quam fiat, quod opus sit peccatum mortale; Et propterea quod opus injunctum non valet, si sit mortale peccatum ex circumstantia. Ita à fortiori tenent, qui tenent non sufficere opus, quod sit peccatum veniale. Expressè autem conclusionem tenent Pasqual. *de Iubil. quæst. 46.* Faber 4. *dist. 19. quæst. un. disp. 38. cap. 7. num. 114.* Boss. *sect. 4. casu 12. num. 12.* & supponunt qui tractant quæstionem expressè de peccato veniali. Probatur autem primò ex Jure communi. Nam Bonifacius Octavus *in Extravag. Antiquorum verb: reverenter de pœnit. & remiss.* requirit, ut visitatio Ecclesiarum reverenter fiat. Et Clem. VI. *in extravag. Unigenitus eod. tit.* devotionem requirit ibi. *Et devotus, &c. Indulgentiæ mereatur accipere largitatem*, & ibi, *causa devotionis visitaverint*, & Sixtus IV. *in extravag. Et si Dominici, &c. eodem tit.* pro operibus piis, imò & meritoriis dicit, Indulgentias fuisse concessas ibi, *seu ad aliqua pia opera*, & ibi. *Vel aliqua alia meritorum ministeria.* Est verò manifestum, quòd opus, quod est peccatum mortale, nec est opus pium, nec devotum, nec meritorium, nec tale, per quod Deo præbeatur reverentia, cum sit Dei offensa, quæ pœnam meretur æternam. Cum igitur Pontifices sæpè expressè requirant visitationem devotam, per hoc satis manifestant intentionem suam esse, ut non sufficiat visitatio ita indevota, ut etiam sit peccatum mortale. Et quod similiter non sufficiant alia opera, si circumstantia mortifera sint vestita.

208. Probatur secundo ratione, quia Pontifex concedens Indulgentias intendit, & utilitatem communem Ecclesiæ, & præcipuè intendit avertere homines spe remissionis pœnæ ad recedendum à peccato, & convertendo se in Deum, ut hoc modo Ecclesiæ præces sint validiores in conspectu Dei, & etiam ut Deus ipse magis glorificetur per hominum pœnitentiam, & Ecclesia ipsa in suis membris purior sit, & Deo magis grata, ad hujusmodi verò fines nedum non conducit, sed omninò repugnat opus, quod sit mortale peccatum cum per hoc Deus offendatur, & homo fiat Dei inimicus, & remissionis pœnæ temporalis, seu fructus Indulgentiæ incapax; non est igitur verisimile, quod Pontifex injungendo opus pro assecutione Indulgentiæ, acceptet illud opus, quod nec est pium, nec honestum, sed simpliciter est malum, & Dei offensa, & quod velit operanti aperiri Regnum Cœlorum intuitu illius operis, per quod homo fit Dei inimicus, & reus æternæ mortis.

309. Nec obstat, quod aliquando Deus præmium concedat operi malo. Tum quia aliud est, quod aliquod opus sit peccatoris, aliud quod sit peccatum. Non enim omnia opera peccatoris, etiam hæretici, aut infidelis, & Pagani, sunt peccata, sed aliqua illorum sunt bona ex essentia, seu obiecto, & circumstantiis, ut ex professo probat D. Thom. 2. 2. *quæst. 10. art. 4.* & talia fuerunt multa Romanorum opera, quæ Deo placuerunt.

310. Loquendo autem de culpa veniali, idem dicendum esse, ut scilicet non sufficiat, si opus injunctum malè fiat, ut sit culpa venialis, sentiunt Navar. *not. 32. num. 45.* Adrian. *in 4. quæst. de Indulg.* Sylvius *in 3. part. D. Thom. quæst. 27. supplem. art. 1. dub. 1. conclus. 2.* Rodriq. *in sum. part. 1. cap. 184. num. 4. & in Bulla Cruciatæ §. 2. numer. 5.* Vega, Fabrin. Gratian. Leon, Metal. & Quartus apud Pasqualig. *quæst. 47.* Et potest probari, quia idem actus non potest esse simul bonus, & malus moraliter, ut docet D. Thom. 2. *dist. 20. quæst. 1. art. 4. & p. 2. quæst. 20. art. 6.* Actus igitur, qui ex circumstantia est malus, est simpliciter malus, intentio verò Pontificum non est, ut homines per peccata lucrentur Indulgentiam.

311. Alii distinguunt, & dicunt quod quando finis Pontificis est placare Deum contrà nos ob nostra peccata iratum, & ad hunc finem imponit opera pro consequenda Indulgentia, non satisfacit injunctis operibus per actus, qui sint peccata, licet venialia. Secus si Pontificis finis sit aliquod bonum temporale, ut habere unde edificetur aliqua Ecclesia, vel sustententur pauperes Hospitalis alicuius, tunc enim valet injunctum opus, etiam si malè venialiter factum. Bellarm. *l. 2. de Indulg. cap. 13. quæst. 2.* Layman. *lib. 5. tract. 7. cap. 6. numer. 4.* Nugnus *3. part. quæst. 27. supplem. art. 3. dub. 5.* Isambert. *tom. 3. disp. 6. art. 3. quæst. 1.*

312. Communior verò sententia vult, quod Pontifex injungendo opera pro consecutione Indulgentiæ, obliget ad solam substantiam actus, & ita quod sufficiat opus injunctum, etiam si sit venialiter malum ex circumstantia, ut v. gr. quia fit ex vana gloria. Ita enim sentiunt Suarez *disp. 52. sect. 6. numer. 3.* Corduba *lib. 5. quæst. 12. & 25. prop. 2. & 3* Card. de Lugo *disp. 27. numer. 84.* Palaus *tract. 24. punct. 9. num. 5.* Filliuc. *tract. 8. cap. 6. numer. 158. & 159.* Bonac. *disput. 6. quæst. 1. punct. 5. num. 15.* Bossius *sect. 4. casu 12. numer. 10.* Diana *part. 5. tract. 12.* Leander *tract. 5. disput. 14. quæst. 43.* Et apud istos Ludovicus à Cruce, Filliuc. Granad. Præpos. Reginald. Coninch. Lavor. Mercer. Bossius, Mendo, Quintanad. & Villalobos. Nam cum Papa hoc possit facere, & præsumi debet, quod hoc faciat, dum sine limitatione injungit opera, sicut etiam condendo leges obligat solum ad substantiam operum, Pasqualig. tamen quæst. 47. hoc limitat, & ait non sufficere actum, qui sit malus ex fine, quia opus quod est malum ex fine, est malum absolutè.

313. Mihi in hac parte primò difficultatem facit, quod circumstantia mala inficiens actum, & quæ ad illum non se habet morè concomitanter, aut consequenter, destruit totam obiecti bonitatem moralem, ita quod actus tendens in obiectum, ut stat sub illa circumstantia, est ex sua specie simpliciter malus, & ita quod nihil bonitatis moralis formaliter remaneat in illo actu, sed totus specificativè sit malus, nec possit dici, quod secundum substantiam sit moraliter bonus. De circumstantia finis mali, hoc expressè docuit D. Thom. 2. 2. *quæst. 19. art. 7.* sic dicens. *Voluntas*

luntas non potest dici bona, si sit intentio mala causa volendi, qui enim vult dare eleemosynam propter inanem gloriam consequendam, vult id quod de se est bonum sub ratione mali, & ideò prout est volitum ab ipso est malum, undè voluntas ejus est mala. Etenim nihil est bonum secundum quod est utile, & accipitur ut utile ad malum, sed ut sic est malum, sicuti malum est, ad quod ordinatur; qui verò vult bonum ex intentione mala, vult bonum materialiter, sed formaliter vult illud secundum quod est utile ad malum; igitur vult illud ut malum, & sic mala est voluntas, & ex ea in genere moris, malus est actus externus non volitus nisi sub ratione mali, & sub tali intentione imperatus. Undè est quod eleemosyna data pauperi ob inanem gloriam, nec est eleemosyna, nec est actus misericordiæ, nec est actus moraliter bonus, circumstantia illa mali finis destruente rationem bonitatis tam in obiecto, quam in actu, ut cum D. Thom. docent Medina *p.2.quæst.18. artic.10. §. Sed respondendum, & art.11. quæst.6.* Gregor. Martinez ibid. *art. 4. dub. 4. §. notandum tamen* Curiel. ibid. *art.6. dub.1. §.3.* Montesinus *disp.23. quæst.5. §. His non obstantibus* Io: à S. Thom. *p. 2. quæst.7. in explic. tex. pag. 322. & quæst. 18. disput. 9. art. 5. & disp. 10. art.1.* Ildephonsus *ibid. quæst.18. art. 4 disput. 182.* & apud eum Cornezo, Valentia, Vasquez, & Molina, Bannes *2. 2. quæst. 7. artic. 1. dub. 1. conclus. 1.* Scotus *2. dist. 40. quæst. 1.* Navar. *in manual. prælud. 7. num. 22.* Bellarm. *lib. 4. de justificat. cap. 17.*

314. Idem verò dicitur de aliis circumstantiis, ut si quis audiat sacrum, tunc ex aliquo præcepto tenetur aliud incompossibile agere, ut puta servire infirmo, seu cum maritus reddit debitum in loco sacro. Nam hæc est regula generalis, quod circumstantia mala adveniens obiecto alias de se tunc bonitate circumstantia illius destruit, si D. Thom. *p. 2. quæst.18. art.5. ad 4. quod circumstantia quandoque sumitur ut differentia essentialis obiecti, secundum quod ad rationem comparatur, & tunc potest dare speciem actui morali; & hoc oportet esse, quandocumque circumstantia transmutat actum de bonitate in malitiam.* Obiectum enim vestitum circumstantia mala simpliciter malum est, & sic voluntas tendens in obiectum vestitum mala circumstantia est simpliciter mala, & nullo modo formaliter actu bona, sed solùm materialiter, sed non repugnanter, quia potuisset esse bona, si obiectum rejecta mala circumstantia amasset. Sic igitur quotiescumque circumstantia mala additur obiecto bono transit in obiectum, & se habet ut differentia dans actui speciem malam, & destruens bonitatem obiecti, & faciens quod actus ex sua specie, & substantia sit malus, ut citati DD tradunt.

315. Quamvis igitur circumstantia ferat secum solùm malitiam levem, & constituentem malum veniale, ex eo tamen quod est circumstantia addita obiecto bono destruit illius bonitatem, & transit in obiectum, ut sit veluti differentia dans speciem actui, & per hoc faciens ut actus ille totus, & ex sui specie ex substantia sit malus, & ineptus ad meritum, & ut non sit laude dignus. Et ex consequenti non videtur, quod possit sufficere pro consequenda Indulgentia, cum sit opus malum ex specie, & substantia sua. Quamobrem prima sententia longe tutior est, & securior.

316. In hac igitur controversia hoc est certum, quod si circumstantia mala se habet ad opus impositum concommitanter solùm, aut consequenter; nec destruit bonitatem operis, nec facit quod opus sit peccatum, nec impedit, quin opus iniunctum sufficiat ad lucrum Indulgentiæ. In hoc enim DD. omnes conveniunt, & explicat Navar. *d. num. 45. & 46.* Undè si quis dum erat in Ecclesia aliquem actum impatientiæ habeat, vel aliquod inanis gloriæ desiderium, vel sit aliqualiter negligens in expellenda aliqua mala cogitatione, vel aliud agat, in quo venialiter peccat, non impeditur Indulgentiæ effectus. Imò hoc verificatur etiam de actu, qui sit peccatum mortale, sed concommitanter se habeat ad opus injunctum, & illud non inficiat. Nam tunc sufficiet si homo pœniteat de malo, & in tempore, in quo indulgentia consequi debet effectum suum ille sit in gratia, vel ubi necessaria sit confessio, illud peccatum confessus fuerit.

317. Dicendum etiam mihi videtur, quod stante doctrina prædicta adhuc discrimen est inter mortale, & veniale, quod mortale ponit incapacitatem ad recipiendum fructum Indulgentiæ, & facit hominem indignum Dei amicitia, & favore, & dignum æterna pœna. Ideò potest dari discrimen, & dici non esse mentem Pontificum absolutè ut sufficiat substantia physica operis moralis, sed omninò excludendam omnem circumstantiam, quæ inficiat opus, & faciat illud esse mortale peccatum. Et nihilominùs sufficere substantiam operis physici; licet ex circumstantia opus reddatur veniale peccatum. Quia cum difficillimum sit vitare peccata venialia, imò moraliter impossibile vitare omnia, ideò dicendum sit obligationem operum iujunctorum respicere substantiam physicam operum, & exclusionem circumstantiarum, quæ reddant opus peccatum mortale, non tamen illarum, quæ reddant illud peccatum veniale. Quia non est verisimile, quod Pontifex velit obligare, ad id, quod difficillimum est, & imò impossibile.

318. Ideò distinguendum est ulteriùs, quia peccatorum venialium alia sunt, quæ sunt talia ex parvitate materiæ, alia verò quæ talia sunt ex imperfectione voluntarii. Et quia peccata venialia, quæ talia sunt ex imperfectione materiæ, si sint voluntaria directè, & ex malitia voluntatis de facili vitari possunt, existimo primam sententiam veriorem esse, si loquamur de hujusmodi peccatis venialibus, & ideò non sufficere opus, qui causaliter fit ex fine malo, licet venialiter malo, vel etiam ex circumstantia alia mala directè, & ex perfecto voluntario volita; quia ista peccata solùm ex malitia committuntur, & de facili vitari possunt, nec ex infirmitate, sed ex mala voluntate procedunt.

319. Sed loquendo de malitia veniali, quæ ex infirmitate procedit, & non est nisi ex voluntario proveniente ex infirmitate, & imbecillitate naturæ, & non nisi cum maxima difficultate vitatur, imò licet hoc vel illud peccatum veniale in singulari vitari possit, omnia tamen vitari non possunt, ratio dictat, ut intelligamus, & censeamus Pontifices obligando nos ad opera injuncta, obligare ad substantiam operis injuncti, non verò ad circumstantias, & modos hujusmodi operum per exclusionem etiam omnis imperfectionis in agendo; quæ proveniat ex ignorantia, vel inconsideratione, aut non attentione leviter culpabili, vel ex circumstantia leviter mala quomodocumque ex imperfecta voluntate, & libertate, aut imperfectione, non verò ex malitia volita. Sic igitur breviter

ter unico verbo dicitur excludi omnem malam circumstantiam ex malitia volitam, non autem illam, quæ ex infirmitate, aut inconsideratione levi, aut levi negligentia proveniat.

320. Prima autem sententia limitationem addidit, & voluit, quod si opus sit solum ex parte bonum, & ex parte vitiatum valeat pro parte ad consecutionem partis Indulgentiæ, sibi proportionata. Contra quod est, quod opus indivisibiliter totum requiritur ad Indulgentiam, ut sæpius dictum est. Et tamen quia non deficit substantia operis, quod totum redditur, posset id admitti attenta difficultate reddendi totum opus sine imperfectione, quæ difficultas in operibus longæ durationis evidens est, sed melius dicitur solum excludi debere malitiam ex proposito, & perfecto voluntario admissam, quia per hoc satis consultum est impossibilitati, aut difficultati peragendi opera injuncta totaliter, & adæquatè sine defectu. Et satis condonatur humanæ infirmitati, & imbecillitati, si condonantur defectus, qui ex malitia non procedunt.

321. Hoc etiam advertendum, quod sufficit tantum boni operis perficere sine defectu, quantum sufficit ad hoc, ut opus injunctum dicatur perfectum; sic si quis habeat malè, & cum peccato iter ad Ecclesiam, sufficit si Ecclesiæ visitatio benè habeatur. Et si quis oravit per vigesimam partem horæ, & sufficit orasse per quadragesimam partem, sufficit si quadragesima pars benè habita fuerit, quia illa quadragesima pars sufficit. Nec interest, an media pars orationis malè habita fuerit, sed sufficit, quod prima, tertia, decima, vigesima, & quacumque alia parte considerata tanta consurgat oratio, quanta est necessaria, ubi partes discretæ in unum colligi possunt.

QUÆSTIO XL.

An ad implenda opera injuncta sit necessarium auxilium gratiæ supernaturalis.

SUMMARIUM.

322 *Opinio quorumdam.*
323 *Ad perficiendum opus injunctum necessaria est gratia supernaturalis.*
324 *Opus injunctum est supernaturale.*
325 *Opus ex ea parte qua conducit ad finem supernaturalem est supernaturale.*

322. ALiqui existimant per se, & immediatè ad hujusmodi aliquod opus non esse necessarium auxilium gratiæ, licet sit necessarium imperativè, & remotè pro quanto illud opus sit fide dirigente, & imperante. Ratio est, quia non sit necesse, quod ista opera sint supernaturalia formaliter, quia hoc non postulatur, ut conditio necessaria ad Indulgentiam. Tum secundo quia hujusmodi opera possunt esse in individuo mala venialiter, & ideò ad illa non est necessarium auxilium gratiæ. Suarez *dicta disp. 52. sect. 6. num. ult.* & apud Filliuc *casu 8. cap. 6. num. 16.* Boss. *sect. 4. de Ind. casu 12. num. 17.* Mercer. *de Sacram. qu. 27. supplem. quæst. 20.* Quos pro opinione Suarez refert Pasqual. *quæst. 49.*

323. Verum cum opus injunctum pertineat ad pietatem, & tale quale est juvet, & influat ad consequendum finem supernaturalem, quia juvat ad removendum impedimentum Paradisi tollendo pœnam debitam in foro Dei, ut habet Decimus *in Decretali missa ad Card. Caiet.* de qua ipse *3. par. quæst 48. art. 5.* indubitatum est, & certum hujusmodi opera numeranda esse inter illa, de quibus loquitur Concil. Arau. *can. 7. & 9. & 22.* & Prosper. *de vocat. gent. lib. 10. cap. 8.* & quæ sine gratia haberi non possunt. Et ratio est manifesta ex D. Thom. *p. 2. qu. 109. art. 1. & 2.* Nemo potest agere ad consecutionem finis supernaturalis, nisi Deo in illum finem movente, auxilium autem Dei moventis in finem supernaturalem est auxilium gratiæ supernaturalis Pasqual. *d. q. 49.*

324. Ad primum dicitur, quod conducere ad finem supernaturalem est essentialiter supernaturale, & ideo opera secundum substantiam naturalia ad ordinem supernaturalem elevantur, si illis datur efficacia impetrandi, aut obtinendi aliquid supernaturale. Sed respondetur secundo, quod falsum est, quod opera injuncta non sint supernaturalia, injunguntur enim opera ut sunt propria fidelium, nimirùm, ut sunt ex fide, & de obiecto honesto supernaturali, & sunt opera virtutum supernaturalium. Et sic non obstat quod v. g. eleemosina sit opus morale, quod est actus virtutis naturalis, quia in fideli est actus supernaturalis, qui est à virtute charitatis, & misericordiæ, ut est virtus infusa, & est de obiecto, ut non nisi ex fide cognoscibili, & ordinati in finem æternæ vitæ. Ideò de facto opus injunctum debet esse ex cognitione practica, quæ proponat illud opus, ut opus virtutis supernaturalis, & religionis.

325. Ad secundum dicitur, quod in illa sententia, quæ admittit opus injunctum sufficiens posse esse peccatum veniale, dicendum est indubitatum esse debere, quod omnis actus in quantum est bonus est Dei donum, & est à Deo ut movente, & dirigente in bonum. Quia omne bonum desursum est descendens à patre luminum. Est vero etiam donum supernaturale, si sit à Deo ut movente in supernaturalem finem, & ideo semper opera exercita pro valida acquisitione Indulgentiæ ut sic, & bona sunt, & ex gratia habentur.

QVÆSTIO XLI.

Vtrum per opera alias debita, vel ex præcepto, vel ex alio titulo quis possit lucrari Indulgentiam.

SVMMARIVM.

326 *Indulgentia dari potest pro opere alias debito.*
327 *De facto posse satisfieri operi injuncto, licet alias sit debitum, plures tenent.*
328 *Uno actu satisfit pluribus debitis solam formalitatem exigentibus, non vero exigentibus substantiam actus.*
329 *Non satisfit operi injuncto dando quod alias debetur ex justitia.*
330 *Nec qui tenetur ad opus ex voto.*
331 *Nec qui tenetur ex præcepto alicujus virtutis.*

332 Nec

332 *Nec qui tenetur ex præcepto Superioris.*
333 *Vera sunt prædicta in sententia plurium.*
334 *Si tamen Pontifex acceptet opus alias debitum, valet.*
335 *Concessio Indulgentiæ requirit opus ut non debitum.*

326. QUod non possit dari Indulgentia pro opere debito quidam tribuunt Sylvest. *verb. Indulgentia num.* 18. in fine ubi tamen Sylvester solum dicit, quod Indulgentia non potest dari pro remissione iniuriarum, quia secundum S. Bonav. in hac datione debet attendi aliquid quod sit meræ voluntatis, & non necessitatis. Indubitatum autem est spectata sola potentia, quod sicut sine impositione alicuius operis potest dari indulgentia, multo magis dari potest pro opere alias debito, si absolutè loquamur. Nam & justè daretur Indulgentia ad alliciendum ad præstandum opus alias debitum, ut quia cum Vigilia S. Matthiæ incurrit in ultimis diebus Bachanalibus, & à pluribus violatur, posset concedi Indulgentia illa die jejunantibus, vt ex hoc allicerentur ad seruandum præceptum de jejunio.

327. An verò de facto stantibus concessionibus Indulgentiarum prout stant, possit lucrari Indulgentia per opus alias debitum plures affirmant, ex eo quia eodem actu potest quis satisfacere pluribus præceptis. Et quia Pontifex non injungit nisi opus pium, nec requirit quod non sit debitum alio titulo, ita sentiunt Rodriquez *in Bullam Cruciatæ §. 7. num. 3.* Layman *lib. 5. tract. 7. cap. 8. nu. 13.* Fernandez *in exam. cap. 7. §. 10. num. 2.* Sanctarellus *cap. 4. dub. 10. & cap. 7. dub. 1.* Henriquez *lib. 7. cap. 10. num. 5. & 6.* Bossius *sect. 4. casu 9. numer. 3.* & apud istos Corduba, Vega, Benzon. Gratian. Polach. Homob. Leo, Valentia, & Faustus, & Comitol. sed iste loquitur in casu particulari jejunii, quando Jubilæum indicitur pro hebdomada, in qua alias de præcepto est jejunandum.

328. Sed certè rationes istius opinionis leves sunt. Nam quando obligatio in actu per se primo non requirit nisi formalitatem, si idem actus in sua substantiali identitate potest esse plurium specierum, & formalitatum, eodem & unico actu satisfieri potest pluribus obligationibus easdem formalitates requirentibus. Talia verò sunt præcepta virtutum, quæ per se, & primo non requirunt nisi quod actus fiat ex illarum motivo; & sic actus unus, qui formaliter est plurium specierum, & plurium virtutum rationem formalem continet, talis est, ut per illum satisfieri possit tot præceptis virtutum, quantæ sunt virtutum species in quibus continetur. Sed ubi obligatio requirit totam substantiam actus impossibile est, quod uno actu satisfiat pluribus obligationibus; quia dum per actum unum satisfit uni obligationi, nihil remanet de illo actu; per quod alteri possit satisfieri.

329. Hinc sequitur primo, quod per actum debitum alicui ex justitia commutativa, non potest satisfieri operi injuncto pro Indulgentia. Sic v. g. injuncta fuit eleemosyna, non sufficit si aliquis det pauperi eleemosynam, quam illi debet titulo justitiæ, quia datum semel titulo justitiæ fit simpliciter recipientis, & nihil remanet in potestate dantis quod possit alteri dari, & sic eleemosyna ab hærede data ex vi testamenti, statim ac data est pauperi, fit illius, nec remanet hæredi aliquid quod possit dare pauperi alio titulo.

330. Idem dicitur de eo, quod debetur titulo Religionis, quæ est altior quædam justitia, cum sit justitia ad Deum, quæ non deficit a ratione justitiæ, quia non contineat debitum rigorosum, sed quia continet tantum ac tale, cui paupertas creata non potest ad æqualitatem satisfacere; Si quis igitur teneatur jejunare ex voto, non potest eodem jejunio unico lucrari Jubilæum, quia jejunium secundum substantiam sumptum tantum quantum est totum debetur Deo, ex vi voti, & si datur, totum datur, nec remanet voventi aliquid vel minimum jejunii, quod possit dare alteri.

331. Sic etiam si quis tenetur Ecclesiæ ex debito divini cultus, dare decimas, aut aliquod subsidium temporale, sive etiam si quis Sacerdoti debeat pro stipendio missarum, vel pro funere, aut pro alia simili functione, si illud det ut solvat quod debet, non potest per illud opus lucrari Indulgentiam; quia datum pro solutione illa ad quam tenebatur absorbetur totum ab eo cui datur, ut nihil illius remaneat, quod detur alteri. Et ideo hoc idem dicitur de eo quod debetur ex titulo cujuscumque virtutis, etiam charitatis, quamvis quia si detur aliquid alicui titulo alterius obligationis, cessare jam potest necessitas, ex qua oriebatur obligatio charitatis, ideo potest contingere quod valeat ad satisfaciendum alteri obligationi, quod datur non obstante obligatione charitatis, si tamen quis det aliquid, ut obligationi charitatis satisfaciat, non potest simul per illam dationem satisfacere obligationi Indulgentiæ.

332. Idem quoque dicitur de obligatione præcepti, ut per opus præceptum non possit quis satisfacere obligationi Indulgentiæ. Et ratio est, quia obligatio Indulgentiæ ex ejus forma requirit non qualitatem tantum, sed substantiam actus, quia datur per modum oneris, & injungitur per modum conventionis requirentis ipsam actus substantiam, quæ una est, & tota non potest dari pluribus, quia data uni tota fit illius, & sic data Superiori ex vi præcepti, nihil illius remanet danti, quod sibi servire possit ad lucrum Indulgentiæ.

333. Procedunt ista etiam secundum doctrinam illorum, qui volunt, quod obligatus dare aliquid ex voto, vel pœnitentia injuncta, non satisfacit, si det iis, quibus ex aliquo capite tenetur subvenire. Sanchez *lib. 1. sum. cap. 14. num. 6.* Palaus *tract. 3. disp. 1. par. 19. num. 6.* Et etiam illorum, qui docent, quod Sacramentalis satisfactio non possit impleri per opus alias debitum. Sotus *4. dist. 19 qu. 2. art. 1. concl 2.* Medina *in sum. num. 205.* Navar. *cap. 26. num. 23.* Sayr. *in Clavi Reg. cap. 3. num. 2.* Suarez *tom. 4. disp. 38. sect. 6. num. 5.*

334. Limitantur prædicta; nisi Pontifex concedens Indulgentiam simul approbet ut opus alias debitum valeat ad lucrum Indulgentiæ, sicut facit, quando v. g. concedit Jubilæum injungens jejunium determinatè in illis diebus, in quibus jejunium obligat ex præcepto. Et sic ubi præsumi possit in facti contingentia, quod Pontifex acceptet pro Indulgentia opus alias debitum, tunc per illud satisfit obligationi Indulgentiæ. Quod contingere potest etiam dum Pontifex committit Episcopo, ut in hebdomada sibi benè visa publicet Jubilæum, si tunc Episcopus illud publicet pro hebdomada, in qua jejunium est de præcepto; Si tamen Pontifex jubeat, ut Episcopus statim publicet Jubilæum, non sufficeret, si Episcopus sine ratio-

rationabili causa publicationem retardando, illam remitteret pro hebdomada, in qua jejunandum est de præcepto. Causa autem rationabili existente, ne v.g. posset publicari Jubilæum pro ultima hebdomada Bachanalium, præsumeretur voluntatis Papæ esse, ut publicaretur tempore quadragesimæ.

335. Argumenta autem manent soluta, constat enim non esse eamdem rationem de obligatione plurium præceptorum respicientium qualitatem actuum, & de aliis obligationibus requirentibus substantiam actus totam. Ad secundum verò dicitur imò constare, quod concessio Indulgentiæ requirit opus non debitum, cum requirat illud ut onus quasi ex conventione requisitum.

QUÆSTIO XLII.

Utrum eodem opere quis possit lucrari plures Indulgentias.

SUMMARIUM.

336 *Posse eodem opere acquiri plures Indulgentias aliqui volunt.*
337 *Oppositum probatur.*
338 *Etiamsi opus non sit iterabile.*
339 *Unico actu acquiri possunt plurium Ecclesiarum indulgentiæ uni Ecclesiæ sub illo actu communicatæ.*
340 *Secus si plures indulgentiæ unitæ sunt respectu ejusdem personæ.*
341 *Unicum opus potest sufficere ad plenitudinem indulgentiæ ex duplici concessione.*

236. MOti ex ea ratione, quod potest eodem actu satisfieri pluribus præceptis, & possint plura præcepta violari, & eodem actu possit quis incurrere in plures censuras. Quod possint eodem actu acquiri plures Indulgentiæ existimant Corduba *lib. 5. qu. 35.* Henriq. *lib. 7. cap. 17. num. 5.* Graff. *lib. 2. append. cap. 5. num. 55.* Sà *v. Indulgentia num.* 18. Naldus *num. 5.* Faustus *lib. 2. qu.* 140. Duall. *22. de Indulg. art. 13.* quos sequitur Leander *quæst. 270.* Sed vt dictum est quæstione Superiori hujusmodi rationes non concludunt. Nam nec unico acta possunt impleri plura præcepta, quando illorum quodlibet petit substantiam actus, & non solum formalitatem, sic enim unico actu non potest satisfieri pluribus præceptis justitiæ, aut charitatis, aut etiam alterius virtutis specificæ. Potest quidem eodem actu satisfieri pluribus præceptis, quæ sunt à pluribus virtutibus specie distinctis, quia virtutes specificè sumptæ respiciunt in actu formalitatem per se primò, non verò entitatem actus, unde est quod idem actus est multiplicis speciei in ratione bonitatis, & moris, sed respectu ejusdem virtutis, si multiplicantur præcepta, si illorum quodlibet totam substantiam postulat, multiplicari debent actus, sic enim eadem re non potest quis satisfacere pluribus debitis, sic nec eodem actu violantur plura præcepta, nisi ubi plura præcepta non requirunt pluralitatem substantiæ in actibus. Concessio verò Indulgentiæ injungendo opus, petit operis substantiam. Sic quia censuræ non sunt pœnæ actus secundum substantiam, sed sunt pęna contumaciæ, ea multiplicata, multiplicantur censuræ.

337. Dicendum igitur est absolutè cum communiori sententia non posse eodem actu acquiri plures Indulgentias, sed pro unaquaque debet exequi opus distinctum, quod in ejus concessione est indultum. Ita docuerunt Suarez *disp. 52. sect.* 10. *num. 9.* Gabr. 4. *dist. 45. q. 3. art. 2.* Bonac. *disp. 6. q. 1. p. 5. num. 19.* Palaus *tract. 24. p. 9. num.* 12. Card. de Lugo *disp. 27. num.* 90. Coninch. Layman. Villalobos, Granado, Præpositus, Mercer, Philippus à Cruce, quos sequitur Pasqual. *quæst.* 4. Sanctarell. *cap. 15. dub.* 1. Filliuc. *tract.* 8. *cap. 6. num.* 168. Diana *par. 5. tract. 12. resol.* 11. Nam si eodem actu plures Indulgentiæ acquiri possent, omnes dempta prima acquiterentur sine aliquo onere, quod est contra formam concessionis illarum, nec est admittendum. Probatur verò sequela, quia prima Indulgentia totum opus impositum sibi proprium fecit, quia totum quantum fuit debuit poni pro illius primæ Indulgentiæ consecutione, unde nihil oneris remanet quod aliis Indulgentiis respondere possit, quarum tamen quælibet inefficax redditur si onus operis injuncti non accipitur; quia sub illius oneris conditione concessum fuit. Sic non potest quis eodem actu satisfacere duplici satisfactioni Sacramentali, quia quilibet confessor intendit imponere novum onus. Sic & Pontifex per quamlibet novam concessionem intendit imponere novum onus, & duplici oneri non satisfit unico actu.

338 Limitatur tamen assertio, ut non procedat, quando opus impositum non est multiplicabile, ut si distincti Pontifices concesserunt Indulgentiam pro jejunio ejusdem diei determinatæ. Tunc enim quia jejunium non potest multiplicari, illæ Indulgentiæ censentur concessæ pro eodem indivisibili jejunio; Sic si pro eodem die pluribus Ecclesiis concessæ sunt plures Indulgentiæ, si communicatus eas visitaverit, sufficit communio unica; quia illa non potest iterari. Ita Suarez, Coninch. Layman. Pasqualig. & alii. Sed hoc non placet Palao loco citato *nu.* 13. quia opus esse iterabile, vel non iterabile impertinens est ad complendam causæ sufficientiam, si alioquin ex se non complet. Idem enim opus non potest deservire ad complementum causæ sufficientis pro duabus indulgentiis, si de se solum præbet sufficientia pro una. Cardinalis etiam de Lugo *num. 93.* limitationem non approbat, quando opus exigitur directè. Aliter distingui potest. Vel enim pro eodem opere non iterabili in eadem die concessæ sunt plures Indulgentiæ à Pontifice ex certa scientia illas concedente pro eodem die, & intuitu ejusdem operis non iterabilis. Et in hoc casu sine dubio sufficit idem opus pro multiplici illa Indulgentia, quia de mente Pontificis nihil ampliùs requiritur, nec præsumi potest, quod ille scienter sic concedens plures Indulgentias voluerit inaniter agere. Sed si plures Indulgentiæ concessæ sunt pro eodem non iterabili opere, vel ab eodem, vel à diversis Pontificibus, sed non ex certa scientia dicendum est, vnamquamque Indulgentiam totum illud opus requirere, & non posse eodem actu utramque acquiri, nec posse præsumi, quod Pontifex dispenset, cum dispensatio non cadat super impedimento ignorato. Solum de communione loquendo posset considerari, an sit injuncta tanquam conditio, vel solum tanquam qualitas subiecti, & dispositi, quia in hoc secundo casu sufficeret pro pluribus Indulgentiis acquirendis expletis aliis operibus impositis.

339. Li-

339. Limitatur secundo, quando Indulgentiæ plures concessæ Ecclesiis pluribus uniuntur, & alteri Ecclesiæ conceduntur sub conditione certi operis. Sicut factum fuit in concessione Leonis Decimi & Clementis VII. qui Confratribus Rosarii visitantibus quinque altaria concesserunt quascumque Indulgentias Stationum Urbis, ac si circumeundo illas præsentialiter visitarent, ideo illa unica visitatione quinque Altarium acquiruntur plures illæ Indulgentiæ, quæ eodem die sunt in Ecclesiis, in quibus est Statio.

Sic enim si v. gr. visitanti aliquam Ecclesiam concessæ sunt Indulgentiæ omnium Ecclesiarum Urbis, qui illam Ecclesiam visitat in aliqua die lucratur omnes Indulgentias, quæ illa die concessæ sunt omnibus Urbis Ecclesiis. Hæc enim concessio per modum unius facta est, & respectu ejusdem loci Suarez ubi supra Lugo *nu.90.* Pasqual. *nu.6.*

340. Secus dicendum est, quando plures Indulgentiæ concessæ pluribus locis, aut divisæ in pluribus personis uniuntur per novam concessionem in eadem persona, ut quando per Bullam Cruciatæ conceduntur omnes Indulgentiæ Urbis Romæ. Nam tunc intelligendum est concedi facultatem ad lucrandas omnes illas, non tamen omnes simul unico actu, nisi aliud constet ex tenore Brevis Summi Pontificis. Unde etiam si plures ex illis Indulgentiis essent concessæ sub simili onere, necesse esset ut qui illas omnes lucrari vellet repeteret opus, sub cujus conditione illæ concessæ sunt. Sic qui habet plures calculos benedictos, non potest eodem actu omnes Indulgentias illis concessas lucrari, sed pro qualibet acquirenda onus pro illa impositum debet exequi. Sic si haberet v. gr. unum calculum, qui haberet plures benedictiones, & Indulgentias, pro quarum singula esset impositum opus ejusdem generis, & quantitatis, non posset uno opere numero illas omnes acquirere.

341. Limitatur tertio respectu Indulgentiæ plenariæ per plures concessiones concessæ, ut si forsan contingat quod opus injunctum non compleat causam sufficientem ad tantum effectum, tunc multiplex concessio ex diverso titulo possit coniungi ad hoc ut integrum effectum plenariæ Indulgentiæ producat. Quia cum quælibet concessio habeat causas diversas potest contingere, quod plures illæ causæ simul junctæ integrent unam adæquatam, & sufficientem. Et sic quod pœnitens unico actu integrum effectum Indulgentiæ plenariæ acquirat, quod unica concessione non obtinuisset. Ita Card. de Lugo *nu.91.*

QUÆSTIO XLIII.

Qualis communio sit necessaria pro acquirendo Jubilæo, vel alia Indulgentia.

SUMMARIUM.

342 *Communio non semper necessaria ad Indulgentiam.*
343 *Non sufficit spiritualis.*

342. NOn semper necessaria est communio ad lucrandas Indulgentias, sed tunc solum, cum expressè exigitur à concedente. Hinc in Jubilæo Anni Sancti non requiritur communio, quia in Bulla concessionis illius non fit mentio aliqua communionis, sed Ecclesiarum visitatio est injuncta.

Passerini de Indulgentiis.

343. Ubi tamen communio est necessaria, hoc primo certum est non sufficere communionem spiritualem, de qua mentionem facit *Concil. Trid. sess. 13. cap. 8.* sed requirit communionem Sacramentalem, quia hæc sola propriè dicitur communio secundum communem usum loquendi, verba verò accipi debent in proprio & ex communi usu probata significatione. Præterquam quod in Bullis Indulgentiarum regulariter ponuntur verba expressiva solius Sacramentalis communionis, ut v. g. his verbis, *Sacramento Eucharistiæ refectis.*

QUÆSTIO XLIV.

Utrum sufficiat indigna Communio.

SUMMARIUM.

344 *Sufficere communionem indignam aliqui volunt.*
345 *Confessio indigna non sufficit ad observandum præceptum Ecclesiæ.*
Nec indigna communio.
346 *Indignum imaginari quod intuitu indignæ communionis detur Indulgentia.*
347 *Communio indigna non sufficit ad Iubilaum.*
348 *Quid si ignoranter habita.*

344. SUfficere communionem receptam scienter ab existente in peccato mortali, dum non sit ultimum opus dixerunt aliqui, inter quos referuntur Henriquez *lib.7. cap.9. num.5.* Fernandez *part. 3. cap.7. §.8. num.1.* Corduba *lib.5. quæst.25. prop.3.* Suarez *disp.52. sect.6. num.2. & 8.* Filliuc. *tract.8. cap.6. numer.* 159. Bonac. *disp.6. quæst.1. part.5. numer.* 15. Faustus *lib. 4. de Iubil. extraor. quæst* 41. ita hos DD. refert Pasqual. *quæst.76.* Sed Corduba, Suarez, Filliuc. & Bonacina non loquuntur expressè de communione nec de opere malo ex circumstantia mortifera, sed in communi asserunt injunctionem operum solum obligare ad substantiam actus & expressè exemplificant de actu bono venialiter malo. Fernandez verò expressè tenet communionem indignam sufficere, & citat Henriquez.

345. Probari verò potest hæc opinio tum primo quia indigna communio sufficit pro implendo præcepto de communioni Pascali. Tum quia Ecclesia præcipiendo obligat ad solam substantiam actus. Tum quia communio indigna est Sacramentalis, & sic sufficit pro acquirenda Indulgentia.

Hujus opinionis falsitas ex hoc primo manifesta est, quod assumit principium illud, scilicet quod per communionem indignam satisfiat præcepto de communione Paschali. Hoc enim in simili propositione damnatum est. Nam inter alias propositiones damnatas à Sanctissimo Patre Alexandro Septimo anno scilicet die 24. Septembris 1665. est ista. *Qui facit confessionem voluntariè nullam satisfa-*

satisfacit præcepto Ecclesiæ. Hinc igitur primo habetur non esse universaliter verum, quod Ecclesia præcipiendo obliget ad solam substantiam physicam actus, quia præceptum Ecclesiæ de confessione obligat ad modum, & qualitatem confessionis, nimirum ad confessionem validam. Etenim, ut supra dicebamus, præcepta affirmativa virtutum ad actus, qui ex eorum specie, & substantia sint virtutis actus obligant. Et sic Ecclesia determinans præceptum virtutis pœnitentiæ ad annuam confessionem, obligat confessionem validam. Secundo habetur quod hoc idem dicendum est de præcepto communionis. Quia utrumque præceptum respicit Dei cultum, & actum, ut ex divino jure est necessarius haberi, cum præceptum Ecclesiæ sit determinativum præcepti divini de confessione, & communione. Falsum igitur omnino est, quod per indignam communionem satisfiat præcepto communionis.

346. Confirmatur, quia in nullius prudentis viri mentem cadere potest, quod Summi Pontifices, qui in concedendis Indulgentiis habent pro fine pietatem, Dei honorem, Ecclesiæ gloriam, & utilitatem spiritualem animarum, velint concedere Indulgentias intuitu operum, quæ sint sacrilegia, itaut contenti sint opere injuncto, etiam si illud degeneret in pessimum sacrilegium. Dicendum propterea est, quod Summi Pontifices dum communionem injungunt, talem requirunt, qualis esse debet de jure divino, & habere pro non facta communionem illam, per quam jus divinum violatur, & quæ infert Deo maximam offensam, & homini mortem æternam. Et per hæc solutæ manent rationes in oppositum.

347. Dicendum igitur est omninò certum esse, quod ad lucrandam Indulgentiam non sufficit communio sacrilega, & indigna, quando communio est injuncta, prout bene docuerunt Adrian. *in 4. de Indulg. conclus. 4.* Navar. *de Indulg not. 19. num. 6. & art. 32. num. 45.* Rodriq. *in Bullam Cruciata §. 2. numer. 5. & tom. 2. quæst. regul. quæst.* 98. *art. 6.* Fabrin. Vega Botton. & Leon. apud Pasqualig. *quæst. 76.* qui oppositam sententiam meritò improbabilem judicant. Et in hoc deficit, & non est audiendus Bossius *sect. 4. casu 20. num. 12.* eam sententiam vocans non improbabilem, quia ductus fuit principiis jam reprobatis, sed imo ampliari debet resolutio quæstionis, ut nec sufficiat communio, quæ sit mala venialiter, saltem si sit mala ex culpa veniali non ex infirmitate, aut levi ignorantia, aut ex ejus negligentia, sed scienter voluntariè, & ex malitia admissa, juxta dicta supra *quæstione 39.*

348. Imò hoc ampliatur, ut licet in casu in quo quis bona fide putans se non habere conscientiam peccati mortalis, verè tamen sit peccator, & accedat ad communionem indispositus, & ita fructum & effectum sacræ communionis non recipiat, licet ex bona fide excusetur à peccato sacrilegii, tamen quia indignè coram Deo communionem sumit, & ejus communio non est sumptio Eucharistiæ refectiva, ideò non sufficit ad acquirendam Indulgentiam. Ita Pasqual. *d. qu. num. 12.* cujus tamen contrarium sentiunt Bossius *sect. 4. casu 20. num. 27.* & apud eum Bottonus. Nam ubi communio non sit nec coram Deo sacrilega, quia qui communicat ex invincibili, aut probabili ignorantia, aut inconsideratione excusatur à culpa, non est contra rationem asserere, quod talis communio invincibiliter, seu rationabiliter putata legitima, sit valida quantum sit ex parte sua ad effectum Indulgentiæ, si alias pœnitens tempore debito erit in statu gratiæ, ut sit capax effectus Indulgentiæ. Et hoc probatur. quia præcipuum, quod attendit Pontifex injungendo communionem est ille actus Religionis, qui in communione perficitur; modo communio recepta ab invincibiliter ignorante suam indispositionem est actus virtutis religionis, per se ex obiecto suo, & quatenus est ab eo, qui sic communicat.

QUÆSTIO XLV.

An sufficiat communio habita paucis diebus ante diem concessæ Indulgentiæ.

SUMMARIUM.

349 *Opiniones variæ.*
350 *Communio non est necessaria dispositio.*
351 *Communio est necessaria in tempore Indulgentiæ.*
352 *Non sufficit visitatio Ecclesiæ, aut communio ante tempus facta.*
353 *Confessio habenda in tempore indulgentiæ.*
354 *Tempore Iubilæi quando habenda communio.*

349. SUfficere dicunt Comit. *part. 1. quæst. 39.* & Portel. *verb. Indulgentia in addit. numer. 1.* quia quod parum distat, distare non censetur. Sed hoc negant Lavor. *part. 1. cap. 21. numer. 18.* Bossius *sect. 4. casu 19. §. 3. numer. 45.* Quos sequitur Pasqual. *quæst. 77. numer. 4.* Prima tamen opinio in hoc maximè se fundat, quod communio injungatur ut dispositio, & ideò communionem æquiparat confessioni, unde Comit. utitur illa doctrina, quod clausula *verè pœnitentibus, & confessis* importet dispositionem necessariam ad consequendum effectum Indulgentiæ, non verò opus injunctum, seu conditionem, allegans ad hoc Palud. 4. *dist. 20. quæst. 4. art. 3.* Sylvest. *verb. Indulgentia numer. 20.* & alios qui etiam ex relatione P. F. Jo: de Galopia Ordin. Prædic. Viri docti, & pii, dicunt declaratum fuisse in Concilio Constantiensi.

350. Verùm maximum discrimen est inter communionem, & pœnitentiam, quod hæc in peccatore sit necessaria dispositio ad consequendum effectum Indulgentiæ. Sed hoc non est verum de communione, ideò, nisi aliud exprimatur, quando in concessionibus Indulgentiarum dicitur, *qui sacra communione refecti visitaverint, &c. vel qui Eucharistiam sumpserint, vel verè pœnitentibus confessis, & communicatis*, vel alia simili verborum forma importante conditionem, communio censeri debet, ut sit opus injunctum, & conditio requisita.

351. Ideò ubi Indulgentia conceditur pro certa die cum clausula, *Sacra communione refectis*, aut, *qui sacra communione refecti*, censetur communio tanquam opus injunctum eo die implendum. Et sic si Indulgentia conceditur ut incipiat à primis vesperis, sufficiet quidem communio habita eo die de manè. Quia cum

in vesp-

in vesperis possit acquiri Indulgentia, & communio debeat haberi de mane, Pontifex requirens communionem, non requirit eam ut habitam in vesperis, sed ut habitam in mane, sed non sufficiet alia habita in die antecedenti, quia qui communicavit heri, non potest hodie dici sacra communione refectus, quia refectus, communione non potest iterùm communicare, & tamen, qui heri communicavit, potest communicare hodie. Si autem Indulgentia pro pluribus diebus sit concessa, sufficit communio habita in aliquo dierum illorum.

352. Declaratur autem magis assertio, quia procul dubio certum est, quod ubi Indulgentia concessa est Visitationibus Ecclesiam pro certo die, non valet visitatio Ecclesiæ facta ante illum diem, quia visitatio injuncta est, ut habenda die illo, pro quo concessa fuit Indulgentia. Eadem igitur est ratio etiam de communione, ubi communio est opus injunctum. Nam conditio debet poni tunc, & eo modo quo est injuncta. Quod eo magis est verum, quo necesse est quod communio fiat ex intentione lucrandi Indulgentiam, ut probatum est supra *quæst.* 38. Nunquam igitur potest sufficere communio habita ante ab ignorante Indulgentiam. Et neque à sciente, quia talis communio non censetur moraliter facta pro consecutione Indulgentiæ, & quia non est facta secundum exigentiam concedentis, qui illam certo diei applicavit, & ubi dies est de forma, parum non pro nihilo reputatur, cum mutetur substantia conditionis requisitæ. Si tamen quis sit certus de Indulgentia, cujus tempus incipit à primis vesperis, sufficiet, si ea die de mane communicaverit ex intentione Indulgentiæ, quia de eo dici potest, quod sit ea die sacra communione refectus. Et Pontifex requirens communionem, & tamen concedens illam Indulgentiam posse acquiri in primis vesperis, si concessionem priùs intimat; ex hoc videtur approbare quod sufficiat illius diei communio.

353. Ubi vero confessio requiritur ut conditio, nec illa sufficit, si habeatur ante tempus Indulgentiæ. In hoc tamen est discrimen, quod qui non habet conscientiam peccati mortalis, non tenetur confiteri, quia obligatio ad confessionem obligat solum habentes peccatum mortale, quod non fuit confessum, sed debet subjici clavibus in confessione.

354. In tempore verò Jubilæi extraordinarii communio sumi debet, & post juxta tenorem Bullæ Summi Pontificis. In indictione Jubilæi habita per Sanctissimum nostrum P. Alexandrum VII. *Anno* 1655. erat clausula. *Et peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Dominica die immediatè sequenti, vel alio die infrà eamdem hebdomadam reverenter sumpserint.* Unde in vi hujus clausulæ non poterat deferri communio post Dominicam immediatè sequentem hebdomadam, in qua jejunabatur, & alia opera complebantur; Unde in hoc non sunt attendendæ opiniones DD. sed standum est Bullis Pontificum, & servanda quæ in illis præcipiuntur.

QUÆSTIO XLVI.

An injunctio communionis obliget Pueros impuberes, qui defectu ætatis non possunt sumere communionem.

SUMMARIUM.

355 *Pueri debent quærere commutationem communionis.*
Aliqui hoc negant.
356 *Conditio impossibilis non censetur posita.*
357 *Dictio* aliud *refert similia.*
Dictio aliud *etiam comprehendit impedimentum pueritiæ.*
358 *Opera injuncta pertinent ad complendum justitiam.*

355. Dicendum est, quod pueri hujusmodi habentes usum rationis, sed non habentes annos discretionis procurare debent ut sibi commutetur communio in aliud opus, prout voluerunt Henriq. *lib.* 7. *cap.* 10. *numer.* 8. Pinell. *de Indulg. cap.* 23. Vega *part.* 2. *sum. cap.* 7. *casu* 19. Sanctarell. *cap.* 7. *dub.* 1. Bossius *sect.* 4. *casu* 20. *numer.* 6. Leon. & Graff. apud Pasqual. *quæst.* 81. Qui tamen existimat, quod quia nec semper Pontifices dant facultatem, ut opera injuncta pro Indulgentia possint commutari, licet hoc soleat fieri in Jubilæo extraordinario, & quia etiam Pueris hujusmodi communio est impossibilis ex lege, ideò Pasqualig. existimat, quod obligatio ad communionem non comprehendat hos pueros. Nam conditio de jure impossibilis habetur pro non posita *cap. tua cap. Requisivisti de Testam. Clem.* 1. *de Relig. Domib.* & dispositio restringitur secundum jus commune, si illi non derogat Anchar. *cons.* 6. *num.* 13. Tuscus *lit. D. conf.* 501.

356. Nec obstat, quod Pontifex dat facultatem commutandi opera impeditis, quia hoc respicit impedimenta accidentalia, & particularia, & incognita Pontifici, non verò impedimentum ætatis commune pueris, & inductum à lege, & Papæ notissimum. Nam Pontifices ipsi solent exprimere impedimenta carceris, infirmitatis, &c. cum clausula, *& aliud quomodocumque impedimentum*, dictio verò *aliud* est repetitiva similium *l. Quidam Relegatus ff. de reb. dub. cap. sedes de rescript.* Rota *dec.* 391. *nu.* 5. *part.* 1. *&* *d.* 104. *nu.* 12. *part.* 7. *recent.*

357. Sed obstat quia non minùs à lege impeditæ sunt Moniales omnes à visitatione Ecclesiarum, quam pueri à communione, & nihilominùs Pontifex illas expressè excipit, dum vult eas excipere, & eis aliud onus imponit, ideò dicendum est etiam impedimentum pueritiæ comprehendi sub clausula, *& aliud quodcumque impedimentum habentes*, & illos teneri ad illam compensationem, quam Pontifex injungit.

358. Ubi verò non conceditur facultas commutandi, posset habere locum doctrina tradita, quod conditio impossibilis ex lege non censeretur comprehensa, nisi & obstaret, quod opera injuncta pertinent ad integrandam causam justam, & proportionatam,

tam, sine qua Indulgentia non valet; ideò conditio operis injuncti servari debet, nec excusat impossibilitas, licèt sit ex lege, dum deficit id, quod ad justitiam causæ implendam est necessarium. Et eo magis quod in gratuitis non currit illa regula, quod conditio impossibilis ex lege habeatur pro non posita.

QUÆSTIO XLVII.

Vtrum quando Pontifex in Jubilæo reducit ad minorem numerum visitationem Ecclesiarum, possint computari visitationes jam priùs habitæ.

SUMMARIUM.

359 *Opinio DD. & ratio quæstionis.*
360 *Quando diminuitur numerus visitationum Ecclesiarum, quid facere debeat, qui aliquas Ecclesias visitavit.*

359. Supponitur in Jubilæo imponi visitationes Ecclesiarum, & ex consequenti illas esse visitandas, quæ determinatæ sunt, & toties id fieri debere, quoties injungitur. In Anno autem Sancto Ecclesiæ designatæ debent ab incolis Romæ visitari per 30. vices, & à Peregrinis per 15. Nec possunt hujusmodi visitationes omitti, nec in aliud opus commutari sine speciali facultate. Cum verò soleant Pontifices numerum præfatum visitationum post elapsam anni partem minuere, tam pro incolis, quàm pro advenis cum proportione, quæritur, an dato casu v. gr. quod pro incolis numerus 30. sit reductus ad 15. qui jam quatuordecim vicibus visitaverat Ecclesias, possit has computare, & sic teneatur, unica vice solum visitare Ecclesias illas. Et posse sic computare docent Sanctarell. *cap. 5. dub. 2.* Bossius *de Iubil. sect. 44. casu 13. numer.* 85. Quartus *de Iubil. cap. 2. dub. 7.* quos sequitur Pasqual. *qu.* 82. Nam Pontifex intendens minuere opus injunctum, & reddere faciliorem consecutionem Indulgentiæ dispensat super parte oneris injuncti, non verò imponit novum onus; sufficit igitur si quis computatis prioribus vicibus impleat numerum diminutum.

360. Dices ex hoc sequi, quod ad nihil aliud teneretur, qui jam per 15. vices visitavit Ecclesias, quia iste jam satisfecit oneri diminuto, si computari possunt vices antecedentes tempus factæ diminutionis à Pontifice. Respondent præfati DD. Tunc necesse esse, quod saltem una vice visitet Ecclesias, quia ex vi visitationum habitarum antecedenter ad diminutionem numeri visitationum, qui Ecclesias visitavit, non est lucratus Indulgentiam, quam lucrabitur, si saltem una vice Ecclesias visitet. Imò sufficit, si visitet unam, imò si sit in actuali visitatione, & antequam impleat visitationem, & compleat opus emanet indultum minuens numerum præfatum, etiam ipso ignorante. Imò addunt Sanctarell. Boss. *num.* 8. Quart. *d. dub. 7.* sufficere, si quis post emanatum dictum indultum confiteatur. Quod tamen negat Pasqual. *quæst. 83. num. 4.* Sed se fundat in eo, quod confessio non sit opus injunctum, cujus oppositum probatum est supra *quæst.* 28. Itaque sufficit in hoc casu, si quis visitavit Ecclesias per tot vices, per quot requirit novum indultum, ut vel de novo aliquam Ecclesiam visitet, vel aliud ex injunctis operibus compleat, ut sic fructum Indulgentiæ recipiat.

QUÆSTIO XLVIII.

Vtrum in Ecclesiarum visitatione locum habeat parvitas materiæ.

SUMMARIUM.

361 *In visitatione Ecclesiarum non est parva omissio, si omittitur unius visitatio.*

361. Respondetur opus injunctum debere impleri, & ideò quod in præsenti materia omissio unius solius visitationis non est materia parva. Ita Leon. *part. 3. num.* 114. Quartus *cap. 2. part. 2. dub. 6.* Pasqualig. *quæst.* 84. Quia omissio visitationis unius solius Ecclesiæ considerabilis est, & ubi numerus est taxatus pro conditione, ille impleri debet. Neque in his inniti debemus conjecturatis præsumptionibus mentis Pontificis, ubi ejus mens est clarè expressa. Mihi tamen considerandum videtur, quod supra *quæst.* 35. dictum est, scilicet parvitatem materiæ sumi debere per comparationem ad totum; sic si injungitur visitatio duarum, vel trium Ecclesiarum semel, omissio visitationis unius est res valdè notabilis, nec potest dici parva. Sed in Anno Sancto, in quo injungitur visitatio quatuor Ecclesiarum per triginta vices, & sic sunt 120. visitationes, unius omissio potest dici parva, & in hoc non est irrationabilis opinio Bossii *sect. 4. casu 13. numer.* 91. & 92. admittentis materiæ parvitatem; quia numerus non adhibetur, & injungitur ut numerus, & quasi numerica forma sit primo intenta, sed intenditur quantitas operis, quæ pro nihilo minui censetur, si ex 120. visitationibus una sola deficiat. Sed hæc valeant pro consolatione illius, qui de facto aliquam unam visitationem omisit, quia vel non potuit, vel oblitus fuit. Cæterum unusquisque viam tutam amplectatur, & nec minimum injuncti operis omittat, quia ut ait Boss. si hæc omissio verè sit notabilis, Indulgentia non acquiritur.

QUÆSTIO XLIX.

Utrum tempore Jubilæi Ecclesiæ possint visitari interpollatè.

SUMMARIUM.

362 *In Anno Sancto Ecclesiæ visitari possunt interpollatè.*
363 *Non ita tamen ut non visitentur omnes eodem die.*

362. Cer-

362. Certum est, quod Ecclesiarum visitatio in Anno Sancto non est necesse, quod fiat per 30. aut 15. dies continuos; sed sufficit si fiat intra tempus Jubilæi. Non enim hujusmodi continuitas requiritur in Bullis Jubilæi, ut patet incipien. ab Extravag. *Antiquorum de pœnit. & remiss.* usque ad hæc tempora. Unde Advena, qui per dies quindecim continuos non potest manere Romæ sufficit si interpollatis vicibus ad eam accedat, & Ecclesias visitet.

363. Sed an sit necesse visitare omnes Ecclesias designatas eadem die, vel potiùs sufficiat visitare unam uno die, & aliam alio die, quæstio est controversa. Et quidam volunt sufficere si visitentur interpollatè, Gloss. *in extravag. antiquorum in verb. saltem semel de pœnit. & remiss.* Polach. *sect.* 42. *numer.* 44. Filliuc. *tract. 8. cap. 10. numer.* 255. Quintanad. *tract. 8. dub. 8. numer. 1.* Et fundant se, quia sic declaravit Bonifacius VIII. auctor extravag. antiquorum ut testatus fuit Jo: Mon. Cardinalis, & qui declarationi interfuit, Filliuc. verò dicit hoc declaratum fuisse à Greg. XIII. Verùm quidquid potuerit fieri tempore Bonifacii VIII. nunc praxis, quæ est optima legis interpres oppositum convincit, quod etiam declarasse Greg. XIII. refert Navar. *notab. 41. in verb. semel saltem in die*, & propterea hoc tenent Bossius *sect. 4. casu 8. nu. 11. & casu 14. num. 2.* Lavor. *part. 1. cap. 17. nu. 3.* & Sanctarell. *cap. 4. dub. 2.* Fabrin. Gratian. Leon. Faustus & Quartus, quos sequitur Pasqualig. *quæst. 85.*

QUÆSTIO L.

Utrum tempore Jubilæi sufficiat visitare Ecclesias pluries in eadem die.

SUMMARIUM.

364 *Non sufficit in anno sancto pluries eadem die visitare Ecclesias.*
365 *Aliqui contrarium dicunt.*
Dictio saltem *non excludit numerum majorem.*
Forma impleturi per æquipollens.
366 *Visitatio obligata ad plures dies major quam ad plures visitationes ejusdem diei.*

364. Non sufficere voluit Navar. *not. 32. num.* 41. in fine, quem sequuti sunt Filliuc. *tract. 8. cap. 10. num. 255.* Quartus *cap 2. par. 2. num. 2.* Sanctarell. *de Iubil. cap. 4. dub. 2.* Rodriq. *part. 1. sum. cap. 184. num. 3.* Et ratio est, quia in Bullis Jubilæi inducitur visitatio ut habenda semel saltem in die per triginta dies, aut respectivè per dies quindecim continuos, aut interpollatos, & sic visitatio est assignata diebus, non sufficit igitur illam habere per minorem numerum dierum.

365. Sed Pasqualig. *quæst. 86.* fatetur quidem, quod non sufficiat multiplicare visitationum non multiplicata peregrinatione ad Ecclesias, & sic non sufficere, si quis pluries in eadem die semel visitavit egrediendo ab Ecclesia, statim iterum pluries Ecclesiam ingrediatur, & Ecclesiam visitet, & in ea oret. Sed benè putat sufficere, si mu tiplicata simul peregrinatione, quatenus opus est de mane primo, & postea post prandium Ecclesias visitet. Nam clausula, quæ apponi solet scilicet *saltem semel in die per triginta, aut quindecim dies continuos, sive interpollatos* non requirit numerum dierum absolutè, sed solùm sub conditione, quod visitatio fiat semel in die, quod tamen non est necessarium, quia dictio *saltem* non excludit, sed imò admittit, quod visitatio pluries in die fieri possit; Nam dictio *saltem* adiecta dispositioni numerali non excludit numerum majorem *cap. excommunicamus. §. addamus de hæreticis Domin. cons. 37. num. 5.* Tusc. *litt. D. conclus. 367. num.* 1. Solum igitur requiritur numerus 30. aut quindecim dierum, si visitatio sit facta semel in die. Ex quo colligitur, quod numerus dierum non est de substantia operis, & conditionis injunctæ, sed sufficiunt triginta, vel quindecim visitationes, quæ moraliter dici possint tales, & multiplicatæ ad præfatum numerum. Eo magis quod hoc sufficit ad cultum, & venerationem Ecclesiarum, & sic multiplicando visitationes in eodem die, totum datur, quod exigitur. Et eo magis, quod dato quod numerus dierum esset de forma, quia positus est ad certum effectum, scilicet ad multiplicandas visitationes, posset impleri per æquipollens per *l. 3. C. de liber. præt. & l. 3. §. conditio ff. de adim. leg.* & per Rotam *decis. 433. num. 1. part. 3. rec.* & alios DD. quos ibi citat.

366. Contra ista tamen facit, quod obligatio ad numerum dierum est quid magis arduum, & faciens ad majorem cultum, unde numerus visitationum Ecclesiæ non ligatus ad dies, non æquipollet in bonitate, & valore cæteris paribus, numero visitationum ligato ad numerum dierum. Et ideò dici potest, quod dictio *saltem* non excludit majorem numerum visitationum, quas quilibet ex ejus devotione facere velit, sed solùm excludit obligationem ad majorem numerum visitationum ut habendarum eadem die, sed tamen sensus Pontificis est, quod visitatio duret per 30. aut respectivè per quindecim dies, & sic quod non sufficiat visitatio habita pluries in eodem die prout benè vult prior opinio, cui etiam conformis est praxis. Et huic sententiæ adhærendum est.

QUÆSTIO LI.

Utrum Ecclesiæ visitari possint tempore noctis.

SUMMARIUM.

367 *Argumenta ad quæstionem.*
368 *Ecclesia possunt visitari de nocte.*
369 *Non interest an Ianuæ sint clausæ.*
370 *Accessus ad Ecclesiam per se non est necessarius, sed sufficit præsentia.*
371 *Quæ sit præsentia ad Ecclesiam.*

367. Videtur, quod hoc non sufficiat ad lucrandum Jubilæum, aut Indulgentias, quia de nocte fores Ecclesiæ clausæ sunt, & non patet ingressus intra Ecclesiam. Et non sufficit dicere, quod in his sufficiens est præsentia moralis, & moralis accessus. Nam in quo consistit hæc moralitas? Non

in solo cultu ex intentione directo ad Ecclesiam, sed ad Deum, & Sanctos, qui in ea coluntur, qui hoc modo quicumque posset quamcumque Ecclesiam visitare ex quacumque distantia, absque eo quod exiret de domo. Requiritur igitur accessus physicus, & localis ad Ecclesiam. Et si dicatur sufficere præsentiam localem extra Ecclesiam, sed tamen in aliqua propinquitate physica, primo ostendi deberet quanta debeat esse hęc propinquitas. Secundò sequeretur quod ex quacumque parte Ecclesiæ quis esset, dici posset Ecclesiam visitare, si ibi genuflexus oraret. Imò ex propria domo propinqua posset homo Ecclesiam visitare absque eo quod ad Ecclesiam iret.

368. Nihilominùs dicitur, quod pro acquirendo Jubilæo, aut alia Indulgentia potest Ecclesia visitari de nocte, ut tenent Henriq. *lib.7. cap.14. num.5.* Leon. *part.1.nu.161.* Fabrin. *cap.35. dub.7.* Lavor. *part.2.cap.17.num.8. & 32.* Sanctarell. *cap.4.dub.2.* Benzon. *lib.5. cap.15.dist.5.* Gratian. *par.2. cap.12.* Boss. *sect.4. casu 14 num.5.* Faustus *lib.3. quæst.32.* Pasqual. *quæst.87.* Ex vi enim Bullæ Jubilæi non habetur, nisi quod Ecclesiæ visitentur saltem semel in die; in jure verò sub nomine diei venit dies 24. horarum, qui noctem compræhendit.

369. Non interest verò, quod januæ Ecclesiæ sint clausæ, quia cum Ostium veniat sub nomine domus *l. si quis aquaductum C. de contrah. empt.* qui est in Ostio Ecclesiæ censetur esse in Ecclesia. Nam qui ad Ecclesiam confugit, si eam clausam inveniat, si stet in hostio manet immunis, ac si intra Ecclesiam esset. Et sic qui stat in Ostio censetur moraliter esse in Ecclesia.

370. Iterùm igitur dicuntur duo ex probatis in superioribus *quæst.17.* Primum quod per se nullus accessus ad Ecclesiam sive Physicus, sive moralis est necessarius, sed solùm accessus est necessarius respectu illorum, qui habitant extrà Ecclesiam. Clerici enim, & Religiosi, & alii, qui Ecclesiæ inserviunt, benè possunt lucrari Indulgentias, quia per se non accessus, sed visitatio Ecclesiæ est necessaria. Secundum est quod visitatio Ecclesiæ per se supponit, & acquirit præsentiam physicam. Non dicitur enim Ecclesiam visitare nisi qui illi adest.

371. Dicitur verò præsens Ecclesiæ sufficienter ad Ecclesiæ visitationem, qui vel est intrà Ecclesiam, vel propè illam est in tali situ, ex quo aliquo sensu possunt percipi, quæ in Ecclesia fiunt, & de facto perciperentur, si non adesset aliquod accidentale impedimentum, vel ex parte visitantis, qui est cæcus, vel surdus, vel ex parte operantis interiùs, qui v. g. submissè missam celebrat, vel etiam ex parte Ecclesiæ, quia Janua est clausa, vel ex parte concursus Populi, qui tantus est, quod omnes non possunt nedum ingredi Ecclesiam, sed ostio illius esse præsentes. Ideò non sequitur, quod ex quacumque parte exteriori Ecclesiæ possit quis existens extrà Ecclesiam, illam visitare; quia non adest præsentialiter Ecclesiæ præsentia saltem morali, qui nullo sensu potest percipere, quæ in illa fiunt. Et ita quod sufficiat ex Ostio visitare Ecclesiam præter citatos tenent Lez. *verb. Bulla Cruciata nu.18.* Cotton. *lib.2. contr.11. num.61.* Palaus *tract.24. part.3. num.15.* Qui etiam habent domum propè Ecclesiam, & media aliqua fenestra possunt videre, vel audire, quæ fiunt in Ecclesia, & sic præsentes esse Missæ, vel divinis officiis quæ in Ecclesia celebrantur, possunt de propria domo Ecclesiam visitare.

QVÆSTIO LII.

Qualis esse debeat visitatio Altarium, quando plura visitari debent pro Indulgentia.

SUMMARIUM.

372 *Ad visitanda altaria necessaria est præsentia moralis.*

373 *Ab existente extrà Ecclesiam possunt visitari Altaria.*
Multo magis ab existente intrâ Ecclesiam.

374 *Sufficit visitare quinque Altaria, vel quinquies unum.*

375 *Ad visitationem Altarium non est necessarius motus localis ad illa.*

376 *Imò nec motus physicus corporis versus quodlibet illorum.*

377 *Ubi unum altare quinquies visitari debet, non est necessarius discessus, & accessus ad Altare.*

378 *Idem dicitur de illo qui pluries debet visitare Ecclesiam.*

372. PRimo igitur certum est requiri præsentiam moralem, sed hanc non haberi sufficienter, nisi ab eo, qui sit intrà Ecclesiam, & sic non sufficiat, si quis extrà Ecclesiam existens Altaria videat, voluerunt Diana *part.1. tract. 11. resol.103.* & apud eum Nugnus, Sanctarellus, & Filliuc. Card. de Lugo *disp. 27. num.98.* Sed si visitans extrà januam existens videat quinque altaria, quod possit illa visitare dixerunt Rosell. *verb. Indulgentia §.22.* Corduba *quæst.21.* Rodriq. *in Bullam Cruciatæ §.8. num.12.* Trullench. *in eadem Bullam §.6. dub.2.num.4.* Bossius *sect.4. casu 14. num.14. & 15.* Pasqual. *quæst.88. num.6.* Leander *tract.5. disp.14. quæst. 69.* & apud ipsum Moure, Villalobos, & Ludovicus à Cruce. Ut enim dictum est, præsens moraliter est Ecclesiæ, vel Altari, qui est in loco, in quo potest audire, vel videre illa, quæ in Ecclesia, aut Altari fiunt. Unde etiam dicendum est idem etiam si Ostium Ecclesiæ esset clausum, si tamen eo aperto altaria sint in prospectu existentis in Ostio, quia Ostium clausum est impedimentum accidentale, & alias qui est in Ostio Ecclesiæ censetur esse in Ecclesia. Et ita etiam de nocte visitari possent plura Altaria.

373. Hinc est quod multò magis ab existente intrà Ecclesiam in quocumque loco illius, sufficienter ad Indulgentiam lucrandam visitari possunt quinque Altaria, si ab eo loco videri, vel audiri possunt, quæ in illis altaribus fiunt. Rodriq. *in Bullam Cruciatæ §.8. nu.12.* Sanctarell. *cap.7. dub.1.* Bonac. *disp. 6. quæst.1. punct.5. num.25.* Pasqual. *quæst.87. nu.7.* Rodriquez, Trullench. ubi supra Bossius *num.16.* Satis enim censetur illis præsens, & illos visitare si ex eo loco oret, & Deo, & Sancto, cui Altare est dedicatum, cultum reverenter præbeat.

374. Quinque verò Altaria sæpè visitari debent ad acquirendas Indulgentias, ut v. g. ad acquirendas Indulgentias Stationum Urbis virtute Bullæ Cruciatæ, vel à Confraternitatibus Rosarii virtute concessionis Leonis X. & Clementis VII. Tunc verò licet in loco sint plures Ecclesiæ non est necesse visitare quinque Altaria ejusdem Ecclesiæ, quia hoc ex Bulla colligatur,

tur, & hæc sit praxis Lezana *v. Bulla Cruciata num.* 18. Opus tamen erit semper inspicere Bullas concessionis Indulgentiæ, ut appareat, an Pontifex velit quinque Ecclesias visitari, si sint in loco, vel sit contentus visitari quinque Altaria ejusdem Ecclesiæ. Ubi verò in Ecclesia non sint quinque Altaria, sufficit complere numerum, vel visitando quinque Altaria in pluribus Ecclesiis, vel in eadem Ecclesia visitando omnia Altaria, quæ ibi sunt simul, & posteà visitare ex eisdem Altaribus tot, quot sufficiant ad numerum quinarium, vel visitando quinquies unum Altare. Hoc enim sufficere etiam si in Ecclesia sint tria, vel quatuor Altaria ad lucrandum Stationes ex vi Bullæ Cruciatæ, arbitrantur Nugnus *tom. 2. in 3. partem expos. Bull.* §. 10. & ex illo Diana *part. 1. tract.* 11. *resol.* 103. Palaus *tract.* 25. *punct.* 5. *num.* 7. Leander *tract.* 5. *disp* 14. *quæst.* 72. & apud eum Ludovicus à Cruce, Machado, Quintanad. Contrarium tamen voluerunt Trullen. *in expos. Bull. lib.* 1. §. 6. *d.* 2. Mendo *disp.* 20. *cap.* 5. *num.* 39. Sed in his ponderanda sunt verba literarum Apostolicarum. Confratribus Rosarii per Leonem Decimum, Clementem Septimum, & Paulum Tertium, ut patet in Bulla *Rationi congruit*, data 3. Novembris 1534. concessum fuit, ut lucrarentur omnes Indulgentias Stationum Urbis visitando quinque Altaria, aut unum, vel duo quinquies, si quinque desint. Ex qua loquendi forma colligitur, quod ubi non sunt in Ecclesia quinque Altaria sufficit si unum quinquies visitetur, etiam si ibi sint tria, vel quatuor.

375. Dubitant verò DD. an quando visitantur quinque Altaria in eadem Ecclesia sit necesse, quod visitans moveatur corporaliter de uno Altari ad aliud, vel si non est necessarius localis motus saltem sit necessarius motus aliquis partialis, ut quia visitans teneatur saltem movere caput, & faciem vertere versus Altare, quod intendit visitare, vel potiùs sufficiat, quod visitans corde, & intentione dirigat orationem suam, & cultum absque aliquo motu corporis. Et quidem contra Rodriquez. *in Bulla* §. 8. *dub.* 7. *num.* 12. & Trullench. *d. dub.* 2. & Bossium *d. casu* 14. *num.* 16. & Lezanam *d. num.* 18. quod non sit necessarius motus localis totius corporis, & specialis accessus de uno ad aliud Altare existimant Bonac. *disp.* 6. *punct.* 5. *num.* 25. Azor. Henriq. Sà, Graff. Philippus à Cruce, quos sequitur Diana *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 102. & in addit. *resol.* 25. & *part.* 5. *tract.* 12. *res.* 16. Palaus *tract.* 25. *punct.* 5. *nu.* 7. Card. de Lugo *disp.* 27. *num.* 98. Leander *d. disp.* 14. *quæst.* 69. & apud eum Machado, & Mendo, Pasqual. *quæst.* 88. *num.* 4. Cotton. *l.* 2. *contr.* 11. *num.* 62. Et res est certa, quia ad lucrandas Indulgentias ex visitatione Ecclesiarum, accessus localis ad illas non est necessarius nisi respectu non præsentium, sed per se exigitur visitatio, ad quam sufficit præsentia localis; qui ergo est præsens quinque Altaribus stando in medio Ecclesiæ, vel in alio situ, nullo alio indiget accessu, vel locali motu, ut Altaria visitet.

376. Sed quantum ad partialem motum, quod sit necessarius aliquis motus, quo visitans avertens se ab uno Altari se convertat ad aliud, quod intendit visitare, nimis scrupulosè dicunt Cardinalis de Lugo *disp.* 27. *num.* 98. & Pasqual. *quæst.* 88. *num.* 4. & apud eum Henriquez, Fernandez, Sà, Sanctarell. *cap.* 7. *num.* 1. & Bossius *d. num.* 16. Leander *quæst.* 69. & 70. Cotton. *d. numer.* 62. Et ratio eorum est, quod visitatio importat cultum sensibilem, & sic necesse est, ut discerni possit ab inspicientibus quodnam est Altare, quod visitatur. Sed quid interest, quod ego sciam quodnam sit Altare, quod Paulus visitat? Et numquid non potest devotus prostratus super terram in signum humilitatis visitare Altaria? Visitatio importat cultum sensibilem pro quanto requirit sensibilem præsentiam ad Altare, & exteriora signa cultus, & unusquisque scit, quod qui est in loco, ex quo possunt audiri; aut videri, quæ fiunt in Altaribus, & ibi orat aliquem ex Altaribus visitat; prout sibi placet, nec ampliùs requiritur, ut benè docent Palaus *tract.* 25. *punct.* 5. *num.* 7. Bonac. *disp.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 5. *nu.* 25. Diana *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 16. & apud Pasqual. Vega, Villalobos, Ludovicus à Cruce, & Quintanad.

377. Hinc quod ubi in Ecclesia est unum Altare, quod quinquies debet visitari, non sit necesse, ut visitans post unam visitationem egrediatur ab Ecclesia, & iterùm in Ecclesiam ingrediatur pro altera visitatione, benè advertit Palaus *d. num.* 7. Sed quinquies ille visitat Altare, si quinquies multiplicet orationem necessariam ad visitationem Altaris. Unde non est necesse ut interrumpatur visitatio per accessum corporalem per tot vices, per quot Altare debet visitari, ut voluit Pasqual. *d. quæst.* 88. *num.* 7. Ad discernendum enim visitationem à visitatione sufficit discretio orationum, & intentio visitantis; neque est necesse, quod visitatatio sit sensibilis quantum ad omnes circumstantias, & modos individuales. Aliter necesse esset, quod visitans orando clamaret, ut conspici posset quod verè orat, & non potiùs cantilenam prophanam recitat, aut blasphemat.

378. Sic etiam si pro acquirenda Indulgentia eadem Ecclesia pluries visitari debet, multiplicandæ sunt visitationes per tot vices, quot præscribuntur, sed ad hanc multiplicitatem non est necesse, quod visitans egrediatur ab Ecclesia, ut vult idem Pasqual. *num.* 8. Accessus enim localis, & localis ingressus in Ecclesiam sunt necessarii gratia materiæ, ut visitans fiat præsens Ecclesiæ, quia visitatio præsentiam requirit. Sed ubi visitans est præsens non est necesse ut discedat ad hoc ut iterùm per accessum fiat præsens; quia ubi habetur finis inutilis est repetitio mediorum. Ad discernendas autem visitationes sufficit orationum discretio, & multitudo sufficiens. Et discretio ista est sensibilis, si diuturnitas cultus, & orationis tanta est, quod per illam potuit visitans multiplicasse orationes quantum est opus. Ubi tamen visitationes debent fieri in diversis diebus, aut etiam in distinctis horis diei interpollatis, tunc gratiæ materiæ erit necessarius egressus ab Ecclesia, in qua visitanti forsan non licebit manere continuo die, ac nocte, aut per multum tempus sine interpollatione.

QUÆ-

QUÆSTIO LIII.

Qualis Devotio requiratur in visitatione Ecclesiarum.

SUMMARIUM.

379 *Visitatio distincta ab oratione.*
380 *Visitatio debet esse devota.*
381 *Quid sit devotio.*
382 *Visitatio mala ex fine non est devota.*
383 *Malitia concommitans non inficit intrinsecè visitationem.*
384 *Sufficit ad Iubilaeum visitatio bona si iter ad Ecclesiam sit malum.*

379. IN Bullis concedentibus Jubilæum, aut Indulgentiam, in quibus injungitur oratio, solet poni dictio *devotè*, unde est, quod visitatio hujusmodi debet esse devota. Quamvis autem moraliter, & regulariter loquendo, visitatio ex intentione Pontificum conjunctam habeat aliquam orationem, & deprecationem, per se tamen visitatio ab oratione distinguitur; nam ad visitationem sufficit accessus ad Ecclesiam, seu præsentia visitantis in Ecclesia, & quod visitans genuflectat, vel aliquod aliud signum divini cultus exhibeat.

380. Debet igitur hujusmodi visitatio esse devota, quod est verum etiam si hoc expressum non fuerit in Bulla Jubilæi, aut Indulgentiæ. Corduba *quæst.21.concl.1.* Suarez *3.part.t.4.disp.52.sect.1.num.4.* Filliuc. *tract.8.nu.132.* Pasqualig. *disp.89.* & apud eum Vega, Leon. Lavor. & Boss.

381. Devotio autem est actus virtutis Religionis, & importat promptam voluntatem faciendi ea, quæ ad Dei cultum, & servitium pertinent, ut docet D.Tho. *2.2.quæst.182.art.1.* Visitationem igitur esse devotam, est illam fieri in Dei cultum, & honorem, ut citati DD. tradunt: Sic igitur necesse est, ut quis accedat ad Ecclesiam intuitu divini cultus.

382. Ex hoc colligitur primo, quod ubi visitatio vel ex fine, vel ex circumstantia sit mala, nec est devota, nec sufficit ad lucrum Indulgentiæ, quia malum opus non potest esse actus Religionis, nec ordinari in Dei cultum, quia opus malum, quod est peccatum est contra Dei cultum; An verò si circumstantia sit solùm venialiter mala faciat visitationem ita indevotam, ut non sufficiat, dictum est suprà *quæst.39.* & omninò asserendum est, quod ubi visitatio sit mala ex fine, aut ex circumstantia licet veniali malitiosè volita, visitatio sit indevota, & non sufficiat.

383. Si tamen peccatum concommitanter se habeat ad actum visitationis etiam si sit peccatum mortale non inficit, & reddit nullam visitationem ut voluit Navar. *not.32. num. 45. & 46.* & Leon. *part.1. num. 148.* Nec obstat, quod habet Pasqual. *quæst.89. num.8.* Scilicet, quod voluntas actualiter mortaliter peccans est in exercitio aversionis à Deo, & ideò non potest esse conversa in Deum, per actum Religionis, quia hoc assumptum non est verum de conversione secundum quid, & quæ sufficit ad hoc ut actus aliquis non sit peccatum. Sic non repugnat, quod voluntas sit conversa in Deum per exhibitionem cultus Religiosi in visitatione exhibiti, sine aliqua mala circumstantia inficiente intrinsecè visitationem, & tamen per alium actum sit simpliciter aversa à Deo, quia actus, qui concommitanter se habet ad visitationem non facit illam indevotam contrariè, & positivè, sed solùm privativè.

384. Colligitur etiam secundò, quod licet accessus ad Ecclesiam sit indevotus, & malus, vel ex fine, vel ex aliqua alia mala circumstantia, etiam si malus moraliter, si nihilominùs visitatio non sit mala, quia visitans mutata mali finis intentione Ecclesiam visitat ex Religione, & sine aliqua mala circumstantia inficiente intrinsecè visitationem, non sit visitatio indevota, & ideò sufficit ad acquisitionem Indulgentiæ. Navar. *d.nu.46.* Boss. *sect.4.casu 15.nu.8.* Pasq. *d.qu.89.nu.5.* & apud eum Rodriquez, & Quartus.

QUÆSTIO LIV.

An ubi injunctà visitatio Ecclesiæ sufficiat visitare Oratorium privatum in propria domo constitutum.

SUMMARIUM.

385 *Non sufficit visitatio Oratorii privati.*

385. SUfficere dicit Leand. *tract.5. disp.14. quæst. 73.* quia Oratorium approbatum ab Episcopo pro celebratione Missæ venit nomine Ecclesiæ, & refert pro hac sententia Rodriq. Henriq. Trullench. Diana, Machado, & Mendo. Sed è contrà quod Oratorium privatum licet ab Episcopo approbatum juxtà Stat. Concil. Trident. *sess. 22.* & decretum S. Congregationis Concilii datum 10. *Martii 1615.* non veniat nomine Ecclesiæ, ex eo est manifestum, quod nec gaudet immunitate, nec est locus sepulturæ. Nec in eo possunt celebrari plures Missæ, nec est deputatum ad universalem, & perpetuum Dei cultum, sed solùm ad unicam in die Missæ celebrationem, & quidem nec pro omnibus diebus anni. Non sufficit igitur, quod is, ad cujus favorem concessum est privatum Oratorium, vel multò minùs, quod quilibet alius visitet simile Oratorium, ubi illi est injuncta visitatio Ecclesiæ, quia tale Oratorium nec venit sub nomine Ecclesiæ, nec privilegiis Ecclesiæ gaudet.

QUÆSTIO LV.

An tempore Jubilæi visitantes Ecclesias designatas teneantur ingredi per Portas Sanctas.

SUMMARIUM.

386 *Tempore Anni Sancti non est necesse ingredi per Portas Sanctas.*
387 *Nec est peccatum, si peccator ingrediatur per illas, aut egrediatur.*

386. DIcitur verò non adesse hanc obligationem, quia in Bulla Jubilæi id non est injunctum, nec

necesse undè aliundò imponatur hoc onus, sed sufficit juxta tenorem Bullæ Ecclesias visitare. Grat. *par. 2 cap. 4.* Filliuc. *tract. 8. num. 260.* Leon. Franciscus Rodriq. Ancarell. Faustus, Quartus, quos sequitur Pasqual. *quæst. 91.*

387. Qui DD. addunt nullum esse peccatum si quis habens conscientiam peccati mortalis per portas præfatas ingrediatur. Et licet non sit in usu egredi per illas, non tamen esse peccatum, si quis per eas egrediatur.

QUÆSTIO LVI.

An in Jubilæis extraordinariis fideles teneantur visitare omnes Ecclesias designatas ab Episcopis.

SUMMARIUM.

388 *Opinio aliquorum.*
389 *Extra urbem non est necesse visitare plures Ecclesias quam in urbe.*
390 *Ecclesias sufficit una vice visitare.*
391 *Sufficit eas visitare interpollatè.*

388. Ratio difficultatis est, quia in Bullis concessionis solet poni hæc clausula. *Ecclesiam, seu Ecclesias per locorum ordinarios deputandam, seu deputandas, &c. semel devotè visitent.* Qua stante clausula Pasqual. *quæst. 92.* existimat, quod omnes Ecclesiæ ab Episcopo designatæ visitandæ sint, etiam si sint in majori numero quam designatæ à Pontifice in Urbe; Quia per dictam clausulam datur Episcopo potestas augendi numerum Ecclesiarum visitandarum. Nisi igitur vel Pontifex, vel Episcopus aliud declararet, visitari debent omnes Ecclesiæ ab Episcopo designatæ.

389. Verùm cum aliud sit deputatio Ecclesiarum, & aliud onus, & necessitas illas visitandi, ad quod non obligat deputatio præcisè sumpta; sed imò etiam in Urbe deputentur plures Ecclesiæ cum onere visitandi saltem unam ex illis, ut factum fuit per Sanctissimum D. N. Alexandrum VII. 14. *Maii* 1655. in indictione Jubilæi tunc concessi; ideò facultas illa deputandi plures Ecclesias concessa Episcopis est data ad majorem fidelium commoditatem, scilicet ad designandum Ecclesias, quæ possint visitari, non ad imponendum majus onus, quam fit illud, quod Pontifex imposuit in Urbe. Et ideò iuxtà tenorem concessionis expressum in litteris Apostolicis, non est necesse visitare omnes Ecclesias designatas ab Episcopo extra Urbem, sed unam vel tot, quot Pontifex voluit, ut visitarentur Romæ; nisi aliud exprimatur. Bossius *sect. 4. casu 16. num. 6.* Imò etiam si vellet, non posset Episcopus obligare ad visitandas Ecclesias in majori numero, & augere onus, & opus injunctum, quia hæc potestas illi non datur per præfatam clausulam, & Pontificis est decernere de causa justa concedendi Indulgentiam, & ex consequenti, de quantitate, numero, & qualitate operis injuncti.

390. Ecclesiæ autem deputatæ una vice sola sunt visitandæ, si aliud non exprimatur, sed absolutè injungatur visitatio unius, vel plurimum Ecclesiarum, quia dispositio unica vice consummatur *l. Boves §. hoc sermone ff. de verb. signific.*

391. Nisi etiam exprimatur, quando injungitur visitatio plurium Ecclesiarum, non est necesse, quod omnes visitentur eadem die, quia injungitur sola visitatio Ecclesiarum.

QUÆSTIO LVII.

An tempore Jubilæi extraordinarii possint visitari Ecclesiæ die Dominico sequenti usque ad mediam noctem.

SUMMARIUM.

392 *Opinio aliquorum.*
393 *Non est certum quod in Jubilæo visitatio possit fieri sequenti Dominica.*

392. Affirmant plures contrà Sorbum, quamvis aliqui velint Ecclesias die Dominico sequenti non posse visitari post communionem, sed Pasqual *quæst. 93.* arbitratur, quod tempus visitandi Ecclesias duret per totam Dominicam immediatè sequentem; quia illa dies pertinet ad hebdomadam Jubilæi, cum expresè concedatur, ut in ea possit fieri communio.

393. Sed dicitur, quod in his non potest dari regula certa, sed attendi debent verba Bullarum, in quibus conceditur Indulgentia, vel Jubilæum. Nihilominùs dicitur etiam, quod consequentia hæc non est omninò firma, ut ex quo specialiter disponitur, quod communio possit fieri Dominica sequenti hebdomadam Jubilæi, deducatur, quod dies illa sit intrinseca hebdomadæ, quia imò sequitur, quod absolutè haberi debet uti extrinseca, quia ex speciali ratione extenditur tempus communionis ad illam diem, & fuit necessaria expressio hujus extensionis, aliter non potuisset differri communio ad illam diem. Et cum hæc expressio non fiat de visitatione Ecclesiarum potiùs sequitur, quod illa non valeat ad Jubilæum, si non fiat ante Dominicam, & intrà hebdomadam Jubilæi. Et dato quod ex quo extenditur communio posset quoque extendi visitatio Ecclesiarum, saltem videtur sequi, quod non possit fieri hæc extensio nisi ad tempus communionis. Res igitur ista incerta est, & valdè dubia. Sed ut dicebam tenor Bullarum inspici debet, secundum quem poterit esse, quod etiam sufficiat visitatio Ecclesiarum facta intrà aliqua ex duabus hebdomadibus. Confessio tamen sufficit, quod habeatur die Dominico ante communionem, ut dictum est supra *quæst.* 45.

QUÆ-

QUÆSTIO LVIII.

Utrum Regulares teneantur visitare Ecclesias, ut lucrentur Jubilæum.

SUMMARIUM.

394 *Regulares tenentur visitare Ecclesias.*
395 *Non posset fieri à Confessario commutatio hujus operis pro Religiosis in genere.*
396 *Religiosis obligatis ad perpetuam clausuram solet imponi aliud opus.*
397 *Opinio aliquorum.*
398 *Ubi opera injuncta possunt commutari ex genere non est peccatum si superior negat facultatem visitandi Ecclesias exteriores.*
399 *Superior ex justitia non tenetur concedere subdito licentiam agendi ad lucrandam Indulgentiam.*
Subditus sine licentia superioris non potest exire, ut visitet Ecclesias.
400 *In dubio tenetur obedire.*
401 *Non fit prajudicium subdito, qui visitationis commutationem potest obtinere.*
402 *An extrà Urbem Regularis possit deputare Ecclesias pro suis remissivè.*

394. RESpondetur teneri omninò, quia Jubilæum non est concessum, nisi Ecclesias deputatas visitantibus. Rodriq. *part.1. sum. cap.184. num.8.* Sanctarell. *cap.7. dub.1.* Bossius *sect.4. casu 16. num.18.* Pasqual. *quæst.95.* post Leonem, & Faustum, & DD. alii citati supra *quæst.31. & 33.*

395. Imò licet regulariter in Jubilæis concedatur facultas commutandi opera injuncta, ex vi hujus facultatis non posset à quocumque inferiori Pontifice pro Regularibus in genere, commutari in aliud opus obligatio visitandi Ecclesias. Quia talis facultas data confessariis est respectu particularium personarum, quæ sint impeditæ Pasqual. *num.2.*

396. Cum tamen Religiosorum alii sint adstricti ad perpetuam clausuram, ut quidam Monachi, & Moniales. Solent Pontifices in Jubilæi concessione, aut etiam in concessione aliarum Indulgentiarum hujusmodi. Religiosos excipere ab onere visitationis Ecclesiarum, aut aliorum operum, quæ clausuræ repugnant, imponendo eis aliud opus clausuræ proportionatum.

397. Reliqui Religiosi verò ad visitationem Ecclesiarum tenentur. Sed quid si superior nolit alicui Religioso concedere licentiam, ut Ecclesias visitet? Hujusmodi superiorem sine causa gravi negantem peccare mortaliter dicunt Bossius *d. sect. 4. casu 16. nu. 22.* & apud eum Leo, & Faustus, quem sequitur Pasqual. *d. quæst. 95. num.3.* quia in re gravi privat subditum emolumento spirituali, ad quod habet jus. Sed nihilominùs, si non est necesse visitare omnes Ecclesias designatas, potest superior limitare visitationem necessariam ad Ecclesias ex deputatis sibi benè visas.

398. Sed hujusmodi opinio sine sufficienti fundamento nimis gravat superiores, & sacrum obedientiæ vinculum enervat. Primò enim ubi adsit facultas, ut per Confessarium, vel alium commutentur pro impeditis opera injuncta, in alia proportionata impeditis, ex eo quod Superior negat licentiam, & nolit quod Religiosus impleat unum, vel alterum ex operibus injunctis, nullum facit præjudicium subdito, nec illum impedit ab assecutione Indulgentiæ, vel etiam à facultate, ut à reservatis absolvatur: quia totum potest consequi per opera commutata. Nedum ergo in hoc casu nòn peccat mortaliter superior, si non vult, quod subditus egrediatur à Conventu, ut visitet Ecclesias, sed ex genere non peccat etiam venialiter. Quamvis semper sit in individuo peccatum, si sine justa causa, & non ex fine honesto, quis operatur. Quod specialem rationem habet in Superiore, qui nedùm ex charitate, sed ex sui officii fidelitate tenetur bona communia rationabiliter dispensare, & non nisi ex utilitate boni communis, & subditorum in ea, quæ salutem illorum tàm spiritualem, quàm corporalem concernunt, illos dirigere.

399. Sed in terminis strictioribus loquendo etiam si superior nolit concedere subdito, ut visitet Ecclesias pro consecutione Indulgentiæ; adhuc considerari debet, quod Indulgentia essentialiter est bonum utile, quod non est necessitatis, sed supererogationis. Et quod Regulares præcipuè possunt quamplures alias Indulgentias acquirere, & quod propriis actionibus possunt sibi obtinere remissionem pœnæ, quam fert Indulgentia, quod quidem longè est melius. Et ampliùs quod hujusmodi Indulgentiæ communes, & communia beneficia requirentia opera externa extrà claustra competunt Religiosis, sed sub beneplacito, & licentia suorum superiorum. Et si est in libera subditi potestate acquirere, vel non acquirere Indulgentiam, non est extrà potestatem superioris velle, quod subditus ad acquirendam Indulgentiam operetur, vel non operetur ea quæ non potest operari sine licentia. Nec tenetur superior dare licentiam subdito ad quodcumque pium opus, aut ad quamcumque utilitatem spiritualem consequendam. Non igitur superior agit contrà justitiam etiam si sine causa nolit concedere licentiam necessariam ad hoc, quod subditus agat, ut indulgentiam consequatur. Poterit verò esse contrà fidelitatem sui officii, aut etiam contrà charitatem, sed privare subditum, ne possit operari ad unam Indulgentiam consequendam non est res notabilis nocumenti, nec materia peccati mortalis. Sed de hoc puncto dicam infrà *qu.64. & 65.*

400. Dicunt verò, quod in eo casu Religiosus non peccaret saltem mortaliter, si exiret, & Ecclesias visitaret. Quia præceptum superioris non est secundum regulam, & privat subditum jure, quod sibi competit ex concessione Summi Pontificis, & superior in hoc abutitur potestate, & ideò nulliter præcipit, quia potestas non se extendit ad injusta, & illicita. Ita Pasqual. *d. quæst.95 num.4.* Sed primo si admittit, quod in eo casu exire sine licentia ad visitandas Ecclesias est saltem peccatum veniale, jam ex hoc sequitur, quod Religiosus inutiliter exit, quia tunc accessus ad Ecclesias, ex quo esset peccatum veniale esset inutilis ad consequendam Indulgentiam, juxtà probata supra *quæst. 39.* Et si dicatur, quod peccatum accessus concomitanter se habere ad visitationem, quæ fieret per opus bonum scilicet per actum devotionis, & orationis, dicitur quod visitatio ipsa inficeretur, quia visitatio illa fieret in tempore, & loco prohibito, & contrà voluntatem superioris, & proveniret ex voluntate inobedienti, & mala. Sed præterea secundo, vel essemus in casu, in

quo

quo dubia esset justitia superioris negantis licentiam, vel illa judicaretur manifesta, & notoria. In primo casu subditus tenetur obedire, & præsumi debet pro justitia superioris, qui hujusmodi licentiam potest ex causa gravi negare, & causam non tenetur reddere; igitur subditus teneretur obedire juxtà ea quæ latius probavi *de Stat to.1.q.186. art.8.inspect.3. à pag.689.* At verò alia ex parte qualiter erit manifesta injustitia præcepti, si Prælatus non tenetur reddere causam sui præcepti, ut probavi *tom.1. de statib. d. art.8. num.125. pag. 662.* Sed hic injustitia locum non habet, aut latiùs probo *infrà quæst. 64.* Undè nec subditus habet jus proprium contrà superiorem, ut hoc, vel illud opus bonum operetur.

401. Sed prætereà additur hic nullum fieri subdito præjudicium, quia in hoc casu potest agere, ut per Confessarium commutetur sibi visitatio in aliud opus, ut apud eundem Pasqual. tradunt Armill. *verb. Indulgentia num.19.* Lavor. *part.1.cap. 21. num. 7.* Grat. *part. 2. num.11.* Fabrin. *cap.35. numer. 7. dub.16.* Sanctarell. *cap.4. dub.5.* Polach. *sect.41. num.9.* Boss. *sect.4. casu 16. num.23.*

402. Addit verò Pasqual. *num. 5.* Superiorem Regularem extrà Urbem posse intimare Jubilæum, & Ecclesias deputare. Et sic superior poterit deputare propriam Ecclesiam pro suis subditis. Sed de hoc alibi dicendum erit.

QUÆSTIO LIX.

Qualis debeat esse oratio, quæ pro Indulgentia acquirenda injungitur.

SUMMARIUM.

403 *Sufficit oratio mentalis.*
404 *Oratio injuncta pro Indulgentia qualiter sit publica.*
405 *Necessaria oratio vocalis quando injungitur.*
406 *Opinio aliquorum.*
407 *Oratio debet esse attenta.*
408 *Oratio debet esse devota, & pia.*
409 *Requiritur intentio virtualis finis intenti à Pontifice.*

403. PRimum dubium est, an hujusmodi oratio debeat esse vocalis. Et quidquid in contrarium dixerint Rodriquez *in Bullam §. 7. num. 2.* & Ludovicus a Cruce in eadem Bull. *disp. 1. cap. 8. dub. 13. num.6.* Palaus *tract.24. punct.5. num.3.* Lezana *verb. Jubilæum num. 17.* asseritur cum communi DD. sufficere etiam orationem mentalem. Navar. *not.32. numer. 48.* Filliuc. *tract.8. num.257.* Lavor. *part.1. cap.18. numer.6.* Trullench. *lib.1. in Bull. Cruc. §.6. dub.2. num.7.* Cardinalis de Lugo *disp.27. num.111.* Cotton. *lib.2. contr. 11. num.60.* Boss. *sect. 4. casu 17.* Botton. Fabrin. Polach. Leon. Cyrill. Francus, Homobon. Faustus, & Quartus, quos sequitur Pasqual. *quæst.98.* Nam oratio mentalis est propriè oratio, & quidem valdè perfecta. Imò ut habetur ex Hier. *in cap. Cantantes 93. dist.* oratio mentalis solam vocalem præcedit, & benè id advertit Gloss. quod non vox, sed votum, non chordula musica, sed cor, non clamans, sed amans cantat in ore Dei. Cum igitur Pontifex injungit orationem absolutè, intelligitur universaliter de oratione.

404. Nec obstat, quod oratio injuncta sit publica, quia licet oratio ista injungatur ex causa publica, & a publica potestate, & ad publicam utilitatem, tamen injungitur ut habenda privatim, & privato modo. Unde etiam vocalis sine publica solemnitate, & secretò haberi potest. Oratio quoque mentalis satisfactoria est, & posset injungi à Confessario in Sacramento pœnitentiæ. Et licet actus puræ mentales non cadant sub præcepto, tamen ab Ecclesia imponi possunt ut conditiones voluntariæ acceptabiles.

405. Quando tamen Ecclesia injungit orationem vocalem, ut recitationem Rosarii, aut septem Psalmorum, aut orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ, tunc non sufficit mentalis oratio, sed vocalis, illa scilicet, quæ injuncta fuit, est necessaria.

406. Dubium secundo est an hæc oratio debeat esse attenta. Pasqual. *quæst.97. num. 2.* existimat non esse necessariam in oratione pro Jubilæo formalem attentionem, sed sufficere, quod proveniat ex intentione fundendi præces Deo. Et hanc intendere DD. qui asserunt esse necessariam virtualem attentionem. Et fundatur in hoc, quod adhoc ut oratio sit impetratoria non est necessaria attentio, quæ requiritur solum ad refectionem mentis, ut docet D. Thom. *2. 2. qu. 83. art.13.* Sed hæc opinio falsò citat D. Thom. & est aliena à sensu communi DD. & ideò est rejicienda.

407. Doctores enim non confundunt intentionem orantis cum attentione. Nam intentio est actus voluntatis, & respicit finem, sed attentio est actus cognoscitivæ virtutis, & respicit verba, aut sensum vocum, aut etiam orationis finem. Non ergo ad rectè orandum sufficit intendere fundere præces, sed necesse est attendere præcibus, quæ funduntur. Quamvis non sit semper necessaria actualis attentio, per quam qui incipit orare, intendit nedum præces fundere, sed attendere vel ad sonum verborum, quæ funduntur, vel ad eorum sensum, vel ad orationis finem. D. Thom. verè expressè ibidem probat semper etiam ad impetrandum, necessariam esse aliquam ex præfatis attentionibus, vel formalem, & actualem, vel virtualem, quæ est communissima omnium sententia.

408. Oratio verò hoc modo attenta simul est, & devota, & pia. Devota, quia est actus Religionis in Dei cultum ordinata; pia verò, quia per eam redditur Deo debita reverentia: Si verò non sit attenta voluntariè, nec est devota, nec est pia, cum careat qualitate necessaria, undè non satisfit per eam menti Pontificum, qui orationem devotam, & piam requirunt. Ad summum autem dici posset valere illam, quæ solùm ex aliqua levi negligentia non esset attenta, juxtà dicta supra *quæst.39.*

409. De intentione verò jam dictum est suprà *quæst. 38.* necessariam esse intentionem acquirendi indulgentiam, & operandi ad finem, quem intendit Pontifex, sufficere verò, quod hæc intentio sit virtualis.

QUÆ-

QVÆSTIO LX.

Quanta debeat esse oratio ad effectum Indulgentiæ.

SVMMARIVM.

410 *Necessaria est oratio injuncta.*
411 *Non necessaria litania impressa.*
412 *Ubi oratio injungitur indefinitè sufficit qualibet, & in quocumque idiomate.*
413 *Sufficere minimam orationem quidam dicunt.*
414 *Alii hoc negant.*
415 *Hujus sententiæ solvuntur.*
416 *Utraque sententia.*
417 *Longa oratio de consilio est.*
418 *Eadem oratio sufficit pro omnibus.*

410. Certum est, quod ubi in concessione Jubilæi, aut Indulgentiæ imponitur certa oratio, illa habenda est omnino, ita quod nedum non sufficiat alia æquipollens, sed nec longè major, unde si imponitur v. g. Rosarium B. Virginis, non sufficit dicere aliam orationem quamcumque.

411. Certum quoque est, quod licet in Jubilæis soleant imprimi Litaniæ Sanctorum, & aliæ præces tanquam recitandæ pro visitatione Ecclesiarum, nihilominùs hujusmodi editio non obligat, quod advertunt etiam Navar. Miscellan. 60. *de tract. Orat.* Henriq. *lib. 7. cap.* 10. *num.* 3. Leon. *par.* 1. *nu.* 173. Bossius *sect.* 4. *casu* 17. *nu.* 17. Faustus *l.* 4. *quæst.* 16. Quartus *cap.* 2. *par.* 3. *ponder.* 2. *dub.* 2. Pasqual. *quæst.* 99. *num.* 2. quia in Bulla concessionis Jubilæi illæ præces non imponuntur, & standum est determinatis in Bulla.

412. Tertio quoque certum est, quod ubi in concessione Indulgentiæ non est determinata quantitas, & qualitas orationis, sed solum absolutè, & indefinitè injungitur oratio, quod est in libertate cuiuscunque eligere sibi orationem sive hæc sit oratio Dominica, & Salutatio Angelica, sive aliquis Psalmus, sive officium aliquod divinum ab Ecclesia approbatum, sive quæcumque alia oratio. Et sive hæc sit in lingua Latina, sive Græca, sive Hispanica, &c. Navar. *not.* 32. *num.* 48. Diana *part.* 5. *tr.* 12. *ref.* 33. Bossius *sect.* 4. *cap.* 17. *num.* 15. & 20. Leand. *tract.* 5. *disp.* 14. *quæst.* 65. Non interest quoque, an oratio fiat stando, vel sedendo, vel cooperto capite, vel cum socio alternatim recitando præces, sed sufficit, quod oratio sit devota, & pia.

413. Sed difficultas est de quantitate orationis, an sufficiat qualibet minima quantitas, ut v. g. una oratio Dominica, vel Salutatio Angelica. Sufficere enim minimam quamcumque orationem tenent Suarez *disp.* 52. *sect.* 8. *num.* 5. Navar. *not.* 31. *num.* 35. & *not.* 32. *num.* 48. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 10. Bonac. *disp.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 5. *num.* 19. Filliuc. *tract.* 8. *cap.* 6. *n.* 164. & 165. Leo, Rodriq. Fabrin. Cæsar. Lavor. Bottonus, Trullench. quos sequitur Leand. *d. qu.* 65. Ex quibus Trullench. determinatè ait sufficere unam orationem Dominicam, & Angelicam, quod non probare Mendum ait ibi Leander. Hos etiam sequitur Diana *par.* 5. *tract.* 12. *resol.* 33. Bossius *sect.* 4. *casu* 16. *num.* 15. Ratio est, quia qualibet brevissima oratio, si sit devota, & pia sufficit ad verificandam conditionem in concessione positam. Tum quia Paulus Tertius in Bulla *licet debitum* 1549. concessit visitantibus Ecclesias Societatis, & recitantibus semel orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam Indulgentiam plenariam.

414. Sed alii existimant non sufficere orationem notabiliter modicam. Ita Rodriq. *in Bull.* §. 7. *num.* 13. Polach. *sect.* 42. *nu.* 57. Coninch. *disp.* 12. *d.* 6. *nu.* 34. Quartus *cap.* 2. *punct.* 3. *pond.* 2. *dub.* 2. quos sequitur Pasqual. *qu.* 99. *nu.* 5. Et probatur quia oratio nimis modica non est proportionata ad finem intentum à Pontifice. Tum quia minima oratio regulariter est sine fervore. Tum quia minima non sunt in consideratione. Tum quia oratio non solet à Deo exaudiri, nisi sit perseverans. Tum quia praxis Ecclesiæ est, ut pro re gravi longam orationem instituat. Tum quia ordinata ad aliquod magnum obtinendum, debet esse major. Tum quia ubi difficilior est impetratio, major vis impetrativa adhibenda est.

415. Hæc tamen non probant. Non quidem primum, quia ex vi concessionis Jubilæi non est necessaria oratio magis fervida, quam sit oratio devota, pia, & attenta. Non secundum, quia in Jubilæis, & aliis concessionibus Ecclesia non fundat se in oratione unius, sed in præcibus plurium iteratis, ac iteratis, & sic ad hoc sufficit, quod singuli quid modicum adhibeant; sic enim ex illorum multitudine consurgit oratio perseverans, & magna, & efficacissima. Non tertium quia quod est impositum ab Ecclesia pro obtinenda gratia, quam desiderat, est oratio plurium, quæ magna consurgit ex modicis. Undè patet responsio ad quartum, & quintum.

416. Nihilominùs benè consideranda sunt verba literarum Apostolicarum. In Jubilæo Anni 1655. oratio injuncta fuit, ut habenda per aliquod temporis spacium, & sic non erat sufficiens oratio, quæ esset vel haberi posset ut momentanea. Advertendum etiam est ex Navar. & aliis, ut oratio tanta sit, ut censeri possit complere justam causam concessionis Indulgentiæ. Et per hoc utraque sententia conciliari potest, sed neque præteriri debet, quod adducebatur ex Paulo Tertio *in Constit. licet debitum* 48. *in Bull. Rom. ubi* §. 30. conceditur Indulgentia plenaria visitationibus aliquam Ecclesiam Societatis semel in Anno à primis vesperis usque ad occasum solis diei eligendi à Proposito Generali, & recitantibus semel orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam. Ex hoc enim habetur, quod unica recitatio orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ non est adeò parva, quæ non sufficiat pro consecutione plenariæ Indulgentiæ.

417. Consulendi sunt etiam fideles, ut pro posse longiores præces fundant. Sed quod ubi necessitas aliqua urget, non sufficiat minima oratio modo explicato; si expressè non est injuncta major; non credo. Si enim quis in puncto post minimam orationem moreretur, non esset dicendum, illam orationem non fuisse sibi sufficientem ad effectum lucrandi Jubilæum, si alia opera injuncta perfecisset. Et tamen fructum Jubilæi non obtinuisset, si minima oratio non fuisset sufficiens.

418. Non approbo tamen, ut infrà latiùs dicam, quod habet Navar. loco citato scilicet quod ex devotione orantis parva oratio possit fieri tanta quanta sit justa, & necessaria. Neque enim ex mensura devotionis colligi potest injuncti operis quantitas, quæ æqualis exigitur ab omnibus.

QUÆ-

QUÆSTIO LXI.

An sufficiat Oratio alias debita.

SUMMARIUM.

419 *Non sufficit oratio ex alia causa debita.*

419. EX dictis supra *quæst. 33.* soluta est hæc quæstio, & ideò quidquid in oppositum dixerint Diana *par. 5. tract. 12. res. 33.* Leand. *tract. 5. disp. 14. quæst. 66.* dicitur non posse satisfieri Jubilæo, aut aliæ Indulgentiæ per orationem aliundè ex vi cujuscumque virtutis debitam, nisi id in literis Apostolicis fuerit concessum.

QUÆSTIO LXII.

An quando injungitur eleemosyna sit danda etiam à Pauperibus.

SUMMARIUM.

420 *Non sufficit eleemosyna spiritualis.*
421 *Pauper tenetur ad eleemosynam.*
422 *Plures modi faciendi eleemosynam.*
423 *Non sufficit, quod pauper det Confessori eleemosynam distribuendam, qui illam tribuat eidem pauperi.*

420. NOn semper injungitur eleemosyna pro Jubilæo. Nam in Anno Sancto Pontifex hortatur quidem ad eleemosynam, sed eam non injungit cum obligatione; Ubi tamen injungitur non sufficit eleemosyna spiritualis, quæ non venit sub nomine eleemosynæ in sermone communi, sed est necessaria eleemosyna temporalis.

421. Quo stante dubium est, utrum ad illam teneantur pauperes, qui nihil superflui habent, imò & necessariis carent. Cum autem id negent Navar. *Miscell. 94. de orat. numer. 2.* Henriquez *lib. 7. cap. 10. numer. 6.* Leander *quæst. 33.* Graff. Fernandez, & Henriquez, & Faustus, quos refert Diana *part. 5. tract. 12. resol. 13.* qui id probabile judicat, eo quia eleemosyna est impossibilis pauperibus, conditio autem impossibilis habetur pro non adiecta. Nihilominùs dicendum est eos teneri ad eleemosynam, si volunt lucrari Jubilæum. Ita Botton. *in Bulla Sixti V. verb. eleemosynam erogent prop. 2.* Lavor. *part. 1. cap. 19. num. 6.* Leon. *part. 2. num. 72.* Sanctarell. *cap. 7. d. 1.* Bossius *sect. 4. cas. 21. numer. 3* Gobat. & alii, quos sequitur Pasqual. *quæst. 127. numer. 5.* Et ratio est tum primo, quia nullus est tam pauper, & mendicus, qui erogare non possit, quid minimum, vel unum scilicet obolum, unum minutum, quod pauperi sufficit, ut habemus ex Vidua Evangelii, quæ cum duo minuta dederit à Christo dicta est plus dedisse, quam divites. Tum secundò quia in gratuitis, & dono datis non valet illa regula, quod conditio de se possibilis, & impossibilis huic vel illi, non censeatur adiecta Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 4. numer. 14.* nisi forsan concedens ex certa scientia donet ei, cui est impossibilis conditio, & *Passerini de Indulgentiis.* habemus in proposito exempla clarissima in jejunio impossibili infirmis, & visitationi Ecclesiarum impossibili Monialibus, carceratis, &c. quos Pontifices ubi volunt esse exceptos, id exprimunt. Et nihilominus ab omni opere injuncto non eximunt, sed eis opera possibilia ab ipsis loco impossibilium imponunt. Ex eo igitur quod pauper aliquis non possit facere eleemosynam non fit, quod injunctio eleemosynæ non obliget.

422. Non desunt etiam alii modi, quibus pauper possit lucrari Jubilæum, vel si verè non potest eleemosynam facere petendo, ut sibi eleemosyna commutetur in aliud opus, vel procurando, quod alius faciat eleemosynam pro illo.

423. Arbitratur etiam Pasqual. *d. quæst. 127.* ex Boss. *d. casu 21. numer. 7.* & Gobat. *cap. 29. numer. 215.* sufficere, quod Confessarius eleemosynam erogandam applicet ipsi pauperi. Quia tunc pauper dat Confessario eleemosynam, ut illam distribuat, & Confessarius illam distribuit, & dat eidem pauperi. Sed hæc est ficta eleemosyna non realis. Et in eleemosyna ut satisfactoria non tantùm attendi debet, quod eleemosyna detur pauperi, sed quod ea sit privatus, qui illam dat, & translatum fuerit dominium in pauperem. In hoc verò casu pauper nihil dat, sed fingit dare; semper enim dominium eleemosynæ datæ Confessario manet apud pauperem dantem, donec eleemosyna detur alteri; & in eo transferatur dominium.

QUÆSTIO LXIII.

Utrum Uxores, filii familias, servi, &c. teneantur ad largiendam eleemosynam injunctam pro Indulgentia.

SUMMARIUM.

424 *Qui habet alios sub potestate tenetur ex honestate ad faciendam pro illis eleemosynam, ut acquirant Indulgentiam.*
425 *Uxores, filii, &c. tenentur ad eleemosynam, ut lucretur Iubilæum.*
426 *Nec furtivè ad hunc finem possunt aliquid subripere.*

424. QUi habent aliquos sub potestate tenentur vel ut ipsi pro illis eleemosynam faciant, vel ut dent illis commoditatem eleemosynam largiendi, quia non debent impedire suos à consecutione Jubilæi, aut Indulgentiæ. Hoc tamen debitum est ex honestate. Quia lucrari Indulgentiam non est de necessitate; unde si is, qui habet alios sub se, sciat, non tenetur lucrari Indulgentiam pro se ipso, sic nec tenetur agere ut per suos acquiratur. Neque intrat hic obligatio charitatis, quia sui non sunt in extrema, aut gravi necessitate. Quoniam per propria opera possunt satisfacere divinæ justitiæ, ut sibi remittatur pœna. Tum quia regulariter non desunt Indulgentiæ, quæ acquiri possint sine eleemosyna. Tum quia ubi est indultum, quod impeditis possint commutari opera, sicut in Jubilæis universalibus regu-

lariter conceditur; possunt subditi lucrari Jubilæum sine eleemosina, si illam facere non possunt.

425. Quamobrem dicitur, quod uxores, filii familias, servi, &c. si volunt lucrari Jubilæum tenentur vel eleemosynam facere, si possunt, vel si non possunt, impetrare tenentur commutationem eleemosynæ in aliud opus pium, vel procurare, ut alius eorum nomine eleemosynam faciat. Quamplures verò sunt casus, in quibus eleemosynas dare possunt uxores, filii, vel etiam servi, ut videre est apud DD. de eleemosyna tractantes.

426. An verò possint aliquid furtim accipere à marito, vel patre affirmant Boss. *sect.4. casu* 21. *numer.*19. Pasqual. *quæst.*100. *num.*3. Sed dicitur, quod ubi aliàs non possint, nec possunt intuitu Jubilæi acquirendi, quia sine eleemosyna facillimè possunt lucrari Jubilæum petendo commutationem eleemosynæ sibi impossibilis in aliud possibile opus. Et quia non tenetur Maritus, aut Pater, aut Dominus ex justitia dare eleemosynam ad finem, ut uxor, filius, vel servus lucretur Indulgentiam. Numquid enim tenebitur Maritus Romæ ubi quotidie est Indulgentia dare licentiam, ut uxor, vel filius, vel servus, quotidie circumeat, ut Indulgentiam acquirat. Considerandum enim est semper, quod hujusmodi homines, qui sunt sub potestate alterius, non habent jus ad quemcumque actum supererogationis, quod sit utile animæ. Quamobrem nec habent jus ad hoc ut pro Indulgentia acquirenda illi, sub quorum potestate vivunt, vel dent eleemosynam, vel licentiam aliàs necessariam dent ad opera supererogationis pro acquirenda Indulgentia necessariis, nisi ex consuetudine aliqua, vel alio titulo, vel quia sumus in casu, in quo v. g. eleemosyna hujusmodi computanda sit inter sibi necessaria ad alimentum, victum, secundum conditionem personæ. Et considerandum est etiam, quod Indulgentiæ conceduntur sine præjudicio juris tertii; ideò non licet furari pro acquisitione Jubilæi.

QUÆSTIO LXIV.

Quid facere possit Religiosus, si Superior nec velit dare pro illo eleemosynam requisitam pro Jubilæo, nec permittere, ut ex concessis sibi ad usum ipse illam det.

SUMMARIUM.

427 *Regulares tenentur ad eleemosynam pro Jubilæo.*
428 *Opinio quorumdam.*
429 *Religiosus non potest aliquid subripere, ut faciat eleemosynam.*

427. QUæstio supponit, quod Regulares teneantur juxta exigentiam Bullæ concessionis Jubilæi facere eleemosynam ut lucrentur Jubilæum Card. de Lugo *disp.*27. *num.*116. Bossius *sect.*4. *casu* 21. *numer.*11. Leand. *tract.*5. *disp.*14. *quæst.*54. Pasqual. *quæst.*129. apud eum Botton. Nam ex Religiosis nedum illi, quibus conceditur aliquid ad usus honestos, possunt de illo facere eleemosynam, & nedùm pro suis eamdem facere possunt Conventus possidentes bona in communi, sed etiam illi, qui nihil in communi possident; possunt enim eleemosynam facere de illis, quæ ad illorum usum concessa sunt, sicut etiam de facto faciunt, & faciendo transferunt verum dominium in pauperes, quibus eam tradunt. Et quatenus eleemosynam facere non possent nec per se ipsos, nec per alios possent petere commutationem eleemosynæ in aliud opus, & ad id tenerentur.

428. Hoc supposito difficultas est, quid facere debeat Religiosus, qui nihil habet, quod tribuat, & Superior de bonis Monasterii eleemosynam facere non vult, imò nec tribuere licentiam, ut aliquid accipiat ab alio, ut eleemosynam faciat. Aliqui arbitrantur, quod Religiosus in hoc casu possit clam aliquid accipere de bonis Monasterii, & de eo eleemosynam facere. Ita Diana *par.*5. *tract.*12. *ref.*31. Bossius *sect.*4. *casu* 21. *numer.*14. Pasqual. *quæst.* 129. *num.*6. Quintanad. apud Leandrum. Tum quia illa voluntas non est voluntas Superioris, quæ irrationabilis est. Tum quia Religiosus habet jus ad bona Monasterii secundum mensuram Regulæ, unde si usus talis sibi injustè denegatur, potest propria auctoritate alienare de bonis Conventus. Sed hæc sententia falsa est proculdubio, & DD. citati inconsequenter loquuntur. Nam cum in Bulla Jubilæi contineatur facultas commutandi opera injuncta pro impeditis, in aliud opus impeditis proportionatum; potest Religiosus si undequaque sit impeditus, petere commutationem eleemosynæ in aliud opus, & sic illi ad effectum lucrandi Jubilæum non est necessaria; nullum ergo jus sibi remanet, ut sine licentia faciat eleemosynam de bonis Religionis. Et ideò quod ad hunc finem non possit aliquid subripere dixerunt Card. de Lugo *d. disp.* 27. *numer.* 116. Palaus *d. tract.* 25. *par.* 2. *numer.* 10. Leander *d. quæst.* 52. & apud eum Graff. Homobonus, Leo, & Botton. occasione autem hujus difficultatis.

QUÆSTIO LXV.

An Superior Regularis teneatur cooperari, vel dare licentiam subdito ad operandum quæ non potest operari sine licentia ad hoc ut subditus consequatur Indulgentiam.

SUMMARIUM.

430 *Opiniones aliquæ.*
431 *Impugnantur præfatæ opiniones.*
432 *Intentio quæstionis, & ratio difficultatis.*
433 *Religiosus non habet jus ut à Superiore non impediatur ab hoc vel illo opere, quod sit consilii.*
434 *Qualiter subditus non teneatur obedire in omnibus licitis.*
435 *Obedientia reddit actum meliorem.*
436 *Religiosus non habet jus, ut Prælatus illum adjuvet ad quodlibet opus consilii.*
437 *Nec ut Prælatus det illi licentiam pro quacumque*

que spirituali utilitate.

438 Nec ut Prælatus cooperetur illi ad lucrum Indulgentiæ.

439 In his potest Prælatus & Iuri suo: uti sufficit si non adsit causa, quæ illum necessitet.

440 Quod maximè verificatur in Indulgentiis.

441 Indulgentiæ non sunt in relaxationem disciplinæ regularis, ut docet D.Thom.

442 Quod jus competat subdito ex Bullis concessionis Indulgentiarum.

443 Quod est expressè concessum à Pontifice non potest negari ab inferiore.

444 Concessio conditionalis non dat concessionario possibilitatem ad conditionem, & Ius contrà tertium.

445 Supponit possibilitatem conditionis.

446 Concessio Indulgentiæ non dat jus contrà tertium ad opera injuncta.

447 Rescriptum Papæ non præjudicat tertio.

448 Triplex casus distinguitur in Religioso. Prælatus non tenetur cooperari ad Indulgentiam nisi ex causa.

449 Prælatus potest punire qui exiit sine licentia.

450 In quo sensu Prælatus dici possit peccare si non dat licentiam ad opera injuncta.

451 Solvuntur obiecta.

452 Bullæ Pii Quinti, Clementis Octavi, & Urbani Octavi ponderantur.

453 Qualiter Prælati debeant esse benigni, & faciles ad concedendam facultatem absolvendi.

454 Privilegium Iulii Secundi, & Iulii Tertii pro Prædicatoribus.

455 An sit privilegium communicabile.

456 Opinio quorumdam.

457 Sub generali indulto absolvendi non comprehenduntur Regulares.

458 In generali concessione non veniunt speciali nota digna.

459 Mendicantes non possunt absolvere exemptos.

460 Indulto absolvendi non utuntur Regulares nisi in eo derogetur privilegiis.

461 Privilegiis non derogatur nisi fiat eorum mentio.

462 Privilegio Regularium inserto in corpore Iuris derogatur non facta mentione.

463 Aliorum privilegiorum debet fieri mentio.

464 Ex privilegio Iulii Secundi, Prædicatores non possunt uti Indulgentiis sine licentia.

465 Opinio aliquorum.

466 Inobedienter exequens opera injuncta an lucretur Indulgentiam.

467 An validè absolvatur.

430. LOquendo de Jubilæo Anni Sancti communis sententia est, quod Religiosus non potest sine licentia Superioris venire Romam, ut lucretur Jubilæum. Habet hoc fundamentum, in doctrina D.Thom. *4.dist.20. quæst.1. art. 5. quæst.2. ad 2.* seu *3. part. in supplement. quæst.27. num.2.* & docent Adrian. *de Indulg. conclus.3.* Sylvius *in 3. part. ad d. quæst.27. artic.2.* Navar. *not.18. num.19.* Suarez *disp. 52. sect. 2. numer.4.* Armilla *verb. Indulg. num. 15.* Filliuc. *tract. 8. cap.6. numer.138.* Sanctarell. *de Iubil. cap. 4. dub.5.* Bossius *sect.4. casu 22. §. 4. numer. 38.* Lavor. *part.1. cap.22. numer. 7.* Gabriel, Medina, Benzon. Fabrin. & Capucin. Bossius, Lavor. quos sequitur Pasqual. *quæst.25.* Lezana *in v. Iubilæum num.4.* Idem verò dicitur de Uxore, filio, servo, Parocho, & quocumque alio obligato ad residentiam, seu qui sine licentia non potest à loco domicilii discedere, & Romam venire. Sanctarell. *ubi supra*: An verò Superiores teneantur subdito dare licentiam veniendi Romam pro acquirendo Jubilæo affirmant Fabrin. *capit. ult. dub. 17.* Lavor. *part. 1. cap.12. numer. 7.* quos sequitur Bossius *sect.4. casu 22. §.4. numer. 41.* Pro hac sententia autem Bossius citat Gloss. *in extravag. Antiquorum in verb. Consuebuntur vers. quæritur, an Abbas de pœnit. & remiss.* Sed id Glossa non dicit, quæ solum probat, quod Abbas eam licentiam potest concedere, sed non dicit quod teneatur. Admittunt tamen hanc licentiam posse negari ex rationabili causa. Sed Pasqualig. hoc negat de Religiosis, qui sunt extra Urbem, & ab ea valdè distant; admittit verò de Religiosis existentibus in Urbe, vel in loco ei propinquo taliter quod sine incommodo Religionis potest Religiosus Romam venire, & Jubilæum acquirere.

Passerini de Indulgentiis.

431. Loquendo autem de Bulla Cruciatæ necessariam esse licentiam Superioris fatentur communiter, sed Superiorem non posse sine rationabili causa hanc negare, dicunt Villalobos, & Acosta, quos sequitur Diana *par.1. tract.11. res.99.* Trullench. *in Bullam Cruciatæ §.8. numer.11.* Serio *disput. 1. diff.10. §. 8. numer.11.* Et apud eum Bardus. Et hos partim sequitur Lezana *verb. Bulla Cruciatæ num.3.* qui in hoc dissentit, quia non admittit, quod negare hanc licentiam sine causa sit peccatum mortale, sed solum veniale. Distinguuntur etiam, quia aliqui volunt, quod si licentia accipiendi Bullam irrationabiliter negetur, possit Religiosus de bonis Monasterii subripere, quod opus est, ut det in eleemosynam pro Bulla. Sed hoc communiter rejicitur, quia Monasterium non tenetur dispensare bona sua ad hoc, quod subditus quodlibet opus pium prosequatur Palaus *tr.25. punct.2. numer.10.* Leand. *d. num. 3.*

432. At loquendo de Jubilæo extraordinario, quod Superior peccet mortaliter, si subdito neget licentiam visitandi Ecclesias, tradiderunt Leo, & Faustus, & post eos Pasqual. *quæst.95.* Bossius *sect. 4. §.16. numer.21.* Possunt verò hujusmodi opiniones comprobari, quia Pontifex concedendo Indulgentiam, maximè si concedit eam expressè etiam pro Regularibus, videtur simul concedere eis facultatem omnia faciendi, quæ pro acquirenda Indulgentia imposita sunt. Ipse enim est summus Prælatus Regularium, qui si concedit facultatem ad finem, non potest non concedere facultatem ad media necessaria. Præterea Religiosus in professione non amisit Jus ad ea, quæ animæ suæ utilitatem ferunt, & ideò Prælatus non potest impedire illum ab hujusmodi acquirendis.

433. Verùm si hæc doctrina est vera, verum quoque erit quod Superior Regularis teneatur subdito dare licentiam ad quodcumque opus pium, & ad quamcumque spiritualem utilitatem, & sic tenebitur permittere subditis ut exeant à domo ad lucrandam quamcumque Indulgentiam, aut extra Conventum manendi, & tractandi cum secularibus propter quamcumque suam spiritualem utilitatem, & intrà claustrum operandi quodcumque sibi placuerit, quod sibi ad animam sit quomodocumque utile. Et si id non permittat Superior, poterit subditus invito superiore id agere, & adeò, ut si sit opus pecunia possit de bonis

Conventus, quod opus fuerit clam subripere. Quæ protsùs absurda sunt.

434. Cum igitur in præsenti tota vis difficultatis in hoc consistat, an cum Indulgentia secum ferat magnam spiritualem animæ utilitatem, subditus habeat Jus contrà Prælatum, ut ab illius utilitatis consequutione non impediatur, imò ut Prælatus ei in hoc cooperari teneatur dando id, per quod possit tantam spiritualem utilitatem lucrari, videndum est an hoc jus cum petat subdito vel ex jure aliquo naturali, aut divino, vel potiùs ex aliquo jure humano, & positivo. Videtur autem primo, quod hoc ex naturali, simulque divino jure hoc competat, quia subditus habet jus, ut non impediatur in iis, quæ perfectionis sunt, & quæ propriam salutem concernunt. Nam subditus factus fuit Religiosus intuitu perfectionis acquirendæ, & Religio est status perfectionis, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 184. art. 5.* Ideò Religiosi ex eorum statu tenentur tendere in perfectionem; quia imò status Religiosus non est nisi deputatio, & obligatio ad ea, quæ sunt perfectionis, ut dixi *tom. 1. de stat. quæst. 184. art. 4. nu. 7.* igitur Religiosus habet jus, ut in illis, quæ perfectionis sunt, non impediatur, cum itaque acquisitio Indulgentiæ, quæ importat magnam animæ utilitatem, conducat non parum ad perfectionem, Religiosus habet jus, ut non impediatur à consecutione illius, sed potiùs adjuvetur.

435. Verùm considerandum est, quod eorum, quæ ducunt ad perfectionem alia sunt præcepti, & alia sunt in consilii, & ista vel considerantur in communi, vel individuo. Item etiam distingui debet inter non impedire, & cooperari ad aliquid. Cum vero sit certum, quod Religiosus habet jus ut non impediatur ab illis actionibus tendentibus ad perfectionem, quæ sibi sunt de præcepto. Et licet etiam indubitatum sit, quod Religiosus à Superiori nòn potest impediri ab omnibus operibus consilii, & supererogationis. Nam imò, & de jure naturæ, & de jure Regulæ Religiosus tenetur semper aliquid agere, & numquam esse otiosus, & agendo nunquam agere malum, & sic tenetur semper agere; & agere in Dei honorem, & gloriam, imò agere id, quod in individuo judicat meliùs, quia nonnulla culpa est, relicto meliori bono in individuo, eligere minùs bonum, ut probavi *d. quæst. 184. art. 3. à num. 47.* Nihilominùs Religiosus non habet proprium jus Justitiæ, ut non impediatur à Superiore ab hoc, vel illo opere consilii, & supererogationis, relicta sibi facultate aliud agendi ad Dei gloriam, & honorem. Nam cum in professione Religiosus se tradat Religioni tanquam in filium, & in servum, imò magis quam in filium, & in servum, quia Deo se offert in sacrificium, & sic in totum se ipsum abnegando se obliget Deo sub magisterio, & regula, & directione Religionis, & Prælatorum ejus, ut probavi *d. tom. 1. de Statibus quæst. 188. art. 6. numer. 13. & sequent.* manifestum est, quod contrà statum Religiosum esset, & contrà votum obedientiæ, si subditus prætenderet jus contrà Prælatum, ut non possit Prælatus hic, & nunc illi prohibere hanc actionem bonam, relicta ei facultate aliud agendi.

436. Dices subditum non teneri obedire prælato in omnibus omninò in singulari, etiam si licita sint, & sine peccato fieri possint, quia subditus tenetur solùm ad regulam, & sic ad ea, quæ sunt secundum regulam, non autem universalissimè ad omnia etiam si licita sint. Materia enim voti obedientiæ est restricta ad regulam juxtà ea, quæ à me probata sunt *d. tom. 1. de statib. quæst. 186. art. 8. dub. 17. numer. 218. & sequent.* Ubi ergo Regula relinquit subdito indifferentiam operandi hoc, vel illud bonum; operationes enim, quæ ex regula imponuntur suum tempus habent, præter quod relinquitur subditus in sua libertate, non ut otiosus sit, sed ut Deo operetur prout sibi bonum visum fuerit, ubi inquam subditus ex regula hanc indifferentiam agendi habuerit, non poterit Prælatus impedire subditum, quin agat bonum ad sui electionem, & voluntatem. Respondetur tamen, & admisso posse aliquando dari opus in individuo, à quo subditus non possit impediri per superiorem, dicitur, juxtà considerata loco citato, quod hoc verificatur in casu, in quo cessatio ab illo opere, vel ex circumstantiis superiori occultis, & ei non manifestandis sit mala, vel certè minùs bona in individuo omnibus omninò pensatis. Sed hoc dato jam illud opus in eo casu est aliqualiter de præcepto. Quia enim judicium de meliori opere in individuo ob circumstantias occultas, quæ manifestare vel non est possibile, vel non licet, commissum est operanti, ideò in his casibus potest aliquando subditus agere aliquid contrà voluntatem Prælati.

437. Ad quod facit quod obedientia regulariter, & ferè semper facit, quod vel abstinentia ab opere, quod aliàs est de consilio, vel opus injunctum ex objecto bonum, sit quid meliùs in individuo; quo posito inarat aliquo modo tam lex divina, quam regula, & obedientia, secundum quam subdito potest præcipi opus, quod in individuo verè est meliùs, quia hoc præceptum evidentissimè est secundum regulam.

438. Verùm, ut dictum est, aliud etiam est impedire opus bonum subditi, quod tantum est de consilio, & aliud est illi non cooperari, seu non dare illi auxilium. Nam manifestum est nullum subditum habere jus contrà Prælatum suum, ex quo Prælatus necessitetur ad cooperandum subdito, & ad præbendum subdito auxilium positivum ad illum actum, qui in subdito omnibus pensatis est liber à necessitate præcepti, & est solùm de consilio. Undè enim subditus hanc necessitatem colligere poterit contrà Prælatum? Et considerari debet, quod si subditus Religiosus est impotens ad aliquod opus, quod sit de consilio, v. gr. ex quo non potest facere eleemosynam, vel peregrinari, vel docere, vel quodcumque opus simile agere in casu, in quo hujusmodi opera sunt de consilio; Religiosus nihil perdit, sed maximè lucratur, quia meretur nedum faciendo aliud opus, sed etiam desiderando facere opus bonum, quod aliàs facere non potest, & sic nihil perdit, sed si vult summopere meretur, & acquirit.

439. Addas quod hoc maximè verum est de opere, quod non est secundum regulam, sed imo est à regula prohibitum haberi nisi ex causa, & de licentia Superioris. Et ita ad hoc ut Religiosus operetur ad sui spiritualem utilitatem opus, quod est illi liberum, & de consilio, & nullo modo ex præcepto, non tenetur Superior dispensare in lege, vel concedere licentiam subdito aliquid agendi, quod aliàs est regula prohibitum, ut est concedere licentiam exeundi à claustro, aliquid donatum recipiendi, vel aliud aliquid simile faciendi. Et ut dicebatur, non

est in

est in hoc pejor, sed longè melior conditio Religiosi, cui est ampla facultas ad opera Deo gratissima, & cui ipsa impossibilitas orta ex voto, & obedientia illi servit ad maximum meritum, & lucrum, si velit.

440. Manifestum igitur est, quod subditus contrà Prælatum suum non habet jus, ex quo necessitet Prælatum ad dandam illi licentiam ad opera aliàs illi prohibita, imò nec ad cooperandum illi, & dandum auxilium ad opera perfectionis, quæ solùm sunt de consilio; imò non habet jus ad necessitandum Prælatum, ut non prohibeat illi, & non impediat illum à quocumque opere ferente utilitatem spiritualem, in illis diebus, in quibus illud opus subdito non est de præcepto, sed solùm de consilio.

441. Dices ad minus, Prælatus non potest vel hujusmodi auxilium negare, vel hujusmodi opus prohibere, aut impedire sine causa. Sed respondetur ad hoc nullam causam requiri per se, & ex obiecto, & ex proprijs; quia non requiritur causa ad hoc, ut Prælatus utatur jure suo, & faciat, vel non faciat id, ad quod faciendum non tenetur, sed sufficit, quod Prælatus id faciat, vel non faciat, quia vult uti jure suo, & quia non tenetur facere, vel non facere. Et sic si Prælatus non vult cooperari subdito ad aliquod opus consilii, vel vult illud opus impedire, sufficit, quod in hoc velit uti jure suo. Quamvis postea ex causa generali nihil fieri possit sine causa, & honesto motivo. Et in proposito nostro quamvis Prælatus teneatur inspicere ad profectum subditorum etiam in his, quæ sunt consilii, ad hoc tamen non tenetur ex justitia commutativa, & ex jure subditi, qui se sua libertate privavit, & proprium velle, & nolle tradidit Prælato, sed ex fidelitate, & Religione officii sui, ex qua tenetur primo bonum sui ordinis promovere, & secundum illud utilitati subditorum etiam privatæ prospicere. Verùm jam ad hoc ut in his, quæ sunt consilii, Prælatus teneatur facere, quod desiderat subditus, non sufficit, quod non adsit causa id negandi, sed requiritur quod adsit causa necessitans ad concedendum; Nam hac deficiente concedere est arbitrarium Prælato, qui non tenetur concedere totum id, quod posset concedi.

442. Hæc autem maximè locum habent in Indulgentia, etiam plenissima, & in quocumque amplissimo Jubilæo. Tum primò quia ubi opera injuncta pro Jubilæo possint à confessario commutari quantumcumque ex quacumque causa illa subdito sint impossibilia, & Prælatus ad ea neget licentiam, Religiosus poterit de facili obtinere commutationem in alia opera, ad quæ non est Prælati necessaria licentia. Tum secundo, quia privatio acquisitionis unius Indulgentiæ, vel Jubilæi non est quid valdè notabile, cum non desint Religiosis aliæ Indulgentiæ etiam plenariæ, quas possint acquirere. Tum tertio quia Indulgentia non est nisi remissio pœnæ temporalis, quam Religiosus cum suo lucro multò majori potest obtinere per propriam satisfactionem, cum hoc sit longè melius, & in infinitum melius. Tum quarto, quia pœna à qua liberat Indulgentia non imminet de præsenti, sed luenda est in alia vita, si Religiosus hic non satisfaciat, unde poterit Religiosus acquirendo Indulgentias, quæ Religiosis sunt concessæ, & quæ sunt concessæ eius Ecclesiis obtinere illius pœnæ temporalis remissionem. Et in casu mortis repentinæ adhuc invocando nomen Jesu corde, si ore non potest, lucratur Indulgentiam plenariam in terminis concessionis Pauli Quinti.

443. Et debet Religiosus semper habere in consideratione verba illa D. Thomæ 4. *dist.20. quæst. 1. art. 5. quæst. 2. ad 2.* ibi: *Dicendum, quod propter Indulgentias non debet dissolvi regularis observantia, quia Religiosi magis merentur religionem suam servando quantum ad præmium vitæ æternæ, quam Indulgentias exequendo; quamvis minùs quantum ad dimissionem pœnæ, quod est minùs bonum.* Et ibidem *art. 3. quæst. 2. ad 2.* *Dicendum, quod quamvis hujusmodi Indulgentiæ multum valeant ad remissionem pœnæ, tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu præmii essentialis, quod in infinitum meliùs est, quàm dimissio temporalis.* Quamobrem in his Superior non præjudicat subditis, & si Superior ex hoc solo motivo nollet subdito concedere licentiam ad opera necessaria ad acquisitionem Indulgentiæ, quia meliùs est quod Religiosus satisfaciat per opera propria, nedum non ageret iniustè, sed per se non malè faceret, & licet ex circumstantiis posset esse malum, faciliùs etiam ex circumstantiis posset esse optimum. Nam & multò facilius est, quod subditi abutantur prætextu Indulgentiæ, quam quod Superiores rigidi sint in concedendo subditis facultatem eam acquirendi.

444. Cum igitur jam sit probatum, subditos non habere jus ex lege naturali, aut divina, ut Superior teneatur illis cooperari vel dando eleemosynam, vel dando licentiam ad opera injuncta perficienda, quæ aliàs sine licentia haberi non possunt, videri poterit, quod hoc habeant ex jure positivo. Tum primo, quia Religiosi subditi habent jus ex concessione Superioris Prælati, ut nullus inferior illos impediat à consecutione, & usu gratiæ sibi à Superiori illo concessæ. Quando igitur Pontifex concedit Indulgentiam Christi fidelibus, & præcipuè quando expresse illam concedit etiam pro Regularibus, simul etiam concedere censetur illis facultatem ad opera injuncta, quia concedens finem simul intelligitur concedere facultatem ad media necessaria ad illum finem, aliter concessio esset inutilis. Pontifex verò non intendit concessionem suam esse inutilem. Tum secundo, quia ubi Pius Quintus *in Bulla Romani Pontificis* 132. in Bull. Rom. declaravit, quod virtute Bullæ Cruciatæ non poterant Fratres, & Moniales Ordinis Prædicatorum uti facultate eligendi sibi Confessarium, & absolvendi à casibus reservatis, sed eos manere sub dispositione suorum Superiorum, subdit. *Eisdem tamen Prælatis, ut in hujus potestatis, se cum subditis benignos, & faciles exhibeant, præcipientes, & mandantes.* Ex his enim verbis duplex sumitur argumentum. Primum, quod mentis Pontificis fuit, ut in reliquis Bullæ privilegiis Religiosi non essent subditi dispositioni suorum Superiorum, quia Pontifex; solum excepit casum administrationis Sacramenti pœnitentiæ, in reliquis igitur poterant Religiosi etiam sine consensu Superiorum gaudere Bullæ privilegiis. Quod etiam tradit Serio in Bullam Cruciatæ *disp. 1. diff. 10. §. 8. quæst. 8. numer. 7.* post Acostam *quæst. 36.* Trullech. *in Bull. Cruc. §. 1. dub. 7. numer. 3.* Rodriquez *§. 9. numer. 23.* Bardum *part. 1. tom. 2. cap. 5. sect. 2. numer. 122.* Secundum argumentum sumitur ex eo, quod Pontifex præcipit Superioribus, ut etiam in concedendo facultatem absolvendi à casibus reservatis se benignos, & faciles

reddant. Clausulam verò illam continere præceptum obligans ad mortale volunt Trullench. §.7. *dub.* 9. *nu.* 5. & apud eum Villalobos, & Ludovicus de Cruce; igitur eadem, & majori ratione dicendum est, mentem Pontificis fuisse, quod Superiores benignos, & faciles se præbeant in concedendo facultatem ad Indulgentias. Et hoc idem probatur ex Bulla Clementi VIII. *Romani Pontificis* 64. data 23. *Novembris* 1599. In qua idem disponitur, & eadem clausula continetur. Et pariter ex Bulla Urbani VIII. *in specula* 105. in Bulla data 19. *Iunii* 1630. in qua similis prohibitio universalis habetur.

445. In hac difficultate pro ejus resolutione distingui debet id, quod Pontifex directè, & expresè concedit Regularibus, ab eo sub cujus conditione id concedit. Et ulteriùs etiam respectu ejus, quod est expressè concessum considerandum est, an id sit factum derogando privilegiis, vel non derogando. Nam quantum ad concessa expresè pro Regularibus per concessionem validam, quod non possit Prælatus Regularis ea directè impedire, non dubito; imò concessio Indulgentiæ, quæ fit sub conditione operis injuncti in impedibilis est omninò ab homine; quia Indulgentia causat per modum causæ naturalis, & posita conditione efficaciter statim suum effectum sortitur. Sic si recitanti Pater noster est concessa Indulgentia, nullus hominum facere potest, ut qui recitat, prout oportet Pater noster non lucretur Indulgentiam, manente Pontificis concessione.

446. Verùm dicitur, quod concessio conditionalis nullum jus contrà tertium, nullamque vel minimam facultatem dat concessionario ad ponendam conditionem, licet possibilitatem conditionis aliundè supponat. Conditio enim, seu conditionalis concessio nihil ponit in esse *l. si quis sub conditione ff. si quis omissa causa l. cedere diem ff. de verb. signif.* Et in omni materia, sed præcipui in ista Indulgentiarum res hæc manifestissima est. Concedit Pontifex Indulgentiam sub conditione eleemosynæ, aut jejunii, aut visitationis Ecclesiæ alicujus, aut sub alio onere hujusmodi. Sed non per hoc dat alicui pecuniam ad faciendam eleemosynam, vel aliquod vel minimum, vel imaginarium jus ad illam habendam ab aliquo. Nec dat sanitatem ad jejunandum, nec jus contra medicum, aut Aromatarium ad obtinendam per illos sanitatem, ut jejunet, aut visitet Ecclesias. Nec per concessionem Indulgentiæ subtrahit vel uxorem à potestate mariti, vel filium à potestate patris, vel servum à potestate Domini. Et licet gratia materiæ possit occasione concessionis Indulgentiæ oriri in aliquo aliquod jus consecutivè, ut in uxore aliquod jus ad eleemosynam, ex vi alicujus consuetudinis, vel quia in tali casu parva eleemosyna numeranda sit inter ea, quæ spectant ad alimenta uxori debita. Tamen hoc non est directè ex vi concessionis, neque quia Pontifex aliquod jus uxori tribuat contrà maritum, sed quia ex concessione Indulgentiæ ponitur materia, ex qua ex alio titulo potest jus illud oriri. Cæterum concessio Indulgentiæ sub conditione eleemosynæ, vel visitationis Ecclesiarum per se, & directè nullam dat uxori licentiam; vel faciendi eleemosynam, vel egrediendi à domo, sed sicut priùs erat, relinquitur sub potestate mariti. Nam verè sic est universaliter quod concessio sub conditione non dat concessionario, vel minimum jus novum contrà tertium, aut possibilitatem ad ponendam conditionem, licet det jus ut si ponat conditionem, obtineat promissum sub conditione.

447. Ex quo tamen ille, qui concedit aliquid sub conditione intendat, si sit prudens, non agere inaniter, & ad ventum, dicendum est illum supponere conditionem esse possibilem; undè est regula, quod conditio impossibilis censetur non adiecta. Hoc verò admisso consideratur, quod quando concessio non fit uni soli personæ, sed universaliter pro omnibus, vel pro genere personarum sufficit, si conditio sit possibilis, ut in pluribus; imò sufficit si quomodocumque, & qualitercumque sit possibilis per concessionarium sive per se ipsum, sive per alium Sanchez *libr.* 4. *de matr. disp.* 4. *numer.* 14. imò sufficit, si conditio ex natura sua sit possibilis, quidquid sit, an ex circumstantia aliqua, vel cursu temporis facta sit impossibilis. Per se tamen, qui sub conditione aliquid alteri concedit, nec se obligat ad ponendam conditionem, vel dat possibilitatem aut physicam, aut moralem. Et in casu quod conditio non possit poni nisi concedentis auxilio, sicut v. gr. opera bona, sub quibus nobis à Deo promittitur Cœlum non fiunt nisi Deo adjuvante, adhuc in Deo concedente distingui debet voluntas absoluta, & voluntas antecedens. Ex vi illius datur etiam conditio, quia non est voluntas conditionata, sed absoluta. Ex vi autem voluntatis antecedentis, quia etiam ista est absoluta, & efficacissima respectu ordinis creaturæ in finem supernaturalem, ideò ex vi illius dantur auxilia sufficientia ad salutem, sed tamen voluntas Dei merè, & præcisè prout promittit Cœlum sub conditione, & sic ut est merè voluntas conditionata, non dat conditionem, sed dat jus habendi Cœlum sub conditione liberè ponenda.

448. Concessio ergo Indulgentiæ facta expresè etiam pro regularibus, dat jus conditionatum ad Indulgentiam sub conditione operis injuncti, sed quia est concessio merè, & purè conditionata, & à voluntate conditionata procedens, Religioso contrà Prælatum non dat vel minimum jus novum, aut posse sive physicum, sive moralem ad conditionem ipsam, seu ad opus injunctum, sed hanc possibilitatem supponit aliundè habitam, seu possibilem haberi saltem ut in pluribus. Quod verè etiam supponitur de Regularibus, qui licet ad opera injuncta indigeant licentia Superioris, tamen rarissimum est, quod hujusmodi licentia irrationabiliter negetur. Et sic Pontifex illis concedens Indulgentias sub conditione, illas concedit sub conditione simpliciter possibili, sed ex hac concessione non dat illis aliquod vel minimum novum jus contrà Prælatum ad conditionem præter illud, quod alias habere possunt salva obedientia, & regula.

449. Quod ampliùs confirmatur, quia rescripta Pontificum non præjudicant juri tertii, nisi id exprimant. Et ideò hæc regula juris certa maximè locum habet in illis, quæ non sunt expressa in literis Pontificiis, sed solùm per aliquam consequentiam deduci possunt. At verò si arbitrium ad opera injuncta pro Jubilæo, & Indulgentiis esset commissum singulis Regularibus esset hoc in præjudicium maximum disciplinæ regularis, & sub hoc prætextu de facili subditi ad illicita animum, & passus converterent, & contemneretur superiorum auctoritas, & tolleretur subjecto ad directionem Prælati contrà votum obedientiæ; & vulneraretur Prælatorum potestas. In literis igitur

igitur Indulgentiarum quod non est expressè concessum, & aliàs de se importat periculum disciplinæ regularis, & auctoritatis Prælatorum diminutionem non est intelligendum concessum. Tale autem est arbitrium liberum subditorum ad opera injuncta pro Indulgentia.

450. Triplex ergò casus hic distingui debet. Primus est, si pensatis omnibus detur causa necessitans prudentem Superiorem ad concedendam licentiam ad opera injuncta. Et in hoc casu Prælatus peccat, si licentiam non concedit. Non est verò necesse dicere statim, quod hoc peccatum sit mortale, nedùm quia subditus potest obtinere remissionem pœnæ per proprias satisfactiones, sed quia non desunt Indulgentiæ, quas Religiosus cum bona licentia acquirere possit. Secundus casus est, si omnibus pensatis datur causa rationabilis necessitans prudentem Superiorem ad negandam licentiam ad opera injuncta. Et in hoc casu omnes fatemur, quod Prælatus potest, & tenetur eam licentiam negare. Tertius casus est, si non datur causa necessitans, vel ad concedendam dictam licentiam, vel ad eam negandam, sed rebus omnibus pensatis posset dicta licentia concedi, aut negari. Et in hoc casu dico, Prælatum esse sui iuris, & arbitrii, & posse eam licentiam negare si velit, quia ut probatum est naturali lege voti obedientiæ Prælatus hujusmodi libertatem habet. Ex concessione verè Indulgentiæ novum jus non tribuitur Religioso contra Prælatum ad hujusmodi opera injuncta, sed manet superior in ea libertate, quam habet ex sua regula.

451. Ex his sequitur, quod ubi Regularibus sit expresse concessa facultas eligendi sibi Confessorem extrà Conventum, potest hunc eligere, nec potest si id faciat etiam invito Superiore ab eo puniri. Sed si exivit à Claustro sine licentia, ob hoc puniri potest, quia hoc illi non fuit concessum ex vi concessionis eligendi confessarium Bossius *sest.* 4. *casu* 4. *num.* 22.

452. Patet etiam, quod quando DD. in principio quæst. citati dixerunt, Prælatum peccare mortaliter, si sine rationabili causa negat licentiam ad opera injuncta, & ad eleemosynam, ad exitum à claustro pro visitatione Ecclesiarum, aut pro habenda confessione in Jubilæo, dictum hujusmodi cautè, & cum moderatione est intelligendum, & quantùm ad causam, ut tunc Prælatus habeat causam rationabilem ad negandam dictam licentiam, cum non habet causam necessitantem ad eam concedendam. Et quantum ad culpam, ut tunc sit mortalis, quando omnibus pensatis adest grave præjudicium. Quod tamen non aderit, si opera injuncta possunt commutari; Nam tunc subditus poterit facere, ut sibi commutentur opera ad quæ non potest habere licentiam in alia, præterquam quod ex aliis etiam causis hoc præjudicium potest esse levè.

453. Et per hæc patet responsio ad primum ex adductis suprà *num.* 444. Ad secundum respondetur, & retorquetur argumentum, supposita distinctione jam data inter id, quod Pontifex concedit, & inter media necessaria ad illius assecutionem. Nam Pontifices loquuntur de illis Religiosis, qui jam servatis servandis acceperunt Bullam Cruciatæ, & nihilominus declararunt Bullam illis non posse suffragari quantùm ad electionem confessarii, qui illos absolvat à Censuris, & casibus reservatis, non obstante, quod accipientibus Bullam hæc facultas, & electio sit expresse concessa. Et hoc quia viderunt, quod hoc erat in grave præjudicium disciplinæ Regularis. Unde nunc indubitatum, & certum est, quidquid dixerint aliqui, qui antè Bullas præfatas Pii V. & Clementis Octavi, & Urbani Octavi scripserunt, vel eas ad suum sensum trahere conati sunt, quod etiam illis, qui de licentia Superiorum acceperunt Bullam Cruciatæ, illa non suffragatur ad effectum eligendi præfatum Confessarium, ut latè probat Quintanadvenas singularium *tract.* 4. *singul.* 11. *num.* 6. & 7. ponderando illa verba Urbani Octavi, *locum minimè habuisse, nec habere, nec in illis ullo modo suffragari potuisse, nec posse*. Et advertit idem Doctor *num.* 7. quod Regularibus nec suffragatur eadem Bulla quantum ad comedendum ova, & lacticinia in quadragesima; igitur si hujusmodi dicuntur non compræhendi sub Bulla quantum ad Religiosos, licet in Bulla eadem sint expresè concessa accipientibus Bullam, quia hujusmodi præjudicant disciplinæ regulari; multò minùs in eadem Bulla compræhenduntur non expresè in illa concessa, de quibus est nostra quæstio, scilicet facultas vel faciendi eleemosynam, vel egrediendi à claustro, vel exequendi opera injuncta, vel cooperatio Superiorum, aut eorum auxilium impertitum; quæ non sunt expresè concessa aut præcepta in ipsa Bulla.

454. Et sic dūm infertur, quod Regulares possunt frui aliis privilegiis Bullæ invitis Superioribus; hoc est cautè intelligendum; nam impleta conditione, sub qua illa privilegia conceduntur, & supposita Bulla accepta de licentia Superiorum, sicut supponunt illi Pontifices, non possunt Prælati impedire subditos ne fruantur gratia Pontificia, ad quam posita conditione legitima jus obtinuerunt. Sed tamen quia conditio, & opera injuncta non possunt fieri à Regularibus sine suorum Superiorum licentia, minimè possunt illis privilegiis frui, sine licentia eorumdem. Et in hoc stat discrimen, quod Regulares aliis privilegiis Bullæ, frui possunt concurrente licentia Superiorum, sed libertate eligendi Confessorem, & confitendi extero peccata, nec de licentia Superiorum frui possunt tanquam privilegio Bullæ, ut advertit Quintanadvenas singul. *tract.* 4. *singul.* 11. *numer.* 9. Quamvis aliàs Prælati auctoritate ordinaria possint concedere facultatem, ut alicui extero confiteantur in casu lecito.

455. Ad motiuum verò aliud dicitur, Pontifices loqui solùm de facultate absolvendi à casibus reservatis, circa quam concedendam verè Superiores debent se ostendere benignos, & faciles; nihil verò loquitur de facilitate ad cooperandum subditis pro acquisitione Indulgentiarum, aut de concedenda facultate ad perficienda opera injuncta pro acquirendo vel Jubilæo, vel privilegiis illis, vel pro sumenda Bulla Cruciatæ. Et nihilominùs quidquid sit, an clausula illa contineat præceptum obligans ad mortale, de quo plura dixi *tom.* 1. *de statibus quæst.* 186. *art.* 9. *à nu.* 67. *pag.* 738. dicitur, quod in præsenti clausula illa non contineat præceptum speciale, sed connaturale ex lege divina officio Prælati Regularis, & sic non obligat sub mortali, nisi in eo casu, quo lex divina, & religiosa fidelitas officii Prælati Regularis obligat sub mortali culpa; non enim est unde colligamus Pontificem specialem obligationem voluisse imponere Superioribus. Aliàs enim ubi agimus de absolutione à reservatis Prælati tenentur esse & benigni, & faciles, ut docent D. Thom. 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 3. *quæst.* 4. *ad* 6. quod etiam de Episcopus probavi

bavi *tom. 2. de Stat. quæst. 187. artic. 1. à numer. 586. pag. 136.*

456. Huc usque verò loquuti sumus spectata rei natura, vel etiam vi concessionis Apostolicæ, sed non fuerunt considerata privilegia Regularium. Inter quæ adest privilegium Julii Secundi pro Ordine Prædicatorum, quod habetur in Bullario dicti Ordinis *pag. 173.* & incipit. *Considerantes, quod multa*, & datum fuit 14. *Decembris* 1509. In quo inter alia habetur hæc particula. *Nolumus personas ordinis ejusdem confessionalibus, vel Indulgentiæ literis, etiam per Sanctam Sedem emissis, vel emittendis (nisi consensu tuo accedente, & eo durante) gaudere posse.* Quod quidem amplissime confirmavit Julius Tertius in Bulla ejus, quæ incipit. *Exponi nobis, &c.* & fuit data 7. *Ianuarii* 1555. & est in eodem Bullario *fol. 212.* quod quidem privilegium, si tamen est privilegium, & non potiùs lex prohibens, est communicabile aliis ordinibus, sed Quintanadvegnas *sing. tract. 4. sing. 6. num. 4.* de hujusmodi dispositionibus arbitratur eas potiùs esse leges, quàm privilegia, unde earum non datur communicatio inter Religiosos. Quamvis plures Religiones, & fere omnes easdem leges à Pontificibus statutas habeant, quantum ad confessionalium prohibitionem. Sed dicendum est, quod concessio hujusmodi Julii Secundi confirmata per Julium Tertium est vere privilegium; est enim lex privata per quam contra id, quod est de jure communi conceditur Ordini Prædicatorum, & ejus Generali directè, & principaliter ut sit necessarius ejusdem Generalis consensus in usu literarum Apostolicarum ad confessionalia, & Indulgentias.

458. Verùm tamen est quod loquendo de concessione eligendi Confessarium, aut suscipiendi Jubilæum præfata lex non obstat, quia in Bulla Jubilæi solet amplissimè derogari privilegiis Regularium. Et non desunt etiam, qui dicant, quod etiam si in Bulla Jubilæi non derogaretur privilegiis Regularium, nihilominùs ex quo Pontifex expresse concederet Regularibus in aliqua Bulla, ut possint sibi eligere Confessarium id eis liceret. Ita enim Pasqualig. *in quæst. mor. cont. 2. quæst. 130.* & de Jubil. *quæst. 207.* & citat pro se Navar. *cons. 19. de pœnit.* Graff. *part. 1. lib. 4. cap. 15. nu. 3.* Terol. *in praxi cap. 15. quæst. 2.* Rodriq. *part. 1. capit. 184. num. 16.* Coriol. *de cas. reser. par. 1. sect. 3. art. 15.* Floron. *par. 1. de casib. reserv. cap. 4. §. 5. num. 6.* Tadin. *in discurs. de Iubil. Anni Sancti pag. 61.* Quod idem Pasqual. *ibidem num 9.* extendit, ut verificetur etiam quando in communi conceditur facultas eligendi Confessorem omnibus fidelibus absque specifica mentione de Regularibus. Probat autem intentum suum Pasqualig. Tum primò quia ex una parte concurrit voluntas Pontificis concedentis Regularibus facultatem eligendi Confessorem independenter à voluntate Superiorum Regularium; At verò in concurrentia voluntatum antecessoris voluntas cedere debet, quia posteriora derogant prioribus. Tum quia privilegia Regularium possunt commodè explicari, ut verificentur in indultis specialibus, seu etiam specialibus Jubilæis concessis particularibus Ecclesiis, non verò in Jubilæo universali; Tum quia lex specialis legem specialem abrogat; igitur eadem ratione privilegium speciale concessum à Pontifice dando facultatem eligendi Confessorem, derogat privilegio speciali, singulos Regulares obliganti ad non confitendum alieno Sacerdoti. Tum quarto, quia privilegium speciale derogat generali, privilegium verò, per quod prohibentur Regulares eligere sibi Confessarium est generale, cum sit concessum per se primò Religioni.

459. Sed primò contra hujusmodi sententiam militat declaratio Pii Quinti, Clementis Octavi, & Urbani Octavi, qui expresse declaraverunt non fuisse suæ mentis, dum in Bulla Cruciatæ expresse concesserunt accipientibus illam Bullam facultatem eligendi Confessorem, & simul concesserunt, quod Regulares illam Bullam acciperent, comprehendere pro eisdem Regularibus facultatem eligendi Confessorem, & quod illis quantum ad hanc partem Bulla illa prodesset. Ex hoc enim sic arguitur, licet in Bulla Cruciatæ expresse concedatur, quod Regulares possint eam Bullam sumere, & ejus privilegiis uti, inter quæ est concessio facultatis eligendi Confessarium, qui absolvat à reservatis, nihilominùs quia hujusmodi facultas Regularibus fuit concessa solùm per generalia verba exprimentia concessionem privilegiorum Bullæ Cruciatæ, & ex alia parte hæc facultas respectu Regularium est quid valdè speciale, & speciali mentione dignum, tanquam occasio non parvi præjudicii disciplinæ Regularis, & tanquam quid contrarium privilegiis Regularium, Summi Pontifices declararunt sub illa generalitate non comprehendi Regulares, illisque ex vi talis Bullæ non competere facultatem hujusmodi confessorem eligendi; igitur multò minùs in concessione generali, ubi concessa facultate eligendi Confessorem nullo modo exprimuntur Regulares, competit illis hæc facultas. Consequentia enim est manifesta ex eo quod ex illis declarationibus apertè constat, quod in hac materia verba generalia non comprehendunt hunc specialem casum.

460. Et hoc est absolutè verum ex illis juris principiis, quod sub generali concessione non veniunt, quæ sunt speciali mentione digna, & quæ Pontifex non concederet in specie, si ab eo peteretur *cap. Cum in generali de offic. Vic. in 6. cap. si Episc. de pœniten. & remiss. & cap. in generali de reg. Iur. in eodem libr.* ubi DD. communiter. Hanc verò facultatem eligendi Confessorem respectu Regularium esse speciali nota dignam, & quam non esset Pontifex in specie concessurus, habetur ex dictorum Pontificum declaratione. Et quia quando Pontifices intendunt illam concedere in Jubilæis, id exprimant. Falsum igitur est asserere, quod ubi in literis Apostolicis omnibus fidelibus in generali conceditur facultas eligendi Confessorem ab ordinarii loci approbatum, qui à reservatis absolvat, comprehendantur sub hac concessione Regulares, & quod illis eadem facultas competat. Secundò quia obstant privilegia Regularium, quibus posteriores dispositiones Pontificum non derogant nisi facta eorum mentione, ut habetur *cap. 1. de constit. in 6.* & tradunt ibi DD. communiter, & sine discrepantia, de quo videri possunt, quæ scripsi ad illud *cap. 1.* & præcipuè *art. 16.*

461. Quod confirmatur, quia licet Mendicantibus fuerit concessum privilegium absolvendi omnes ad se accedentes, nihilominùs Mendicantes in vim hujus privilegii non poterant audire confessiones aliorum Religiosorum exemptorum, quia per privilegium generale non censetur derogatum consuetudini, aut statuto aut privilegio alterius, nisi id exprimatur. Sylvest. *verb. Confessor. num. 6.* Armilla *verb. absolutio numer. 21.* Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 8. cap. 16. num. ult.* Rodriq. *in Bull. Cruc. §. 9. nu. 15.* Bosius *de Iubil. sect. 3. casu 4. nu. 1.* Et alii communiter.

462. Ex

462. Ex qua communi doctrina habetur, quod etiam si in Bulla Jubilæi concederetur expresse Regularibus hujusmodi facultas eligendi Confessorem, non censeretur concessa, nisi derogaretur eorum privilegiis.

463. Ad primum in oppositum respondetur, indubitatum esse, quod Pontificis viventis voluntas prævalet voluntati antecessoris, sed ubi est ignorantia probabilis non est voluntas, & quia ut habetur ex *d. cap. 1. de constit. in 6.* in Papa, & Principe præsumitur probabilis ignorantia statutorum particularium, consuetudinum locorum, & ut explicant DD. etiam privilegiorum, ideò per novam dispositionem etiam per legem non derogatur Statutis, & privilegiis, nisi fiat eorum mentio. Ad secundum dicitur primo indultum Bullæ Cruciatæ esse generale, & tamen sub eo facultas eligendi Confessorem pro Regularibus non compræhenditur. Et semper militat supra dicta regula juris. Et dicitur secundo, quod neque expressa illa facultas sufficeret, si non derogaretur privilegiis, multò minùs igitur intelligitur concessa, si non est expressa. Ad tertium dicitur, quod assumit contrarium ejus; quod assumitur in quarto, scilicet quod privilegium Regularium sit speciale, & personale, dicitur enim in quarto argumento, quod sit per se primo concessum ordini in communi, sed quidquid sit de hoc clara est decisio textus *in d. cap. 1. de Constit. in 6.* ubi ex professo diffinitur non esse eamdem rationem de lege, & de statutis, aut aliis, quorum potest præsumi ignorantia in Principe, in quo non potest tamen præsumi ignorantia legis, & ideò legi priori derogatur per posteriorem, & non facta ejus mentione, sed hoc non verificatur in privilegio. Ad quartum dicitur, quod neque est verum, quod privilegium speciale deroget generali, quia nulli privilegio derogatur, nisi fiat ejus mentio. Et prætereà concessio facta omnibus fidelibus, & expresse etiam Regularibus est gratia plusquam generalis, respectu cujus privilegium Regularium, quod illis competit, ut sine licentia Superiorum non confiteantur exteris est speciale, & ideò ipsum argumentum probat, quod illi non derogetur non facta ejus mentione.

464. Dices, quod ubi Pontifex in Bulla aliqua expresse concederet electionem Confessarii Regularibus concessio valeret. Non ex rationibus allatis, quæ verè deficiunt, sed quia privilegium Regularium requirens in electione Confessarii licentiam Superioris, est satis clarum, & notum, & tale quod non potest ejus præsumi ignorantia in Pontifice; Hac enim ratione dicitur, quod privilegiis insertis in corpore juris derogatur non facta eorum mentione per DD. quos sequutus sum *d. art. 16.* quia talium privilegiorum non potest præsumi ignorantia in Pontifice, qui jura habet in scrinio pectoris. Sed respondetur, & dicitur, quod in proposito duo sunt valdè distincta, scilicet jus commune, & privilegia. Nam primò quod Regulares non possint absolvi nisi à suis Prælatis, vel ab aliis de eorumdem licentia, nisi in Statutis Ordinis caveatur contrarium, est de jure communi. Nam habetur *in extravag. inter cunctas §. sed quia multoties de privilegiis*, & tradunt Sylvest. *verb. Confessor. 2. nu. 6.* Armilla *verb. absolutio num. 23.* Navar. *in manual. cap. 4. nu. 1.* Rodriq. *tom. 1. quæst. 62. art. 4. & in Bullam Cruciatæ §. 9. num. 13.* Suarez *de Cens. lib. 7. sect. 3. & tom. 4. de Relig. lib. 8. cap. 16. num. 1.* Tambur. *tom. 2. disput. 6. quæst. 6. num. 2.* Lezana *part. 1. cap. 18. num. 26. & cap. 19. num. 11.* Bossius *de Iubil. sect. 3. casu 4. numer. 1.* Et quantum ad hanc partem hoc Regularium privilegium est notorium, & ad illi derogandum sufficit, quod Papa disponendo in contrarium expresse concedat, quod Regulares possint sibi eligere Confessorem.

465. Sed præter, & ultrà hoc jus commune adsunt privilegia specialia, quæ ad jus commune præfatum addunt, & per quæ prohibetur Religiosis, ne etiam vi Bullæ Cruciatæ, aut alterius privilegii, aut Jubilæi, aut literarum Apostolicarum possint sine licentia suorum Superiorum eligere confessarium præcipuè extrà Religionem, ex quibus privilegiis multa extenduntur nedùm ad literas Apostolicas jam concessas, sed etiam ad concedendas prout videre est in Compend. mendic. *verb. Confessarius §. 6.* in compendio Societatis *verb. Confessarius*, in compilatione privilegiorum minimorum *cap. 10. §. 1.* in compend. privilegiorum Theatinorum *verb. absolutio quoad fratres §. 3.* Rodriq. *in Bull. Cruc. §. 9.* Trullench. *§. 7. sub.* Palao *tract. 25. punct. 3.* Bossio *de Iubil. sect. 3. casu 4. num. 7.* De his igitur privilegiis non potest dici, quod sint nota Pontifici, nec quid tale præsumitur. Nam de jure privilegiorum scientia in Principe non præsumitur, & ideo si contra privilegia disponit, non facta eorum mentione, dispositio non censetur valida ex defectu voluntatis Pontificis.

466. Hæc pro nunc sufficiant de hac speciali concessione facultatis eligendi Confessorem, & redeamus ad Indulgentias in genere. Et consideremus, quod privilegium Julii Secundi pro Prædicatoribus comprehendit Indulgentias in genere. Et vult quod Religiosi hujus Ordinis non possint gaudere Indulgentiarum literis sine consensu sui Generalis. Levissimum autem est, quod aliqui dicunt. Prælatos Regulares huic, vel similibus privilegiis renunciasse, ex quo passim permittunt suos sine licentia uti literis Indulgentiarum. Tum quia cum hujusmodi consensus non sit necessarius expressus, Prælati verò utuntur suo privilegio etiam tacitè permittendo suis usum Indulgentiarum. Tum secundò quia imò sæpè Prælati etiam expresse licentias ad Indulgentias concedunt. Neque timorati Religiosi utuntur Jubilæorum, vel Indulgentiarum literis nisi ex expressa, vel præsumpta Prælatorum licentia. Manet ergo probatum nedum quod Prælati Regularium non tenentur cooperari, & dare licentiam subditis ad opera injuncta, nisi ex eorum arbitrio, & prudentia, sed quod nec Religiosi possunt uti literis Indulgentiarum sine licentia suorum Superiorum.

467. Sed forsan quæret aliquis, quid sit dicendum, si Regularis contrà obedientiam Superioris, & eo invito, vel in Anno Sancto à suo Conventu discedens venerit Romam, vel in Jubilæo extraordinario sine licentia exierit à Conventu, ut quærat Confessorem, sive ut visitet Ecclesias, vel sine licentia eleemosynam faceret, an possit per hæc opera lucrari Indulgentiam. Bossius *sect. 4. de Iubil. casu 22. §. 4. numer. 29.* dixit, quod qui venit sine licentia Romam in Anno Sancto, si pœniteat, & opera injuncta, perficiat lucratur Jubilæum. Idem verò *casu 4. numer. 20.* dixit validam esse confessionem illius Religiosi, qui sine licentia exiit, ut sibi eligat Confessorem, si inobedientiæ pœniteat, sed considerandum est, an inobedientia respectu operum injunctorum sit solùm circumstantia concommittans, vel potiùs sit intrinseca,

ca,& inficiens opera pia, & faciens illa opera mala, ideo inutilia ad lucrum Indulgentiæ. Si enim est circumstantia extrinseca, & concomitans, non est dubium, quod non impedit acquisitionem Indulgentiæ dum aliàs Religiosus impleat opera, & sit in statu gratiæ saltem in complemento ultimi operis juxtà resoluta *suprà quæst.5.* Esset verò vel extrinseca, vel concommitans v. g. si qui venit Romam, in Anno Sancto sine licentia, ibi non permanet nisi de licentia; vel non permaneret ex intuitu Jubilæi, sed ex alia causa. Sed si inobedientia intrinsecè afficit, & inficit opera, & reddit ea mala, nunquam inobediens acquiret indulgentiam ad quam mala opera non sufficiunt. Semper verò inobedientia intrinsecè inficit opera injuncta pro Indulgentia, si Religiosus inobediat, ut lucretur Indulgentiam. Quia in hoc casu opera sunt à voluntate mala, & malum medium electum licet ob bonum finem inficit electionem ipsam, & ipsam intentionem, quæ nequit esse bona, dum finem per malum medium intendit. Sic qui furatur ut det eleemosynam, nec verè eleemosynam dat, & malè agit tam furando, quam dando furatum pauperi. Sic igitur si inobedientia durat tempore, quo perficiuntur opera injuncta; quæ quidem durare potest, quia homo nedùm est inobediens v.g. exeundo à claustro, sed etiam permanendo extrà claustrum sine licentia, & sic si inobedientia durans intrinsecè afficit opus, & reddit illud malum, tale opus ad consecutionem Indulgentiæ est inutile.

469. Quantum verò ad valorem confessionis, & absolutionis obtentæ ab eo, qui ut confiteatur exit à claustro sine licentia, considerandum est, an inobedientia sit culpa talis, quæ reddat Religiosum incapacem absolutionis, & si compossibilia sunt pœnitere de inobedientia, & manere extrà inobedienter. Quamvis hæc permanentia pro modico tempore sit res levis, & vel pro nihilo habenda, vel pro levi judicanda.

QUÆSTIO LXVI.

Utrum Superior pecuniam largiendam à subditis intuitu Jubilæi possit applicare Monasterio ut pauperi.

SUMMARIUM.

470 *Superior Regularis eleemosynam pro Iubilæo à se faciendam non potest applicare Monasterio.*

470. Affirmat Bossius *sect. 4. casu 21. numer.* 18. Pasqual. autem *quæst. 129. numer. 9.* hoc negat, quia eleemosyna importat donationem executam, per quam dominium sit translatum in pauperem; sed hic bona Conventus darentur Conventui; Dicit verò non esse eamdem rationem de paupere dant Confessario eleemosynam distribuendam, quia pauper eam alienans à se, & Confessarius reddens pauperi alienatam pecuniam, facit eleemosynam. Sed hoc non dicitur consequenter quia pecunia pauperis non est alienata, donec translatum sit dominium in alium pauperem, cui fit eleemosyna. Dominium enim pecuniæ non est apud Confessarium, cui committitur dispensatio, sed remanet apud pauperem committentem, cui illam restituere teneretur Confessarius, si illam pauperibus erogare nollet. Et ideò nec in eo casu pauperis fit eleemosyna, si pecunia restituitur? Nec sufficit Prælato, vel Conventui si res Religiosi detur Confessario etiam alterius ordinis distribuenda, & ille Confessarius eam tradat Conventui.

QUÆSTIO LXVII.

Quoties fieri debeat eleemosyna pro Indulgentia acquirenda.

SUMMARIUM.

471 *Quoties fieri debeat eleemosyna.*

472 *Unicus actus sufficit ad verificationem operis injuncti.*

471. Vel in concessione injungitur solum, ut fiat eleemosyna sic absolutè, vel injungitur ut fiat pluribus vicibus, si habetur in Bulla hoc secundum tot vicibus fieri debet, quot injungitur ut fiat, sed si injungitur absolutè quidquid in contrarium dixisse videatur Leo *de Iubilæo p.2.nu.*171. volens, ut fiat singulis diebus tribus in quibus Ecclesiæ visitantur, respondetur quod sufficit semel eleemosynam facere. Filliuc. *tr. 8. nu. 274.* Sorbus *verb. Indulgentia not. 2.* dicens sic declarasse Greg. XIII. Lavorius *par. 1. cap. 19. nu. 5. & cap. 21. nu. 11.* Bossius *sect. 4. casu 8. nu. 13.* Graff. Rodriq. Reginald. quos sequitur Pasqual. *quæst. 130. num. 1.* Quia unus actus sufficit ad verificationem operis injuncti, & consumat dispositionem *l. Boves §. hoc sermone ff. de verb signific. l. duabus §. si ei qui ff. de verb. signific.*

QUÆSTIO LXVIII.

Quando pro Indulgentia, vel Jubilæo fieri debeat eleemosyna.

SUMMARIUM.

472. 473. *Opinio aliquorum.*

474 *Ibi eleemosyna injungitur pro pluribus diebus, non licet originale.*

475 *Nec est tutum inniti piis præsumptionibus, & conjecturis.*

476 *Danda eleemosyna quando injungitur.*

472. Dubium est, an quando in Bulla continetur quod in pluribus singulis diebus fiat eleemosyna, sufficiat, si una vice detur tantum, quantum datum fuisset singulis illis diebus. Affirmat Pasqual. *quæst. 130. numer. 6.* ex Navarr. *conf. 38. de pœnit. & remiss. in 2. edit.* & Henriq. *lib. 7. cap.* 10. Diana *par. 5. tr. 12 resol. 21.* Leand. *tr. 5. disp. 14. q. 57.* & apud eum Philippus de Cruce Bossius *sect. 4. c. 8. num. 8.* Et cum Henriq. requirat approbationem Confessarii, hoc rejicit Pasqual. quia seclusa communicatione, nihil

nihil juvat talis approbatio. Ratio autem hujus sententiæ est, quia quando forma inducta in dispositione respicit certum, & determinatum effectum, ipsa potest impleri per æquipollens. Mantica *de tacit. & ambig. lib. 2. tit. 4. numer. 45.* Rota *decis. 453. numer. 1. part. 3. recent.* modo in impositione eleemosynæ attenditur certus, & determinatus effectus, qui est exercitium misericordiæ, & sublevatio pauperum.

473. Sed oppositum sentiunt Navarr. *Miscell. 92. de orat.* & in casu simili, & de Indulg. *not. 32. verb. semel saltem num. 41.* Lavor. *par. 1. num. 8. & seqq.* & apud Pasqual. & Leand. ubi supra Graff. Rodriq. Leo, Vega, & Ludovicus à Cruce. Et in simili casu Filliuc. *tract. 8. cap. 10. num. 255.* Sanctarell. *cap. 7. dub. 1.* Quia forma servanda est ad amussim; igitur si conditio est, ut pluribus diebus determinatis fiat eleemosyna, hoc erit omnino servandum. Et secundo quia majoris meriti est facere eleemosynam tribus, quam uni solo.

474. Si verum esset, quod dare semel pro eleemosyna tantam quantitatem, quanta daretur in tribus diebus æquivaleret eleemosyna trium dierum, vera forsan esset prior opinio. Sed non ita est, quia diuturnior effectus, & actus misericordiæ cæteris paribus & melior est, & majorem cultum, & honorem Deo reddit, nam & requirit multiplicatos actus misericordiæ, & charitatis, & jejunium seu visitatio Ecclesiarum conjuncta cum eleemosyna efficacior est cæteris paribus; Nam ergo est imaginandum, quod Pontifex requirens eleemosynam vel in singulis diebus jejunii, aut visitationis Ecclesiarum id fecerit à casu, vel ex sola intentione exercitii misericordiæ, & sustentationis pauperum, sed voluit quod jejunium, aut oratio vestirentur splendentissima veste misericordiæ, & ideò non satisfacit, qui semel dat eleemosynam etiam si daret multò majus, quam daturus esset per singulos dies jejunii, aut visitationis Ecclesiarum.

475. An verò hoc limitandum sit in casu, in quo bona fide aliquis sine culpa credens satisfacere semel tantum daret eleemosynam pluribus æquivalentem, ut volunt Navar. Graff. Vega, Rodriq. & Bosl. citati, res est quæ solis piis præsumptionibus innititur, quod in hac materia parum est tutum.

476. Cæterum tunc danda est eleemosyna, quando injungitur, & regulariter dari debet infrà hebdomadam Jubilæi, nisi aliud sit expressum. An verò possit dari Dominica sequenti, nisi etiam sit expressum, non est securum id facere, præcipuè post tempus communionis.

QUÆSTIO LXIX.

Quibus facienda sit Eleemosyna.

SUMMARIUM.

477 *Pauperibus fieri debet eleemosyna, vel iis quibus injungitur ut fiat.*
478 *Scholares indigentes sunt pauperes.*
479 *Necesse est dare transferendo dominium.*
480 *Non sufficit tradere pecuniam ut dispensandam pauperibus, si non sit dispensata.*
481 *Et necesse est dare intuitu misericordiæ.*
482 *Eleemosyna est si bona fide detur ficto pauperi.*

477. Considerandum est, an Pontifex determinet saltem in genere, cui fieri debeat eleemosyna. Sæpè enim Indulgentiæ dantur porrigentibus manus adiutrices vel ad bellum contrà hostes fidei, vel ad ædificium Ecclesiæ. Ubi tamen absolutè injungitur eleemosyna quæ est actus misericordiæ, ut docet D. Th. *2. 2. quæst. 32. art. 1.* Suppositum quod est obiectum misericordiæ, est illud cui fieri potest eleemosyna, & ita omnis qui indiget, & in temporalibus necessitatem patitur talis est cui fieri eleemosyna potest, quia eleemosyna est quidquid datur ad sublevandum eum, qui temporalibus indiget, seu temporalium necessitatem patitur.

478. Ex hoc deducunt aliqui eleemosynam esse, quod datur ad sustentamentum scholarium, qui commodè, & honesto modo non possunt sustentari, nam causa studii est causa pia. Panorm. *cons. 56. col. 3. & 4. lib. 1.*

479. Non sufficit verò dare, sed necesse est dando transferre dominium in pauperem, cui datur eleemosyna; propterea propriè eleemosynam non dicitur dedisse, qui commisit Oeconomo, ut eleemosynam daret, quia hoc fuit præcipere, ut eleemosyna daretur, non verò fuit illam dare. Sed nec eleemosynam fecit, qui pecuniam dedit famulo, ut daret illam pauperibus, antequam illa in facto sit pauperibus data, quia dominium adhuc remanet apud Dominum, qui famulo pecuniam dedit, Cardin. de Lugo *disput. 27. num. 112.*

480. Ideò nisi famulus intrà tempus præfixum tradat eleemosynam pauperi, Dominus non lucratur Indulgentiam, ut tradunt Rosella *verb. Indulgentia* Cord. *quæst. 12. prop. 3.* Bonac. *disp. 6. quæst. 1. punct. 5. num. 22.* Card. de Lugo *d. num. 114.* Leand. *quæst. 49.* & apud eum Homobon. Leo, Philippus de Cruce, Diana *par. 5. tract. 12. res. 1.* Sanctarell. *cap. 7. disp. 1.* Quidquid in contrarium dixerit Pasqual. *quæst. 136.* Unde nec Indulgentiam consequitur Dominus, si mittat eleemosynam ad eum, ad quem in tempore præfixo eleemosyna non potest pervenire.

481. Sed neque dare pecuniam alicui transferendo in illum dominium est dare eleemosynam, nisi quod datur, detur pauperi intuitu misericordiæ. Ideò nec est eleemosyna, nec sufficit ad Indulgentiam, quod pauperi datur ex alio fine, & præcipuè ex fine malo, quia actus misericordiæ non est, nec esse potest, quod datur ex malo fine.

482. Eleemosyna tamen est, quæ bona fide datur ficto pauperi, si datur ad sublevandam ejus miseriam, licet illa ficta sit. In his enim minutis eleemosynis transfertur dominium in dolosos pauperes, & ideò quod illis datur ex misericordia sufficiens est ad Jubilæum. Cardin. de Lugo *disp. 27. num. 113.* Galat. *cap. 30. num. 222.* Leander *quæst. 59.* Pasqualig. *quæst. 132.*

QUÆSTIO LXX.

Quanta debeat fieri eleemosyna ad effectum Indulgentiæ.

SUMMARIUM.

483 *Tanta eleemosyna dari debet, quanta est injuncta.*
484 *Aliquorum opinio.*
485 *Eleemosynam debere esse proportionatam danti, multi dicunt.*
486 *Hoc est verum quando proximè principaliter intenditur auxilium temporale.*
487 *Sufficit qualibet quando eleemosyna principaliter est intenta ut actus misericordiæ.*
488 *Clementia debet esse proportionata causa concedendi Indulgentiam.*
489 *Si injungitur secundum facultatem dantis, debet esse proportionata danti.*
490 *In hoc casu qualiter mensuranda proportio.*
491 *Sufficit qualibet, quando injuncta ad arbitrium, vel secundum devotionem.*
492 *Quando servanda sit proportio sufficit moralis.*
493 *Si non servetur proportio solum pro parte Indulgentia acquiritur.*

483. SUb multiplici forma verborum potest eleemosyna imponi. Nam potest esse, quod in concessione Indulgentiæ eleemosynæ quantitas determinetur, & tunc necesse est, & sufficit, quod unusquisque sive dives, sive pauper tantam eleemosynam tribuat, quanta fuit injuncta.

484. Aliquando autem imponitur eleemosyna absolutè, & indefinitè, in quo casu sufficere minimam eleemosynam etiam respectu divitis, dixerunt Henriq. *lib.7.cap.*10.*num.*7. Suarez *disp.52. sect.8. num.3.* Corduba *quæst.29.in princ.* Filliuc. *tract. 8. num.234.* Leander *quæst.50.* & apud eum Rodriquez, Faustus, Sanctarellus, Leo, Sà, Boss. & Quintanad. Diana *par. 5. tract. 12. res. 14. & 31. & par.* 10. *tract. 15. resol.12.* Ex eo quia minima eleemosyna sit eleemosyna propriè, & absolutè, unde sufficit ad verificandam conditionem.

485. Sed in hoc casu eleemosynam debere esse proportionatam facultati dantium voluerunt D. Tho. *4.dist.20.quæst. 3. art.3. quæst. 2. ad 3.* D. Bonav. ibidem *quæst. ult.* Palud. *quæst.4.* D. Anton. *part. 1. tit. 10. cap.3. §.3.* Navar. *not.31. num.37.* Innoc. *in cap. Quod autem de pœnit. & remiss.* Sylvest. *verb. Indulgentia numer. 22.* Lavor. Reginald. Palat. Philipp. à Cruce, quos sequitur Pasqual. *quæst.135.* Card. de Lugo *disp.27.num.*114. malè citatus à Leand. pro opposita sententia. Ratio est, quia eleemosyna, quæ in se & respectu dantis sit minima non est habenda in consideratione, quia minima in consideratione non veniunt *l. Scio ff. de integr. restit. & l.4. in fine ff. de edit.* & vocant Jason. *in l. sciendum num 7. ff. qui satis dare cog.* Bald. *in cap. cum adeò de rescript.*

486. Hanc verò sententiam sine dubio procedere dicendum est, quando Pontifex principaliter proximè intendit quantitatem eleemosynæ, seu auxilium illud temporale, quod fert eleemosyna, ut cum petit manus adjutrices ad gerendum bellum contrà hostes fidei, ad fabricam alicujus Ecclesiæ, vel ad aliquid simile. Nam ut dicit D. Thom. Dives non dicitur adjuvare, si quid minimum det, & nullus diceret, quod Rex adjuvaret ad bellum, si daret obolum. Nam in temporalibus in quibus parum in quantitate est parum simul in valore, & in fructu, parum & nihil moraliter æquiparantur *l. quamvis ff. de condit. & demonstr.* & notant Gloss. *in l. si pupillus §. si ego, & verb. ex contrario ff. de leg.* Faluid. Hippol. *sign.* 278. Menoch. *cons. 96. num. 8.* Unde benè in hoc sensu dixit S. Jo. Chrys. *hom. 37. ad Populum, &c.* Non dare, sed cum copia dare eleemosyna est. Et in hoc sensu loquutus est D. Thom. & D. Bonav. & alii antiqui.

487. Sed si Pontifex principaliter intendat eleemosynam ut est actus misericordiæ, & ratione bonitatis virtutis vera est prima sententia, quia in hoc casu non requiritur nisi tantæ quantitatis traditio, quæ eleemosyna sit; Est verò eleemosyna etiam si modicum quid pauperi detur.

488. Et quia opera injuncta se tenent ex parte causæ, ex qua conceditur Indulgentia quando dicitur, quod sufficit minima eleemosyna, vel minima oratio, semper hoc debet intelligi salva proportione debita ut sit scilicet tanta, quanta est necessaria ut per eam, & ex parte illius causa proportionata ad concessionem talis Indulgentiæ compleatur.

489. Quamobrem dicendum est, quod multò magis assertio posita verificetur, si in concessione adsit clausula, ut detur eleemosyna secundum facultates, aut secundum possibilitatem. In hoc enim casu etiam DD. citati pro opinione prima sentiunt eleemosynam debere mensurari per respectum ad divitias dantis, quia hoc importat illa clausula.

490. In hoc tamen casu proportio accipi debet per respectum ad bona possessa, quæ superfluunt statui, quia hæc sunt illa bona ex quibus tenemur facere eleemosynam, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæst.35. art.5.* Unde qui nihil haberet superflui non tenetur ad eleemosynam, quia eo ipso quod eleemosyna coarctatur ad possibilitatem, coarctatur ad eos, qui habent facultatem apud Pasqual. *quæst.134. num. 4. & 5.* Quod tamen habet difficultatem, quia non potest dici, quod non habeat possibilitatem faciendi aliquam, vel parvam eleemosynam, qui licet nihil habeat superflui, habet quæ sufficiunt ad statum suum, quia hoc habet latitudinem, & ita quod aliquid de eo diminuere non sit decadere à statu, & eo magis, quod inter ea quæ ad statum Christiani pertinent, numerari etiam debet eleemosyna.

491. Si autem in concessione Indulgentiæ ponatur clausula ad arbitrium dantis, vel quantum devotio, aut charitas suggesserit, Pasqual. *quæst.133.* adhuc arbitratur, quod eleemosyna fieri debeat servata proportione ad facultates dantis, quia arbitrium regulandum est à jure, & à ratione, & æquitate. Sed communis sententia docet; quod tunc sufficiat minima eleemosyna etiam respectu divitum, quia tunc determinatio quantitatis relinquitur arbitrio voluntatis. Quod in materia justitiæ ex jure est regulandum, & ex justitia [illegible] in illis, quæ libertatis sunt, sufficit si non fiat aliquid contrà rationem, & æquitatem. Non est [illegible] contrà rationem, quod dives det parum in eleemosyna, cum non tenetur alias illam dare in majori quantitate. Et quod Tobias dixit filio suo Tob. 4. *Si multum tibi fuerit abundanter tribue*, consilium fuit, non præceptum. ideò

Ideò ubi in concessione Indulgentiæ adest clausula illa arbitraria signum est, quod Pontifices intendunt actum eleemosynæ ut est actus virtutis misericordiæ in quacumque quantitate eleemosyna detur, & ideò tunc eadem eleemosyna sufficit pauperi, & diviti, & in hoc sensu vera est prima opinio.

492. Vbi verò servanda sit proportio ad divitias dantis, sufficit propria moralis considerata ad arbitrium prudentis, & sufficit, quod quantitas, quæ datur sit considerabilis respectu facultatum dantis. Et in hoc sicut in prætio considerari potest latitudo proportionis maximæ, mediæ, & infimæ, & horum altera sufficiet Pasqual. *quæst.* 134. *num.* 6.

493. Quando etiam danda est eleemosyna servata proportione ad facultates, si proportio sit minor, non privatur qui elemosynam dat omni fructu indulgentiæ, sed illius partem recipit juxta proportionem eleemosynæ datæ, ut docuit D. Thom. loco citato. Sed de hoc vide infrà *quæst.76.num.*538.*& seq.*

QVÆSTIO LXXI.

Utrum satisfaciat Jejunio necessario ad Indulgentias qui vescitur ovis, & lacticiniis.

SUMMARIUM.

494 *Opiniones diversæ.*
495 *In Quadragesima non jejunat, qui utitur ovis, & lacticiniis.*
496 *Idem si extrà Quadragesimam, ubi non sit privilegium, vel opposita consuetudo.*

494. POsse uti ovis, & lacticiniis eum, qui habet Bullam Cruciatæ voluerunt Sanchez *lib.* 4. *summ. cap.*11. *numer.*49. Diana *par.* 1. *tract.* 9. *res.*17. *& tract.*11. *res.*3. Bonac. *disp.*6. *quæst.* 1. *punct.* 5. *numer.* 16. Lugo *disp.*27. *num.*108. & Leander *quæst.* 60. & apud istos plures alii. Hoc verò ampliat Leand. *qu.*61. etiam ad non habentes Bullam extrà tempus Quadragesimæ, imò *quæst.* 62. hoc extendit etiam ad tempus Quadragesimæ.

495. Sed modo inter propositiones damnatas per Sanctissimum D. N. Alexandrum Septimum in Congregatione S. Officii 18. *Martii* 1666. adest hæc scilicet. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima obliget.* Unde certum est in quadragesima non valere jejunium, si jejunans usus est ovis, aut lacticiniis, & idem dicendum est extrà Quadragesimam.

496. Et in hac parte quod ait Leand. *quæst.* 61. scilicet nec jure, nec consuetudine interdici lacticinia in jejuniis extrà Quadragesimam, verum non est, & pessimè pro hac sua opinione refert D. Thom. 2.2.*qu.* 147. *art.*8. Cum ibi D. Thom. expresse doceat *in corp.* Quod Ecclesia in jejuniis vult abstinentiam à carnibus, ovis, & lacticiniis, *& in respons. ad ultimum* doceat, quod extrà Quadragesimam sunt diversæ consuetudines, & quod illæ servandæ sunt. Undè ubi non adsit in aliqua regione privilegium, aut consuetudo vescendi ovis, & lacticiniis in jejuniis extrà Quadragesimam, non licet eis uti, & qui utitur in jejuniis, quæ sunt de præcepto peccat, & si jejunat pro Jubilæo, aut Indulgentia consequenda, non satisfacit conditioni, & nihil lucratur.

QVÆSTIO LXXII.

Utrum in adimplendo opera injuncta pro Jubilæo sufficiat agere secundum opinionem probabilem.

SUMMARIUM.

497 *Opinio aliquorum.* 498.
499 *Opinio non facit quod Indulgentia sit concessa.*
500 *Nec quod habeat hunc, vel illum effectum.*
501 *Opinio quæ non probabilis.*
502 *Quæ opinio tutior.*
503 *Error facti licet probabilis non excusat, si quis ex errore opus injunctum omisit.*
504 *In præsenti non applicatur lex Barbarius.*
505 *Sufficit probabilior opinio.*
506 *Quæ opinio probabilior.*
507 *Subditi securè sequuntur dictamen Superiorum.*
508 *Opiniones contrariæ sufficiunt.*
509 *Quid faciendum circa absolutionem.*
510 *Et quid de confessione venialium.*
511 *Alia remissivè.*
512 *Obiecta soluta.*

497. NEgant Bonaccina *disp.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 5. *num.*27. & apud Pasqual. *quæst.*60. Faustus *de Iub. extraord. lib.* 4. *quæst.*120. Graff. *lib.* 2. *append. cap.*5. *num.*65. & Leon. *part.* 2. *num.* 122. Bossius *sect.* 4. *casu* 8. *num.*5. Diana *par.* 10. *tract.* 11. *resol.*34. Leander *tract.* 5. *disp.* 14. *quæst.* 164. Quia in conditionibus facti ignorantia vel error non excusat, quia conditio impleri debet; igitur si conditio operum injunctarum non impleatur, non obtinetur Indulgentia. Quod probatur à simili, quia matrimonium contractum coram eo, qui verè non est Parochus non valet. Et tertio non est eadem ratio de Jubilæo, & de jurisdictione respectu ejus, qui eam non habet, sed ex titulo, & communi errore illam exercet, quia hujus acta valent, quia aliàs sequeretur magnum damnum Reipublicæ, sed Communitati nullum commune damnum imminet ex eo quod hic, vel ille Indulgentiam non lucratur.

498. Sed Pasqual. *de Iubil. quæst.* 60. absolutè tenet, quod sufficiat si quis secundum probabilem opinionem opera injuncta perficiat. Quod probat tum primo quia voluntas Pontificis non operatur, nisi ut explicata in Bullis, igitur operatur, ut explicata secundum quamcumque rationabilem, & probabilem explicationem. Nam omnis talis explicatio convenit verbis, mens verò Pontificis est, ut voluntas ejus operetur quantum verbis explicatur. Tum secundo, quia sacra scriptura sub una litera habet plures sensus, & omnes illos intendit Spiritus Sanctus, igitur & literæ Pontificiæ plures sensus rationabiles, & probabiles habere possunt, quos omnes intendit Pontifex, qui voluit mentem suam esse qualem verba probabiliter exprimunt. Tum tertio quia in dubiis debemus recurrere

ad voluntatem interpretativam, ergo licet accipere quamcumque opinionem probabilem de præsumpta, atque interpretata mente Pontificis, quia quælibet opinio probabilis continet mentem Pontificis, ut regulatam secundum regulas rectæ rationis. Tum quarto, quia injunctio operum pro Indulgentia est per modum legis, at verò in dubio juris licet sequi probabilem opinionem relicta probabiliori, quia qui intelligit, & sequitur legem probabiliter intellectam censetur sequi voluntatem legislatoris. Tum quinto, quia implens opus secundum formam præscriptionis, satisfacit, quia concordat cum jure præscribente. At verò implens opus juxtà opinionem probabilem implet opus secundum formam præscriptionis, quia implet eam secundum formam probabilis, & rectæ rationis: igitur satisfacit. Nec obstat contrarietas opinionum, quia cum quælibet sit probabilis, quælibet est de mente injungentis. Tum sextò, quia stante opinione probabili præsertim circa factum, Ecclesia dat Jurisdictionem, licet non adsit verus, & legitimus titulus, ut tradunt Sanchez *lib.3. de matr. disp. 20. numer.4. & disp.22.num.65.& lib.3 sum. cap.9. num.35.* Suarez *disp. 36.de pœnit.sect.6.num.7.* Sylvest. *verb. confessor.3. quæst.* 19. Tabien, *verb.absolutio 1. numer. ult.* & quamplures alii ab eo citati. Quia gesta ex communi errore cum titulo putativo sunt valida, ut decernitur *in l. Barbar. §. & servus ff. de offic. Prætor. & cap. infamis vers. verumtamen 3. quæst.7.* ergo in hoc casu ex opinione probabili exigitur assistentia supremæ jurisdictionis ad vitanda incommoda, quæ sequerentur. Nam & operans secundum opinionem probabilem habet jurisdictionem supremam sibi probabiliter assistentem. Sic igitur operanti probabiliter Pontifex debet assistere ne inutiliter operetur. Tum septimo quia licet dicatur opinionem probabilem non juvare in iis, quæ dependent ex facto, hoc non est verum; quando factum dependet à voluntate Superioris, quia cum voluntas inferioris in factum subditorum non possit influere nisi medio eorum judicio practico, quo appræhendunt voluntatem illius ut exequendam; superior non intendit executionem sui operis nisi ut mensuratam à rationabili judicio ipsius exequentis, est verò rationabile judicium probabile.

499. In hac quæstione tria distingui debent, scilicet existentia Indulgentiæ, seu concessionis illius. Secundò Indulgentiæ concessæ effectus. Tertiò operum injunctorum quantitas, & qualitas. Est autem discrimen inter ista tria, quod tertium in sui executione necessariò dependet à voluntate, & judicio subditorum, qui implent opera injuncta, si volunt, & non possunt ea implere humano modo, aut libero, nisi ex judicio proprio, per quod judicent ex hoc vel illo modo, & forma, aut in hac, vel illa quantitate fieri debere ad præscriptum injungentis, sed hanc, vel illam esse mentem ejus, qui sub conditione operum Indulgentiam concessit. Sed primum, & secundum in sui entitate, & veritate, & executione non dependent à libertate, & judicio subditorum recipientium Indulgentiam. Sed primum, scilicet concessio Indulgentiæ supposita causa justa pendet à sola voluntate concedentis, & ejus concessione, quæ si facta est, & Indulgentia consequi potest, sed si non est facta, & verè coram Deo Pontifex, vel Prælatus Indulgentiam non concessit, nec centum mille opiniones probabilissimæ, imò habitæ tanquam certæ, possunt facere, quod Indulgentia sit concessa, si non est concessa; Quia opinio nulla potest facere, quod in rerum natura sit voluntas concedentis si non est. Nam neque aliqua creatura potest illabi menti Prælati concedentis, & facere quod velit, si non vult vel quod concedat, aut concesserit Indulgentiam, si non vult concedere, vel non concesserit. Vndè indubitatum est, & certum, quod opinio, vel judicium quodcumque subditorum quantumvis probabilissimum, & moraliter certum non facit, quod Indulgentia adsit, si concessa non fuit. An verò Indulgentia acquiri possit præscriptione, aut consuetudine, dicam infrà.

500. Similiter certum est, quod effectus Indulgentiæ in sua existentia, & entitate, aut quantitate, non dependet à judicio operantium ad acquisitionem Indulgentiæ. Requirit quidem hic effectus ex parte suscipientium dispositionem, nimirùm statum gratiæ, juxtà dicta *quæst. 25.* & adimplementum conditionis, sub qua Indulgentia est concessa, sed tamen his suppositis Indulgentia suum effectum causat infallibiliter per modum causæ, & actionis naturalis, non ad mensuram opinionis recipientium, nec ad mensuram voluntatis eorum, sed ad mensuram voluntatis concedentis, ut tantus sit effectus, quanta est Indulgentia concessa. Igitur nulla humana opinio, vel judicium potest vel augere, vel minuere effectum Indulgentiæ. An verò possit suscipiens augere effectum Indulgentiæ saltem dispositivè, non quidem opinando, sed meliùs se disponendo ex majori fervore, & devotione implendo opera injuncta, dicendum est inferiùs. Nunc sufficiat dicere, quod opinio sive probabilior, sive probabilissima, sive moraliter certa, non est mensura quantitatis effectus Indulgentiæ, quia Indulgentia non causat effectum dependenter ab opinione hujus, vel illius, sed ex natura sua, & secundum mensuram voluntatis concedentis eam, vel ut totalem, vel ut partialem, & ita quod, ut videbitur infrà, omnes vel totum effectum illius obtineant, vel nihil illius consequantur, *nisi in* casu aliquo speciali explicando.

501. Loquendo igitur de quantitate, necessitate, & qualitate operum injunctorum pro consequutione Indulgentiæ, quorum executio essentialiter dependet à judicio, & libertate exequentium, primò præmittendum est, quod in Congregatione S. Officii *die 24. Septembris* 1665. inter alias fuit à Sanctissimo D. N. Alexandro Septimo damnata hæc propositio. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Quamobrem cautè validè agendum est, ut judicari debeat aliqua opinio probabilis. Et certè maximè per regulas in jure approbatas, & per principia intrinseca, & rei motiva judicari debet, an opinio probabilis sit.

502. Considerandum est secundo, nos versari in materia juris, quæ si verè sit dubia sæpissimè non datur tempus consulendi legislatorem, & injungentem opera sub conditione, unde negari non potest, quod valida executio operum injunctorum non dependeat multum à judicio operantium ex juris regulis mensurandum. Dicere verò, quod in hoc casu servanda sit regula, quod in dubiis tutior pars est eligenda, si per tutiorem intelligit rigidiorem, seu quæ aut tuto attingit intentionem Summi Pontificis, aut eam non excludit, rem non explicat, quia potest benè contingere; quod Pontifex intenderit minùs sufficere; quam requirat severitas rigidioris opinionis, quæ dicitur tutior, & sic quod obligatio ad illum rigorem sit contra intentionem Pontificis præjudicialis etiam

Reipu-

Reipublicæ tanquam occasio, & motivum ob quod multi abstineant ab operibus injunctis, & à consuetudine Indulgentiæ contrà mentem Summi Pontificis,& Ecclesiæ.

503. Dicendum ergo primò, quod si dubium sit meri facti, & aliàs jus sit certum, ut si quis dubitat, an tot vicibus visitaverit Ecclesias, quot debeat visitari, vel an integrum Rosarium recitaverit, aut potiùs notabilem ejus partem omiserit, seu an in facto verè jejunaverit, sicut certum est debere jejunari, opinio etiam probabilior non suffragatur, si verè fuit defectus in facto, quia verè non fuit adimpleta conditio certò necessaria. Et in his nec ignorantia, nec oblivio invincibilis excusat.

504. Dicendum est secundò, quod si dubium est juris, quia dubitatur de mente Pontificis opera injungentis, illa opinio est tutior, quæ omnibus pensatis est verior, & probabilior secundum regulas juris, & quod ista suffragatur, & qui secundum hanc opinionem opera implet lucratur Indulgentiam. Ita Cotton. *lib. 2. contr.* 11. *num. ult.* Moveor, non quia in hac materia adaptari possit *l. Barbarius ff. de Offic. Prat.* quia leges non extenduntur de casu ad casum non expressum, maximè ubi non militat eadem, sed valdè diversa ratio, sicut in præsenti. Multum enim interest Reipublicæ, ut sustineantur actus gesti à publica persona errore communi concurrente, qui est casus dicta *l. Barbarius*, sed parum interest, quod hic vel ille non consequatur Indulgentiam in foro Dei, ex hoc enim Reipublicæ præjudicium non generatur. Et quod illa doctrina non procedat ex hoc est manifestum, quod gesta publici ministri sustineantur, stante communi errore, etiam si alias ille occultè sit in mala fide, & sciat se non esse legitimum officialem. Nullus verò dicet, quod acquirat Indulgentiam qui mala fide agit.

505. Ducor autem quia non potest esse alia mens concedentis Indulgentias sub conditione operum nisi ut in dubio ratio prævaleat, & pœnitentes impleant opera ex rationis ductu ideoque in illa forma, & mensura, quam judicant veriorem, probabiliorem, & rationabiliorem esse de mente injungentis, ideoque injungentis voluntatem verè assistere sic bona fide, & adeò rationabiliter præsumpta ejus mente operantibus dicendum est, non quia major probabilitas propriè det jurisdictionem, sed quia major probabilitas fert secum sufficientiam, & qualitatem requisitam in opere injuncto, & innititur menti practicæ ipsius injungentis. Qui licet intus in mente sua injungendo opus intendisset oppositum tamen illa intentio censenda est privata, speculativa, & occulta, sed mens ejus practica, donec meliùs se declaret, non potest esse, nec censenda est esse, nisi quod subditi opera injuncta exequantur prout veriùs, & probabiliùs judicant esse de mente injungentis, ut operentur.

506. In hac materia verò illa est probabilior opinio, quæ in praxi virorum piorum, & prudentum est communior, & sic quæ observantia est roborata. Similiter illa, quæ à Prælatis inferioribus est approbata. Item quæ Universalitatum calculo examinata fuit, & confirmata. Item illa, quam consuetudo jam præscripsit. Neque enim est cujuscumque viri judicare, an aliqua opinio sit probabilior, sed hoc judicium fieri debet à viris doctis, & regulis juris prudenter consideratis.

507. Alii autem in fide aliena vivere debent. Hinc verò sumitur probatio assertionis positæ. Nam ponamus casum, quod Rustici in hoc doctrinam sui Parochi sequantur, & cives opinionem sui Diœcesani, numquid dicendum est, quod illi non lucrentur Indulgentiam, si contingat, vel quod non impleant opus quod eis dictum fuit non esse necessarium, vel non implent illud cum qualitate illa, sicut verè Pontifex requirit, si mentem ejus, & speculativam, & occultam voluntatem spectemus? Dicendum igitur est, quod quidquid sit de occulta intentione Pontificis secundum ejus voluntatem simpliciter operatur, qui secundum directionem suorum Prælatorum, & Pastorum impleant opera injuncta. Quod verò dicitur de his, qui in fide aliena vivunt, pariter dicendum est de viris doctis, ut simpliciter impleant opus injunctum, & Pontificis practicam voluntatem, qui opera implent secundum quod prudenter, & magis probabiliter pensatis pensandis credunt mentis Pontificis esse, ut opera impleantur.

508. Et licet in his judicandis Episcopus Episcopo, & Parochus Parocho, & vir doctus viro docto possit esse contrarius, & sic possit contingere, quod utraque pars opposita à diversis sit judicata probabilior; hoc non interest, quia & practica voluntas Pontificis potest pro diversis locis, & personis ferri ad opposita, hoc uno firmo, & constante existente, quod operantium horum quilibet agat, ex judicio per quod judicat in re dubia hoc, vel illud esse magis verum, & conforme menti Pontificis.

509. Hic colligitur, quod non benè Diana admisit *part. 5. tract. 12. res. 32.* quod si quis in una hebdomada opera perficit, & in alia confessus fuit, verè sit absolutus à reservatis, quia est probabilis opinio, quod hoc possit fieri ex eo, quia opinio probabilis det jurisdictionem. Nam ut advertit Mercorus *par. 3. art. 17.* hoc est dubio, dubium velle solvere, & in proposito non est tutum, quod simplex probabilitas sufficiat; quasi quod Pontifex ad arbitrium cujuscumque indixerit opera; quod verò dicitur in dubiis circa absolutionem à reservatis eligi debere illam partem, quæ favet validitati absolutionis, & quæ est tutior, admittitur, sed dicitur eam esse talem, quæ est probabilior, & verior Doctorum, & piorum hominum calculo.

510. Inde si sit dubium, an dum injungitur confessio, sit necessaria confessio venialium, non est necesse eligere affirmativam, quia ut probatum est suprà *quæst.* 27. negativa longè est verior, & probabilior, ideoque etiam formaliter tutior. Et dato quod Pontifex in occulta mente sua intenderet etiam confessionem venialium ab eo, qui non habet mortalia, nihilominùs illa mens occulta, & non sufficienter manifesta non obligat, & sufficit, ut confiteatur, qui mortalia habet. Nam sola mens Principis non est lex, sed mens exterius sufficienter manifestata, undè in dubio lex est mens legislatoris in probabiliori prudentum judicio expressa, & declarata.

511. Cætera, quæ facere possent ad hanc materiam videri possunt *tom. 1. de statibus qu.* 186. *art.* 8. *inspect. 3.* per totam *à nu.* 232. *& pag.* 689.

512. Ad ea verò, quæ habet Pasqual. quatenus contraria sunt dictis ex eisdem patet responsio.

QVÆSTIO LXXIII.

Utrum status gratiæ sit necessarius tunc, cum qui vult consequi Indulgentiam exequitur opera injuncta.

SUMMARIUM.

513 *Opinio aliquorum.*
514 *Sufficit quod homo sit in gratia in complemento operum.*
515 *Sufficit quod homo sit dispositus perfectè quando est recepturus effectum Indulgentiæ.*
516 *Sufficit si dispositio proxima habetur in statu gratiæ.*
517 *Non est necesse quod dispositio ad vitam sit viva nisi dispositivè.*
518 *Non est per se requisitum quod opus injunctum sit meritorium de condigno, aut satisfactorium.*
519 *Opus bonum morale in peccatore est in Dei obsequium, & est bonum, & meritorium de congruo.*
520 *Confirmatur resolutio super quæst.*
521 *Qui partem operis exequitur nihil de Indulgentia recipit.*
522 *Etiam si finis Pontificis sit placare Deum, sufficit, quod homo in complemento operis injuncti pro Indulgentia sit justus.*
523 *Sufficit quod homo sit in gratia in fine jejunii.*
524 *Non est necesse quod famulus dans eleemosynam nomine Domini sit in gratia.*
525 *Non est necesse quod sit in gratia qui dat eleemosynam pro alio.*
Ubi confessio est injuncta non potest regulariter esse ultimum opus.
526 *Non sufficit confiteri post ultimum opus.*

513. Videtur ita dicendum, tum primò ex forma concedendi Indulgentiam, quæ talis est. *Omnibus verè pœnitentibus, & confessis qui visitaverint.* In hac enim forma pœnitentia vera præmittitur, & præsupponitur operibus injunctis. Dictio enim *qui* refert personas cum suis qualitatibus, & easdem qualitates inducit in dispositionem sequentem juxta notata per juris Peritos *in l. omnes populi ff. de Iust. & Iur.* Jason. Alex. *in l. filius à Patre ff. de lib. & posthum.* Calcan. *de condit. & demonstr. par. 2. cap. 1. quæst. 18.* igitur hoc decernitur, quod qui visitant Ecclesias sint pœnitentes, & confessi, & sic sint in statu gratiæ. Tum secundò, quia opus quod est ratio communionis passionis Christi, & Sanctorum cum membris vivis, oportet quod sit vivum. Quæ enim conventio lucis ad tenebras? Et cum thesaurus Ecclesiæ sit acquisitus ex operibus vivis Christi, & Sanctorum, non debet nisi per opera viva applicari. Tum tertiò, ad impletionem causæ Indulgentiæ necessarium est meritum communionis remissivæ, meritum autem remissionis pœnæ pro peccato debitæ est opus vivum. Tum quartò, quia cum opera peccatoris sint mortua, & sint opera inimici, non possunt esse in obsequium Dei, sicut esse debent opera injuncta. Et ideò nonnulli hanc partem affirmantem sequuti sunt Caiet. *part. 1. tract. 10. quæst. 2. & tract. 15. cap 9.* Adrian *in 4. quæst. de Indulg. conclus. 3.* Comit. *lib. 1. resp. mor. qu. 37. num. 2.* Petrus Sotus *in instr. lib. 3. de Indulg.* Armilla *verb. Indulgentia numer. 14.* Corduba *resp. mor. part. 1. quæst. 104.* Fabrin. *de Iubil. cap. 33.*

514. Communis nihilominus DD. sententia est, ut status gratiæ non sit necessarius ad implenda opera injuncta, sed sufficiat, peccatorem esse in statu gratiæ, tunc enim complet ultimum opus, seu tunc cum Indulgentia debet habere effectum suum ita Palud. *4. dist. 20. qu. 4. art. 3.* Sotus *dist. 21. quæst. 2. art. 3.* D. Anton. *part. 1. tit. 10. cap. 3. §. 5.* Sylvest. *verb. Indulgentia quæst. 10. num. 32.* Tabien. *quæst. 4.* Nugn. *Supplem. 3. p. quæst. 27. art. 3.* Fœlin. *de Indulg. num. 18.* Navar. *not. 19. numer. 19.* Corduba *lib. 5. quæst. 24.* Suarez *d. disp. 52. sect. 5. num. 8.* Bossius *sect. 4. casu 11. num. 12.* Palaus *tract. 24. par. 8. num. 3.* Pasqual. *qu. 31.* Leand. *quæst 41.* & apud istos Rodriq. Graff. Layman. Botton. Filliuc. Bonac. Sanctarell. Polach, Lavor. Leo, Gratian. Naldus, Valent. Tolet. Coninch. Reginald. Villalob. Sylv. Mercer. Putean. Præpos. Ilambert. & Duall. Lezana *verb. Indulgentia num. 5.* Fœlin. *num. 22. & 28.* Epit. Cand. *disp. 52. art. 11.* Hæc enim sententia est confirmata praxi, & consuetudine Ecclesiæ vidente, & tacitè approbante Summo Pontifice, in Jubilæis enim etiam Romæ in conspectu Sedis Apostolicæ plurimi sunt, qui confitentur post inchoata jejunia, aut Ecclesiarum visitationem, nec præsumendum est ta. es esse in statu gratiæ ante confessionem, cum imò ex peccatoribus quamplurimi sint, qui solum per actualem confessionem justificantur. Cum ergo consuetudo universalis sit optima legis interpres *cap. Dilectus de consuet.* & Clem. *exivi §. item quia de verb. signif. l. minimè ff. de leg.* ab hac non est recedendum.

515. Sed probatur magis ex solut. rationum contrariæ sententiæ. Ad primam dicitur, quod verbum *qui* refert personam, & qualitates requisitas ad dispositionem, sed dispositio principalis continetur in illa parte, in qua conceditur Indulgentia, non verò in qua injunguntur opera. Imò additur quod tota illa clausula. *Omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui visitaverint, &c.* importat injunctionem operum, & impositionem conditionis, & idem ac si diceretur *omnibus, qui pœnituerint, & confessi fuerint, & visitaverint, &c.* ut constat ex extravag. *Antiquorum de pœn. & remiss.* & extravag. *Unigenitus eod. tit. in 6.* & ponderatum est suprà *quæst. 28.* Ex eo verò, quod injunctorum operum unum nominatur prius, non sequitur quod in executionem debeat alia omnia præcedere.

516. Ad secundam dicitur, quod ex quo thesaurus, qui communicatur, constat ex fructu operum vitalium Christi, & Sanctorum, non est magis necesse, quod opera, quorum ratione communicatur per Indulgentias sint viva, qua sint necesse, quod sint viva opera, quibus communicatur per Sacramenta. Sic & in Sacramentis consideratur principium motus, quod in operibus non vivis consistit respectu Sacramentorum, quæ primam gratiam, & simul vitam conferunt, in termino verò dispositiones proximæ vivæ sunt. Sic, & in Indulgentiis sufficit, quod ultimum opus, quod est veluti dispositio proxima sit opus viventis, sed priora opera sufficit, quod sint dispositiones ad vitam.

517. Et si dicatur hoc verificari posse, quando effectus Indulgentiæ unitur cum opere, & eodem tempore fit; sed hoc non posse dici, quando opus est prius

prius tempore effectu Indulgentiæ, ut quando pro certo opere datur Indulgentia plenaria semel in vita, & semel in morte; tunc enim nisi opus fiat in statu gratiæ pro nullo opere vivo dabitur Indulgentia, & sic tota ratio communionis vitæ, erit opus non vivum. Respondetur, quod opus injunctum est ratio communionis thesauri vitalis per modum conditionis, & dispositionis, at verò dispositio ad vitam, non est necesse, quod sit vita, vel aliquid vivum, nisi dispositivè, & taliter vivum est opus bonum peccatoris, quod est in se bonum bonitate morali, & est actus supernaturalis, quia est à Deo movente hominem ad finem supernaturalem. Ex quo vero thesaurus est vitalis, & quod communicatur non est gratia sanctificans, sed est remissio pœnæ, supponentis jam vitam, sufficit, quod homo sit jam vivus in tempore, in quo Indulgentia habitura est effectum suum.

518. Ad tertiam dicitur, quod assumit falsum; neque enim est necessarium, quod opus, cujus intuitu datur Indulgentia, sit meritorium de condigno, vel satisfactorium. Pœna enim remittitur, quia applicatur, & solvitur debitum illius ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum. Hujus verò applicationis, seu communionis non est in nobis necessaria, nec datur causa de condigno meritoria. Sed imò ex hoc hæc communio dicitur Indulgentia, quia datur ex gratia, & liberalitate. Et quod injungitur aliquod opus hoc fit, quia hæc communicatio non debet fieri, nisi ex causa pia, & justa. Sed quoniam Indulgentia peccatoribus conceditur, & imò unus de præcipuis finibus Pontificis concedentis Indulgentias est ex hoc allicere homines ad pœnitentiam, & perducere eos de statu peccati ad statum gratiæ, ideò per se sufficit, quod hujusmodi opus injunctum sit veluti dispositio remota ad vitam, & ubi sit dispositio veluti proxima, tunc sit vivum saltem in termino, in quo Indulgentia operari debet suum effectū.

519. Ad quartum dicitur pariter falsum esse, quod opus bonum peccatoris non sit in obsequium Dei; solùm enim peccatum non est in Dei obsequium. Cæterum opus bonum peccatoris, licet non sit simpliciter perfectè pium, quia non est ex charitate, est tamen absolutè bonum, & potest esse meritorium de congruo, & aliquid à Deo impetrare, & de facto pluries impetrat. Insuper est aliqua dispositio saltem remota ad fugienda vitia, ad se perfectè convertendum in Deum, & ad gratiam obtinendam. Sic jejunium juvat ad moderandam vim passionum, quæ pœnitentiam, & propositum non peccandi impedire solent.

520. Colligitur primo ex hujus *quæst.* resolutione comprobari, quod dictum est *quæst. super*: scilicet quod opus habitum secundùm opinionem magis probabilem valet ad Indulgentiam lucrandam. Nam ex istis duabus opinionibus, prima, quæ requirit, quod opera omnia haberi debeant ab homine justo est sine dubio tutior in eo sensu, quod qui illam sequitur, errare non potest, & quia illa opinio certissimè non excludit veram mentem Pontificis, nec illi est contraria, & tamen si illa opinio necessariò esset amplectenda, ut quis lucraretur Indulgentias, paucissimi ex secularibus illas acquirerent. Quia ut advertit Navar. *not. 19. n. 14. & 19.* plurimi sunt, qui non existentes in gratia accipiunt Bullas Cruciatæ, & alias similes, & comparatione justorum multo plures sunt, qui in tempore Jubilæi incipiunt jejunare non existentes in statu gratiæ. Et tamen non est verisimile, nec dicendum, quod omnes isti inaniter operentur, & Indulgentiam non obtineant, si ante operum complementum justi fiunt Quamobrem verè opinio ista secunda, quam sequimur, sicuti est probabilior, ita est coram Deo, & Ecclesia tutior.

521. Colligitur secundo non esse verum, quod aliqui dixerunt, scilicet quod is, qui solùm partem operis exequitur in statu gratiæ, solùm partem Indulgentiæ consequitur. Nam Indulgentia per modum formæ indivisibilis sub conditione operis injuncti conceditur, & ideò aut tota, aut nihil illius acquiritur. Tota verò acquiritur ab eo, qui totum opus injunctum præstitit, licèt non totum in statu gratiæ, quia hoc non est necessarium ad effectum Indulgentiæ.

522. Colligitur tertio, quod etiam si finis Indulgentiæ sit placare Deum, adhuc non est necesse, quod totum opus injunctum fiat ab homine existente in statu gratiæ, nedum quia opera bona peccatoris fidelis valeant ad impetrandam Dei misericordiam, & gratiam, sed quia opera injuncta ordinantur immediatius, ad hoc ut disponant peccatores ad pœnitentiam, & ad perfectam conventionem in Deum, per quam recipiant gratiam. Et propterea opera injuncta, & Indulgentiæ consecutio utilia sunt ad finem ab Ecclesia intentum. Quia peccator Indulgentiam non consequitur, nisi se reducat ad statum gratiæ, & sic nisi opus ultimum, quod complet conditionem, sub qua tunc datur gratia, sit opus vivum, & meritorium, & impetratorium apud Deum, sicut alia opera viva.

523. Colligitur quarto, quod si conceditur Indulgentia jejunantibus uno die, sufficit, quod jejunans in fine diei sit in statu gratiæ, aut Indulgentiam obtineat, jejunium enim, quod est opus diei durat toto die usque ad dimidium noctis sequentis, sufficit verò, quod homo sit in gratia in tempore, in quo completur opus. Consumatur verò jejunium, quando dies expirat, & quidem per primum non esse sui, quod est instans jejunio extrinsecum, sed intrinsecum illi, ut est opus injunctum, & conditio sub qua est concessa Indulgentia.

524. Colligitur quinto, quod ubi quis exequatur opus aliquod injunctum ministerialiter per alium, ut v. g. quia dat eleemosynam medio servo, non est necesse, quod servus operans sit in statu gratiæ, sed quia fructus gratiæ non est conferendus illi, sed Domino illius, qui, si illud est opus ultimum, in cujus complemento confertur effectus Indulgentiæ debet esse in gratia, aliter effectum Indulgentiæ non lucratur. An verò ubi confessio sit necessaria ipsa possit esse ultimum opus dictum fuit suprà *quæst. 28. nu. 4.*

525. Colligitur sexto, quod ubi quis potest implere opus, & acquirere Indulgentiam pro alio, sicut ad obtinendas Indulgentias Bullæ Cruciatæ, satis est, quod unus pro alio spontè sua det eleemosynam injunctam, & pro illo Bullam accipiat; cum necesse sit, ut alter saltem ratum habeat, & ideò Indulgentiæ tempus sit, dum ratum habetur factum ab alio, tunc ille debet esse in statu gratiæ, & sufficit, ut effectum Indulgentiæ obtineat. Quidquid sit, an in gratia fuerit, qui eleemosynam dedit, & Bullam pro eo accepit.

526. Non sufficit verò, quod sit in gratia, dum dat eleemosynam distribuendam, sed dum datur pauperi, quia tunc eleemosyna completur, & est tempus fructus Indulgentiæ.

QVÆSTIO LXXIV.

An opera injuncta pro Indulgentiis possint simul eodem tempore impleri.

SVMMARIVM.

527 Qui est in Ecclesia plures Indulgentias illi concessas potest simul lucrari.
528 Eamdem Indulgentiam lucratur, qui est vicinus Ecclesiæ, & qui venit à mille dietis.

527. SI contingat, quod in eadem Ecclesia sint concessæ, plures Indulgentiæ ad eas acquirendas, non est necesse, quod quis tot vicibus recedat, & accedat ad illam Ecclesiam, quot vult aliquam ex illis Indulgentiis acquirere, sed dummodo pro qualibet illarum impleat opus pro illa injunctum, potest omnes illas lucrari. Ad hoc enim naccessaria est visitatio Ecclesiæ, vel Altaris, quæ perficitur ex eo quod in Ecclesia, vel coram Altari perficitur illa oratio, seù opus quod est injunctum. Ideò qui habitant in Domo Ecclesiæ, licet ad eam peregrinare non habeant opus, nihilominùs eam, & visitare possunt, & Indulgentias illius lucrari.

528. Iter enim ad Ecclesiam, & labor in ea assumptus extrinseca sunt, & necessaria per accidens illis, qui habitant longè ab Ecclesia, opus verò injunctum est Ecclesiæ visitatio, & hoc sufficit, ut perficiatur, ad hoc ut acquiratur Indulgentia. Et ideò ut docet D. Thom. *4.dist.20. quæst.4. art.3. quæst.2. ad 4.* eamdem Indulgentiam acquirit vicinus, ac ille, qui venit à mille dietis.

QVÆSTIO LXXV.

Utrum opera injuncta pro Jubilæo implenda sint in loco Jubilæi.

SVMMARIVM.

529 Aliqua opera implenda sunt in loco Iubilæi.
530 Non tamen opera personalia.

529. OPerum injunctorum duplex est discrimen, quædam enim sunt per se affixa loco, ut visitatio hujus, vel illius Ecclesiæ determinatæ, & in Anno Sancto visitatio Ecclesiarum Urbis, quas Pontifex designat; Et hujusmodi visitatio, seù opera similia sine dubio impleri debent in loco Jubilæi.

530. Alia verò sunt opera personalia loco non affixa, ut est jejunium, eleemosyna absolutè, & indeffinitè injuncta, confessio peccatorum, & similia, & hæc non est necesse impleri in loco Jubilæi. Unde absens, vel antequam ad locum Jubilæi accedat potest jejunare, dare eleemosynam injunctam, confiteri, & sic uti favoribus, & indultis, quæ concessa sibi sunt, ut eligat confessorem, ut absolvatur à reservatis, ut ejus vota commutentur, & postea accedere ad locum Jubilæi. Quod tamen debet intelligi, ut hæc omnia fiant in hebdomada ad hujusmodi opera deputata. Pariter qui in loco Jubilæi opera localia implevit, potest discedere, & alia opera personalia extra locum perficere intrà tamen hebdomadam designatam Navarr. *de Indulg.not.39* Bonac. *disp.6.de Sacram.qu.1.par.5.num.35.* Layman. *lib.5.tr.7.cap.8.nu.11.* Boss. *sect.4. de Iub.casu 4.nu.1.* Pasqual. *de Iubil.quæst.50.*

QVÆSTIO LXXVI.

Vtrum mensura effectus Indulgentiæ desumi debeat ex devotione suscipientis.

SVMMARIVM.

531 Opinio aliquorum.
Mensura effectus Indulgentiæ non est devotio suscipientis.
532 Remissio pœnæ per Indulgentiam non proportionatur labori.
533 Opus injunctum est dispositio ad Indulgentiam, & illud sufficit ut acquiratur.
534 Sufficit quod opus injunctum sit pium.
535 Qui totum opus implet totam Indulgentiam lucratur, & nihil illius acquirit, qui non implet totum opus.
536 Quid si opus injunctum non sit proportionatum toti Indulgentiæ.
537 Non fiet proportionatum ex majori devotione.
538 In eleemosyna ad auxilium temporale minor quantitas sufficit respectu pauperis, quam divitis.
539 In eleemosyna injuncta reddenda stat, quod, qui dat partem, lucretur partem indulgentiæ.
540 In oratione non datur hæc latitudo.
541 Inæqualitas operis confert, si ita sit expressum.
542 Opus injunctum est conditio, qua impleta tota indulgentia acquiritur.
Intellectus extravag. antiquorum de pœnit. & remiss.
543 Qui devotiùs exequitur opus injunctum plus meretur.
544 Qui devotiùs exequitur opus injunctum exteriorem remissionem pœnæ acquirit ex opere operantis.
545 Alia responsio improbatur.
546 Frequentiùs exequi opus injunctum est securius consequi effectum indulgentiæ.
547 Quomodo in Sacramentis gratia detur secundùm quantitatem devotionis.
548 Non est eadem ratio de indulgentia, quæ est remissio tantæ pœnæ sub conditione operis injuncti.

531. AFfirmantem partem tenent Navar. *not.15. num.15.* Layman. *lib.5. tr.7. cap.5. num. 2.* Coninch. *tom.2.disp.13.dub.6.n.34.* Georgius Palachius in Bullam Urbani VIII. *sect. 41. num. 57.* Sylvius *in 3. par. quæst. 27. suppl. art. 2. quæst 2.* ità ut majorem pœnæ remissionem consequatur, qui est melius dispositus, quod probatur, quia opera ad finem ordinata, quanto meliora sunt, & fini magis proportionata, tantò magis valent, ut efficacius, & uberius finem consequantur; quantò autem quis ex majori devotione, & cha-

& charitate opera injuncta implet opera meliora facit, majorem igitur quantitatem fructus Indulgentiæ consequitur. Tum secundo *ex Extravag. antiq.* Bonifac. VIII. *de pœnit. & remiss.* ibi: *Unusquisque autem plus merebitur, & Indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas amplius, & devotius frequentabit.* Tum tertio. Nam Sacramenta conferunt gratiam secundum mensuram devotionis, & dispositionis, cum quia suscipiuntur; ergo etiam Indulgentiæ, cum & ipsæ conferant effectum ex opere operato, majorem præstabunt effectum in melius disposito.

532. Dicendum nihilominus cum D. Thom. 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 2. *ad* 4. quem sequuti sunt Gloss. *in extravag. antiquorum vers. quia ergo Indulgentia* Turrecremata *§. item in Levitico artic.* 4. *num.* 24. Durand. 4. *dist.* 20. *quæst.* 4. *num.* 9. Bolog. *de indulgent. num.* 84. Navar. *not.* 31. *num.* 35. Nug. *tom.* 2. 3. *part. quæst.* 27. *supplemen. artic.* 3. *disput.* 6. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 4. Suarez 3. *part. tom.* 4. *disput.* 52. *sect.* 8. *num.* 6. Boss. *sect.* 4. *casu* 21. *num.* 38. Pasqual. *quæst.* 35. & apud eum Benzon. Pinell. Faustus, & Leon. Palaus *tract.* 24. *p.* 8. *num.* 3. de Lugo *disput.* 27. *num.* 83. quod remissio pœnæ, quæ fit per Indulgentias non proportionatur labori, aut devotioni suscipientis, sed meritis, & satisfactionibus, quæ dispensantur de Ecclesiæ thesauro, & ideo ubi in subiecto non sit impedimentum ad recipiendum fructum Indulgentiæ est æqualis in omnibus, quia quilibet qui indiget, vel totum effectum Indulgentiæ recipit, vel nihil illius obtinet: Dictum autem est per se, & ex parte Indulgentiæ, & si suscipiens indiget; quia materialiter plus recipit v. g. de Indulgentia plenaria, qui magis debet, quam qui debet minus, & in Indulgentia partiali v. g. septem annorum, plus recipit, qui habet reatum pœnæ decem annorum, quam qui habet reatum pœnæ unius solius anni, sed hoc est per accidens, & materialiter, & ex eo quod plus conceditur, quam suscipiens indigeat. Cæterum per se Indulgentiam æquè plenariam recipit quicumque sivè magis, sivè minùs devotè opera injuncta impleat, & quilibet per se totam acquirit, si tota indiget.

533. Ad hujus verò evidentiam benè ponderanda sunt verba illa D. Thomæ loco citato, *scilicet quia remissio non proportionatur labori, sed meritis, quæ dispensantur.* Remissio non proportionatur labori, quia primò opera injuncta non sunt meritum, cui debeatur pœnæ remissio, sicuti nec ipsa inducuntur, ut satisfactio pro eadem pœna, sed justitiæ divinæ satisfit per applicationem satisfactionis Christi, & Sanctorum, de thesauro enim Ecclesiæ satisfit divinæ justitiæ; Hinc etiam est, quod in dispensatione hujus thesauri per Indulgentias non servatur justitia distributiva, quia hujusmodi dispensatio fit per modum donationis prudenter factæ.

534. Secundo remissio non proportionatur labori, ex eo quod labor sit dispositio ad illam recipiendam. Nam hujusmodi remissio per se ab intrinseco non præsupponit in subjecto, nisi culpam, cui debetur pœna, esse remissam, & statum gratiæ, ideo maior, vel minor dispositio actualis per se non confert ad majorem, & inæqualem effectum Indulgentiæ. Ex eo verò, quod opus injunctum est dispositio quædam injuncta à concedente Indulgentias, jam qui totum opus injunctum implet, habet omnem dispositionem necessariam ad totum effectum Indulgentiæ; igitur ad hoc nihil facit major, vel minor operantis devotio, sed minima sufficit ad consecutionem totius effectus Indulgentiæ ei, qui totum opus injunctum implevit.

535. Tertio verum est, quod opus injunctum pertinet ad causam piam, ob quam justè conceditur Indulgentia, sed quia non imponitur modus devotionis, secundùm quem illud opus fieri debeat, sed sufficit, quod opus injunctum sit pium, & ut pium impleatur; ideo neque ex hac parte habetur, ut quantitas remissionis proportionetur operi injuncto.

536. Verum hic distinguendum est, nam vel opus injunctum præcisè impletum complet justam causam concedendi Indulgentiam, vel non complet. Et si complet, vel est determinatum secundum quantitatem, & modum, vel est indeterminatum. Si opus injunctum præcisè secundum se sumptum complet sufficientem causam, ob quam concessa est Indulgentia, & est determinatum ab injungente quantum ad quantitatem, & modum, non potest esse inæqualitas in remissione pœnæ, quæ confertur per Indulgentiam; Quia qui integrum opus non implet, nihil percipit de effectu Indulgentiæ, quia totum integrum opus requiritur. Quilibet verò, qui implet totum opus injunctum recipit totum Indulgentiæ effectum; Unde qui amplius aliquid facit, vel devotius, ac devotius agit, nihil amplius percipit ex vi Indulgentiæ, quia illud est extrà causam Indulgentiæ, nec ratione illius aliquid amplius concessum est, à dante Indulgentiam.

537. Si autem opus injunctum est determinatum, & non præbet sufficientem causam ad tantam remissionem pœnæ, quanta concessa est illius intuitu, dicunt quidam quod tunc qui cum majori devotione, aut frequentius perficit illud opus potest lucrari majorem fructuum usque ad integram quantitatem concessam. Ita Suarez *d. disp.* 52. *sect.* 8. *num.* 5. Navarr. *de Indulg. not.* 15. Layman *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 2. sed tamen hæc inæqualitas non provenit per se, & formaliter ex inæqualitate operis, sed quia opus injunctum non præbet causam proportionatam ad tantum fructum, quantus fuit concessus; sed hoc negat Pasqual *de Jubil. q.* 35. *num.* 4. quia si ex quo causa non est sufficiens ad tantam Indulgentiam, ideo Indulgentia est nulla in ordine ad tantam quantitatem, sed solum ad minorem illi operi proportionatam; igitur maior quantitas non est concessa, quia idem est eam quantitatem esse nulliter concessam, & non esse concessam. At verò privata devotio, aut opus hominis non potest facere, ut virtute clavium, & nomine Christi Domini sit concessum, quod verè non est concessum; igitur quantumcumque crescat operantis devotio, vel multiplicentur opera, non possunt facere, quod sit concessa maior quantitas Indulgentiæ, quam illa, quæ operi injuncto respondet, igitur majorem quantitatem non lucratur, qui devotiùs, vel frequentiùs agit, quia non potest lucrari, quod non est concessum. Sed dicent DD. prioris sententiæ jam Pontificem virtualiter concessisse, & concedere totam illam integram quantitatem, quam expresse concessit, quia intentio illius fuit illam concedere, & quod de facto non con-

concesserit validè, est quia concessit pro causa judicata sufficienti, quæ coram Deo non est verè sufficiens, ergo saltem de mente est, ut si detur causa sufficiens, tota illa quantitas acquiratur. Verum poterit instari in contrarium, quia non est tutum in materia Indulgentiarum niti voluntati, & concessioni Pontificis præsumptæ, & sufficienter non expressæ.

538. Sed si opus injunctum præbeat causam sufficientem Indulgentiæ concessæ, sed tale opus sit indeterminatum, ut si injuncta fuerit aliqua eleemosina, & aliquod auxilium dandum pro ædificanda Ecclesia, tunc aliqui adhuc existimant dari aliquod minimum in re certum, & determinatum, quod sit sufficiens causa Indulgentiæ concessæ, & quod unusquisque præbens illud minimum, lucretur totam Indulgentiam, sed D.Th *4. dist. 20. q. 1. artic. 3. q. 2. ad 3.* in casu eleemosinæ injunctæ ad auxilium temporale, ut dictum est supra *q. 70.* vel quantitatem illius non esse certam, & fixam, & in re determinatam, sed ad arbitrium prudentis esse determinandam. *Quando*, inquit, *datur Indulgentia indeterminatè v. g. qui dat auxilium ad fabricam Ecclesiæ, intelligitur tale auxilium, quod sit conveniens ei, qui auxilium dat, & secundum illud plus, vel minus de Indulgentia consequetur. Unde etiam aliquis pauper dans unum denarium, consequetur totam Indulgentiam, non autem dives, quem non decet ad opus tam pium, & fructuosum, ità parum dare; Sicut non diceretur Rex alicui homini auxilium dare, si ei obulum daret.* Sic igitur etiam ubi opus injunctum est in quantitate indeterminatum, nullus quacumque maxima quantitate data lucratur amplius, quam sit quantitas remissionis determinata, quæ fuit concessa, quam etiam lucratur unusquisque, qui dederit minimam quantitatem, quæ sit sufficiens secundum statum, & conditionem suam. In hoc tamen est inæqualitas ex inæqualitate status, & conditionis personarum proveniens, quia minor quantitas pecuniæ sufficit pauperi, quam diviti, ad hoc ut totam Indulgentiam consequatur.

539. Quamvis verò supra probatum fuerit, quod ad lucrandam partem Indulgentiæ non sufficit exhibere partem operis injuncti, quia sub conditione totius operis concessa est Indulgentia, non verò sub conditione partis, hoc limitandum est, ut non procedat in eleemosina, quando in ordine ad temporale emolumentum injungitur indefinitè. In hoc enim casu distinguendum est, quia quod datur, vel est tam parvæ quantitatis, ut respectu cujuscumque personæ non sufficiat, servata forma concessionis, ut quia v. g. dat tam parvam eleemosinam, quæ non sufficeret pauperi servata forma concessionis, & qui hanc partem dat, nihil Indulgentiæ acquirit. Vel quod dat, licet non sit sufficiens sibi, est tamen sufficiens alicui servata forma concessionis, & hic licet non totam, partem tamen Indulgentiæ lucratur. Et sic dives dans illam quantitatem eleemosinæ, quæ sufficit pauperi, non totam, sed partem Indulgentiæ lucratur.

540. Sed quæret aliquis, an in oratione latitudinem habeat Indulgentiæ consecutio, sicut in eleemosina, ut detur orationis quantitas, quæ uni sufficiat puta seculari, & non sufficiat alteri puta Clerico, vel Religioso, quia isti ex statu videntur esse ditiores, quam seculares. Sed dicitur non dari hanc latitudinem, sed eamdem minimam orationem, quæ tanta sit, ut respectu alicujus secum ferat sufficientem causam juxta formam concessionis Indulgentiæ, sufficere pro omnibus. Quia oratio non est bonum, quod actum in parva, vel magna quantitate possideatur ab hominibus, non est enim pecunia, quæ sit in bonis, sed quilibet potest habere orationem, vel in duratione longissimam, vel in devotione intensam, si voluerit. Quod si dicatur aliquos impediri, ne possint consumare tempus in longa oratione, vel quia peccatores sunt, & malè habituati, non possunt nisi speciali gratia devotiùs orare. Respondetur, quod hæc sunt impedimenta accidentaria, quæ accidere possunt cuicumque statui personarum, & ideò eadem quantitas orationis convenit deputari cuicumque, quia per se in hoc, quod est posse orare homines non sunt inæquales, sed solum per accidens. Sed addendum est etiam quod, ut dictum est supra *quæst. 70.* nec etiam in eleemosina datur latitudo hujusmodi, quando est intenta principaliter proximè, ut est actus virtutis, sed tunc eadem quantitas sufficit pauperi, & diviti, quia etiam ad finem Pontificis eadem quantitas eleemosinæ, vel orationis sufficit sivè à divite, sivè à paupere detur.

541. Advertendum quoque est ex eodem D. Thom. supradicta verificari, quando ex forma concessionis Indulgentiæ eadem concessio fit pro omnibus, sed in concessione est, ut qui plus laborat, majorem fructum Indulgentiæ obtineat, tunc clarum est inæqualitatem operis conferre ad inæqualitatem effectus Indulgentiæ.

542. Ad primum dicitur, quod opus injunctum licet sit medium ad consequendum finem Indulgentiæ, respectu tamen Indulgentiæ non est medium, sed conditio, & ideò etiam in ordine ad finem Indulgentiæ est medium à concedente assumptum, & determinatum, ut quicumque illud præstet, totam Indulgentiam consequatur, qui verò illud non præstant, nihil consequantur, nisi admissa latitudine suprà explicata, ut quando eleemosina injuncta est quantum ad quantitatem indeterminatam. Et quia præterea sub conditione cadit substantia boni operis, non verò excessus devotionis; ideò ex hoc excessu non potest augeri fructus Indulgentiæ, qui sub certa quantitate est promissus impleri onus injunctum.

543. Ad secundum dicitur, quod Bonifacius Octavus non dixit, quod plus de Indulgentia consequatur, qui devotiùs, & ampliùs Basilicas frequentaverit, sed *quod magis plus merebitur, & efficaciùs Indulgentiam consequetur*. Ex quibus verbum *merebitur* sine dubio intelligitur de meritò ex parte operantis, quomodo manifestum est, eum cæteris paribus plus mereri apud Deum, qui devotiùs, & frequentiùs visitat Ecclesias. Et in eumdem sensum Gloss. ibi adducit verbum *efficacius*, ut efficacius consequi Indulgentiam sit consequi ex opere operantis majorem gratiam, quæ de se efficacius operetur ingressum in Regnum Cœlorum. Pasqual. *de Iubil. q. 55. num. 9.* dicit, quod illud verbum *efficacius*, importat, quod Indulgentia fiat major extensivè, quia ex illa majori devotione Indulgentia extenditur ad remissionem pœnæ debitæ

bitæ peccatis venialibus, si quæ antea non erant remissa quantum ad culpam, & quæ ex illius devotionis excessu dimittuntur.

545. Alii dicunt, Pontificem ibi loqui de visitatione Basilicarum, quæ fieret ultra illas triginta vices, quas ipse præstituerat; Et non potest de alia visitatione intelligi, quia loquitur de illis, qui Basilicas ampliùs, & devotiùs frequentaverint, ampliùs scilicet quam esset necessarium ex vi formæ Jubilæi, quo stante existimant, quod fortasse ex hoc Pontifex voluerit concedere novam aliquam Indulgentiam respectu peccatorum, quæ post susceptum Jubilæum commiserint, sed hoc sine fundamento deducitur, nec verba illa novæ Indulgentiæ concessionem important.

546. Respondetur igitur evidens esse ex illis verbis Bonifacii VIII. non deduci, quod qui devotiùs, aut frequentiùs implet opus injunctum, majorem consequatur Indulgentiam, nedum quia Bonifacius hoc non dicit, sed etiam quia loquitur de devotione, & frequentia executionis operis injuncti, quæ consequitur ad Indulgentiam jam obtentam, & sic loquitur de visitatione Basilicarum; quæ sit supererogationis, & quæ supponit jam Indulgentiam plenissimam fuisse acquisitam. Et nihilominùs optimè dicit, quod qui sic ampliùs quam sit sibi injunctum visitat Basilicas cæteris paribus plus meretur, quod est manifestum, & efficacius, idest securiùs, & certiùs, superando cum majori vi, & efficacia impedimenta consequitur Indulgentiam; quia si forsan aliqua ex visitationibus Basilicarum non fuisset sufficiens, ejus insufficientia suppleretur per sequentem visitationem factam servata forma concessionis. Et præstare opus cum majori devotione, & frequentia, quam sit injunctum, est efficacius, securius, & certius consequi Indulgentiam concessam.

547. Ad tertium respondetur, & dicitur primo, quod nec in Sacramentis melior dispositio est causa majoris gratiæ justificantis, nam actus nostri non sunt causa, vel physica, vel moralis justificationis, nihil enim quod præcedat justificationem illam meretur, ut definivit Concil. Trid. *sess. 6. cap. 8. de justificatione*, sed gratis ex Dei misericordia homo justificatur. Quando igitur dicitur, quod justificatio fit secundum quantitatem dispositionis, dictio *secundum* non reduplicat mensuram, & causam, sed specificat terminum illius proportionis, secundum quam Deus gratis, & ex puro liberali amore donat justificando hominem. Deus enim justificando movet cum suavissima efficacia hominem, ut tantum se disponat, quantum gratiæ vult donare. Nam, & de mente D. Thom. dispositio proxima ad gratiam non est dispositio vialis, sed est gratiæ infusæ effectus. De his videri possunt, quæ scripsi in opusc. de causa justificationis. Sed nihilominus dicitur non esse eamdem rationem. Nam in Sacramentis gratia concedenda non est determinata, sed sicut ipsa potest in infinitum esse major, ita in infinitum major potest acquiri, si homo gratiæ, & Deo moventi cooperare velit. Sed hic pœna temporalis, cujus reatus remanet post culpam dimissam est finita, & determinata, & per Indulgentiam, vel tota, vel pars remittitur sub conditione operis injuncti, non potest ergo inæqualiter remitti juxtà hunc modum concedendi Indulgentiam servata proportione devotionis, quia per opus injunctum tota acquiritur, quæ est concessa præscindendo ab excessu majoris devotionis, vel melioris dispositionis, quæ non est conditio, sub qua Indulgentia sit data.

QVÆSTIO LXXVII.

Vtrum pro acquirenda Indulgentia requiratur desiderium, & solicitudo satisfaciendi per opera pia.

SUMMARIUM.

549 *Opinio quorumdam.*
Ad lucrandam Indulgentiam non est necessaria sollicitudo, & desiderium satisfaciendi per propria opera.
551 *Qui quærit Indulgentiam intendit satisfacere modo sibi licito, & ex sibi donatis.*
552 *Concessio Indulgentiarum non est indiscreta.*
Indulgentia non valet nisi justis.
553 *Nulla prodigalitas est Indulgentiarum concessio.*
554 *Non est dolosus, qui intendit satisfacere per Indulgentias.*

549. AFfirmant Caiet. *part. 1. tract. 10. qu. 1.* Armilla *verb. Indulgentia num. 13.* quamvis dicant tam gravem posse esse causam Indulgentiæ, ut inde suppleri possit in totum, vel ex parte defectus talis dispositionis. Probatur primò, quia non est dignus alieno adjutorio, qui negligens est in subveniendo sibi ipsi, cum id possit facere facile. Tùm secundò, nam illa indiscreta dispensatio thesauri Ecclesiæ, est potius prodigalitas, quam liberalitas, nec redundaret in ædificationem, sed in destructionem, quia esset fovere negligentiam fidelium, & teporem in satisfaciendo pro suis delictis. Tùm tertio, quia Indulgentiæ conceduntur verè pęnitentibus, non sunt verò pęnitentes verè, qui negligunt satisfacere pro peccato. Tùm quarto, quia qui acceptat pœnitentiam sibi datam à Confessario cum animo non implendi dolosè agit, & ideò est indignus, ut ei subveniatur per Indulgentiam.

550. Nihilominus certum est oppositum, nimirum ad consequendum effectum Indulgentiæ non esse necessarium desiderium, & sollicitudinem satisfaciendi per propria opera. Hoc enim supponunt D. Thom. *4. dist. 20. qu. 1.* & quod *l. 2. art. ult.* & alii antiqui *in 4. d. dist. 20.* & docent communissimè Sotus *4. dist. 21. qu. 2. art. 3.* Corduba *lib. 5. qu. 30. de Indulg.* Calder. *in cap. nostra de pœnit. & remiss.* Bellarm. *lib. 1. de Indulg. cap. 13.* Suarez *tom. 4. disp. 52. sect. 9.* Nugn. *in 3. par. tom. 2. q. 27. art. 3. dub. 7.* & ibi Sylv. *art. 2.* Palaus *tract. 24 par. 6. nu.* 8. Isambert. Dual. Coninch. Filliucc. Leo, Valent. Henriquez, & Layman. quos sequitur Pasqual. *qu. 33. nu. 2.* Navar. *notab. 31. nu. 31.* malè citatus à Pasqual. pro opposita sententia. Et ratio est, quia hujusmodi dispositio nec ex natura rei, nec ex injunctione Pontificis est necessaria. Non quidem ex natura rei; quia cum Indulgentiæ effectus non sit aliqua forma in subiecto recepta, non requirit aliquam dispositionem in subiecto, quæ illud reddat formæ capacem, & ad illam disponat. Quamvis quia remissio pœnæ ex natura rei supponit remissionem culpæ, ideo Indulgentia supponit justitiam, & gratiam sanctificantem, qua supposita jam homo

homo non potest esse indignus remissione pœnæ, si ille per se, vel alium satisfaciat. Non ergo ex natura rei necessarium est ad consequendam Indulgentiam desiderium satisfaciendi per propria opera, cum justo sufficiat, sive per propria opera, vel per satisfactiones Christi, & Sanctorum divinæ justitiæ satisfaciat. Quod verò hujusmodi dispositio non sit necessaria, quia à Pontifice requisita, patet, quia nihil est in forma concedendi Indulgentias, quod hujus conditionis necessitatem exprimat.

551. Ad primum dicitur, quod negligens in subveniendo sibi ex propriis bonis non est positivè indignus adjuvari ex alienis, imò illis indiget, sed in præsenti negatur suppositum, quia qui vult satisfacere per assecutionem Indulgentiæ, non vult satisfacere ex alienis simpliciter, sed ex iis, quæ licet essent aliena, facta sunt sibi propria, ex quo sibi sunt concessa, & donata. Adde quod hæc negligentia, quæ supponitur, vel est culpa mortalis, ut si quis absolutè neque hic, neque in Purgatorio vellet satisfacere. Et huic non conceditur Indulgentia, quæ non conceditur nisi justis, & supposita pœnitentia, & culpæ mortalis remissione. Vel est solum culpa venialis, & hæc non reddit indignum Indulgentia. Vel nulla est culpa, sicut verè nulla est velle satisfacere omni meliori modo sibi possibili, & sive per propriam satisfactionem, sivè per alienam sibi donatam. Et sic hujusmodi nec propriè est negligentia, nec est peccatum, nec reddit indignum concessione Indulgentiæ.

552. Ad secundum negatur, quod hujusmodi concessio sit indiscreta; maximè quod regulariter in paucis invenitur hujusmodi negligentia, undè nec fuit opus, ut isti pauci exciperentur à consecutione Indulgentiæ, ex eo quod nec de se est peccatum. Unde hujusmodi concessio prudentiæ est. Nec fovet negligentiam, aut tepiditatem eorum, qui opera satisfactionis prætermittunt, sed suppletur, & juvatur eorum fragilitas. Quod si aliqui ex hoc occasionem accipiunt agendi, hoc accidentarium est, & alia via est illis providendum.

553. Ad tertium, quod cum Indulgentia non concedatur, & valeat nisi justis, procul dubio conceditur verè pœnitentibus. Falsum verò est, quod qui non vult satisfacere per propria opera non sit verè pœnitens, si vult satisfacere aliundè modo sibi licito. Et cum sit à Christo institutus duplex modus satisfaciendi, non est impœnitens, qui alterum eligit, sed est prudens, si hoc modo succurrit fragilitati suæ: Et si Christus non fuit prodigus fundendo suum sanguinem etiam pro indignis, multò minus est prodigus Summus Pontifex, si alias justis concedit facilem modum satisfaciendi, ex hoc simul alliciens eos ad veram pœnitentiam, à qua ex fragilitate abstinerent forsan, si per propria opera necessitarentur satisfacere pro gravibus peccatis.

554. Ad quartum dicitur, quod cum Confessarius non imponat pœnitentiam, ut omninò exequendam, & ita ut non possit pœnitens ab ea obligatione liberari per consecutionem Indulgentiæ, non est dolosus, qui acceptat pœnitentiam animo satisfaciendi per Indulgentiam, seu animo omninò eam implendi, nisi sibi per claves remittatur. Imò ex DD. qui existimant, quod Indulgentia non remittat nisi pœnas pœnitentibus injunctas nonnulli consulunt pœnitenti, ut petat sibi injungi à Confessario pœnitentias graves, & magnas, ut hoc modo majorem fructum Indulgentiæ consequi possit.

QVÆSTIO LXXVIII.

Utrum ad concedendam Indulgentiam requiratur aliqua causa finalis honesta, & pia, quæ moveat concedentem ad illam concedendam.

SUMMARIUM.

555 *Argumenta ad quæstionem.*
556 *Ad concessionem Indulgentiæ requiritur causa pia ex communi utilitate sumpta.*
557 *Non est justum, quod peccator ex mera liberalitate sine æquitate justitiæ absolvatur à pœna sibi debita.*
558 *Dispensatio tesauri debet fieri ex justa causa.*
559 *Liberare à miseria proximum est honestum si fiat cum modo, & ordine.*
560 *Publicus dispensator ex bono publico moveri debet.*
561 *Non est eadem ratio de eleemosyna, & de Indulgentia.*
562 *Non est eadem ratio de confessione, & de Indulgentia.*
563 *Potestas Indulgentiarum dirigenda ex justa causa.*

555. CUm rei detur finis intrinsecus, & extrinsecus, ad quem res ordinatur, finis verò intrinsecus Indulgentiæ sit ejusdem effectus, qui est remissio pœnæ temporalis debitæ in foro Dei, & in Purgatorio solvendæ, nisi solvantur in hac vita, quia hic finis est de se honestus, videtur quod nulla alia causa finalis sit necessaria præter Indulgentiæ finem intrinsecum, qui est liberare hominem à miseria. Nam hoc per se honestum est, & quod se solo sufficiat probatur. Tum primo, quod, quia hoc sufficit respectu suscipientis Indulgentiam, ut illam pro se, aut alio suscipiat, si id faciat, ut se, vel proximum liberet à pœna, etiam si nullum aliud motivum extrinsecum habeat. Tum quia in temporali eleemosyna sufficit, quod dans illam intendat pauperis miseriæ subvenire. Tum quia Christus Petro absolutam potestatem concessit ligandi, & solvendi juxtà id, quod promiserat *Matt. 16.* dicens, *quodcumque solveris super terram erit solutum, & in Cœlis.*

556. His tamen non obstantibus omninò certum est ad justè, & prudenter concedendam Indulgentiam non sufficere finem proximum illius, sed requiri alium finem, aliudque motivum ad pietatem, & boni communis utilitatem spectans. Hoc docuit D. Thom. 4. *4. dist. 21. quæst. 1. art. 3. ad 2.* & idem docent communissimè DD. Ratio est, quia potestas concedendi Indulgentiam non esset in Ecclesiæ ædificationem, sed destructionem, si Pontifex pro sola sua voluntate ex sola intentione liberandi peccatores à reatu pœnæ temporalis Indulgentias concederet: non enim esset, unde homines multum timerent pœnas, si scirent eas sibi posse liberaliter condonari. Et præterea magnum absurdum esset, si Pontifex sola sua voluntate, sine alia causa

causa posset Purgatorium spoliare, vel pœnitentibus totum reatum pœnæ remittere eo tantum fine, ut eos à pœnæ miseria liberaret.

557. Sed ad hujus evidentiam duo in Indulgentia consideranda sunt, nimirum absolutio à pœnæ reatu, & dispensatio thesauri Ecclesiæ. Manifestum verò, quod absolutio hujusmodi non potest concedi sine justa causa. Tum, quia est actus Judicis *cap. quod autem de pœnit. & remiss.* Judex verò non potest absolvere reum pro sola sua voluntate, sine justa aliqua causa. Et hic duplex intrat ratio justitiæ, nimirum justitiæ vindicativæ Dei, cui debet satisfieri. Quamvis enim Indulgentia non sit absolutio propriè judicialis, quæ fiat inter partes, causa cognita, tamen in ea servari debet æquitas justitiæ, Deus enim in suis operibus non tantùm misericordiam, sed etiam justitiam vult manifestari. Sicut igitur Confessarius non potest absolvere à culpa, nisi homine ex parte sua satisfaciente Deo, & nisi ex applicatione satisfactionis Christi, ita cum proportione non debet peccator absolvi à pœna, quàm debet, nisi satisfiat divinæ justitiæ. Secundò intrat ratio justitiæ legalis, quæ postulat ut hujusmodi remissio pœnæ, quæ fit per Indulgentiam, non fiat sine judicio, & consideratione communis boni, & aliter, hæc esset prodigalitas, non liberalitas, & non benignitas, sed crudelitas, quia tolleretur vitiorum correctio.

558. Maximè verò ad Indulgentiam concedendam requiritur causa ex parte dispensationis Thesauri. Et hic intrat præcipua ratio justitiæ communis, seù legalis postulantis, ut hujusmodi dispensatio non fiat, nisi cum modo, & ordine, & ideò ex justa causa, sine qua remissio pœnæ fieri posset sine termino, quod est maximè absurdum.

559. Ad argumentum igitur dicitur, quod liberare à miseria proximum est honestum, si fiat cum modo, & ordine. Nam aliàs privata facultate v. g. liberare eum à carceribus est inhonestum, & communia bona dispensare, etiam indigentibus sine necessaria auctoritate, est injustum. Ad honestatem verò dispensationis factæ à ministro requiritur, quod fiat secundum rationabilem voluntatem Domini, qui dispensationem mandavit. Pontifex verò est Christi minister, qui quidem vult, quod thesaurus Ecclesiæ rationabiliter dispensetur in ordine ad publicam Ecclesiæ utilitatem, & Dei honorem.

560. Sic ad primam probationem dicitur non esse eamdem rationem suscipientis Indulgentiam, & illam concedentis. Ille enim supponens jam sibi communicatum de Ecclesiæ thesauro, unde lucretur Indulgentiam, tanquam privata persona honestè agit, si commodum suum quærit, & pro illo ex honesto desiderio laborat. Quamvis etiam debeat respicere finem à concedente intentùm, ut suprà dictum fuit, sed concedens est persona publica, & minister dispensator boni communis, & ideò non sufficit illi, quod velit fideles liberare à pœna, & sublevare à miseria ex thesauro Ecclesiæ, sed ad hoc faciendum se debet movere ex motivo boni communis.

561. Ad secundum dicitur non esse eamdem rationem de eleemosyna, & de concessione Indulgentiæ. Tùm quia eleemosyna fit de propriis bonis, quorum homo est Dominus. Tùm quia non est actus justitiæ legalis, sed privatæ charitatis, seu misericordiæ. Tùm quia ex illa non sequitur aliquod detrimentum boni communis.

562. Ad tertium paritèr dicitur, non esse eamdem rationem de confessione, & concessione Indulgentiæ, quia in ea nulla fit dispensatio arbitraria boni communis, sed supposita pœnitentis dispositione ex Christi institutione ille absolvitur, & ideò honestè Confessarius absolvit, si id facit, quia sic justum est, & Christus fieri mandavit. Sed in Indulgentia dispensatur thesaurus Ecclesiæ ad arbitrium Pontificis, & ideò requiritur, ut tale arbitrium ex causa legitima fiat.

563. Ad quartum dicitur, quod imò colligitur potestatem datam Petro ad concedendas Indulgentias, cum sit arbitraria, debere regulari ex justa causa, aliter non esset in ædificationem, sed in destructionem.

QVÆSTIO LXXIX.

Vtrum Indulgentia sine justa causa concessa sit nulla.

SVMMARIVM.

564. Videtur non esse nullam; Sic enim voluerunt Palud. *4. dist. 40. q. 4. in princ.* D. Anton. *part. 1. tit. 10. cap. 3. §. 1.* & favet Tabien. *verb. Indulgentia nu. 10.* & probatur quoniam multa fieri prohibentur, quæ facta tenent, hoc autem dici debere etiam de Indulgentia concessa sine justa causa probatur multis exemplis. Nam primò excommunicatio injusta est valida, propter hoc enim est timenda. Secundò, absolutio ab excommunicatione licet injustè data, valida est. Item tertiò valida est injusta dispensatio in jejunio sine causa, si fiat ex absoluta voluntate habentis potestatem dispensandi. Item quartò collatio beneficii facta minus digno, vel (ut multi volunt) etiam indigno, valida est, non obstante quod sit contra justitiam distributivam, & jus positivum similem collationem prohibeat. Quæ confirmantur, quia si concessio Indulgentiæ sine justa causa esset invalida, vix Prælati Ecclesiæ possent prudenter illam concedere, cum obscurissimum, & difficillimum sit judicium de tali causa, & fideles non possent firma fiducia, & pacata conscientia Indulgentias lucrari, aut de illis fidere.

565. Omnes nihilominus DD. tàm Theologi, quàm

quàm Canonistæ sentiunt causam piam esse necessariam ad valorem Indulgentiæ. Et colligitur ex Clem. 6. *in extravag. unigenitus de pœnit. & remiss.* & Leone X. *in epist.* & decreto misso ad Card. Caiet. & ex *sess. ult.* Concil. Constant. Non enim Pontifices fatentur se habere potestatem Indulgentias concedendi; nisi ex justa causa. Ratio autem est, quia Prælati Ecclesiæ in hoc non sunt Domini, sed dispensatores juxta illud 1. *Cor.* 4. *Sic vos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores misteriorum Dei, & 1. Petri 4. Sunt boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Dispensator vero non potest validè dispensare bona Domini sibi commissa, nisi id faciat secundum voluntatem Domini; At verò voluntas Christi est, ut dispensatio Indulgentiarum validè non fiat, nisi fiat ex justa causa. Quod ex natura ipsa hujus concessionis colligitur.

566. Nam conditio illa est necessaria ad concessionis Indulgentiarum substantiam, & valorem, quæ est omninò necessaria ad finem principalem, propter quem illarum potestas conceditur, qui est, quod hujusmodi potestas sit in ædificationem, non verò in destructionem 1. *Cor.* 4. & 2. *Cor.* 10. At verò non in ædificationem, sed in destructionem Ecclesiæ esset, si Indulgentia sine causa pia concessa esset valida *cap. ex eo de pœnit. & remiss.* Nam, & hoc aliud sequeretur, quod Pontifice sine causa concedente Indulgentiam plenariam omnibus animabus Purgatorii, factum teneret, quod quidem absurdissimum est concedere. Secundo nam potestatem Indulgentiarum constat non esse datam solùm propter liberandas animas à reatu pœnæ, aliter hæc sola causa sufficeret ad concedendam Indulgentiam, quod probatum est esse falsum; ob alias igitur causas solùm potest Indulgentia concedi.

567. Accedit, quod ut habet D.Thom. 4. *dist.* 20. *qu.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 5. aliorum bona non possunt validè dispensari, & donari, nisi id fiat ex dominorum voluntate. Merita autem Christi, & Sanctorum reposita in Ecclesiæ thesauro aliorum bona sunt, & non possunt validè applicari huic, vel illi, nisi ex præsumpta voluntate illorum, non est verò verisimile, quod intentio Christi, & Sanctorum sit, ut eorum merita, & satisfactiones validè applicentur ad satisfactionem pro hoc, vel illo sine justa causa, ex sola applicantis voluntate.

568. Ad argumentum igitur respondetur, & admisso dari multa illicitè facta, quæ sunt valida, negatur de hoc numero esse concessionem Indulgentiæ, & dicimus in Ecclesia non esse potestatem concedendi validè Indulgentias, nisi concedantur ex justa causa.

569. Et ad prima tria exempla primo respondetur, quod non sunt ad rem, quia continent ea, quæ fundantur in humano jure, in quo superior legislator validè dispensator sine justa causa, quia cum jus illud dependeat ex illius superioris voluntate, qui si velit potest jus illud in totum abrogare, multò magis potest in illo dispensare; concessio verò Indulgentiarum attingit divinum jus; sicut verò inferior non potest etiam in jure humano validè dispensare in jure superioris sine justa causa, multò minus potest homo sine rationabili causa dispensare Ecclesiæ thesaurum, qui ex jure divino petit non dispensari sine causa.

570. Et nihilominus primum exemplum retorquetur, quia excommunicatio, si deficiat justa causa illam imponendi est omninò nulla. Similiter retorquetur secundum exemplum. Quia licet, qui excommunicationem tulit, seu ejus superior possit validè absolvere ab illa etiam sine justa causa, id tamen non potest facere inferior; multò minus igitur homo quilibet potest contrà jus divinum aliquid validè concedere sine justa causa. Et similiter procedit tertium exemplum, nullus enim inferior in lege jejunii, vel quacumque alia lege humana dispensat validè, si id faciat sine justa causa.

571. Ad quartum exemplum dici posset necessitatem boni communis postulasse, quod collatio beneficiorum etiam facta contra justitiam distributivam valida esset, quia bono communi magis convenit, quod postquam Prælatus est constitutus potius sit validus, quam nullus. Nam aliàs Ecclesia non esset certa de suis Prælatis, si disputandum esset, an collatio fuerit, vel non fuerit contra justitiam distributivam.

572. Responderi posset secundo ex doctrina Suarez *disp.* 53. *sect.* 2. *num.* 15. exemplum non facere ad rem, quia aliud est violatio legis & aliud dispensatio in lege, quæ legis obligationem aufert, & facit quod liceat id, quod alias esset contrà legem. Collatio beneficii facta, vel indigno, vel minus digno est sola violatio legis. At verò ex eo solo, quod lex violetur factum est quidem illicitum, sed non est nullum, nisi lex etiam expresse irritet factum contrà seipsam. Sed collatio beneficii non est dispensatio, neque enim aliquam obligationem legis relaxat. Quidquid igitur sit, an collatio beneficii facta indigno sit valida, dato quod valida sit, argumentum non habet vim, quia illa collatio est violatio legis, non verò est dispensatio in lege, sicut est concessio Indulgentiæ, quia per eam dispensatur, ut per satisfactiones jam præteritas, & alienas satisfiat pro peccatis postea de novo patratis. Sed contrà hoc est, quia non est lex, quæ prohibeat offenso consentiente satisfieri offensis successivè factis ex satisfactionibus in thesauro conservatis, maximè quod hæc non est remissio offensæ, sed pœnæ debitæ pro offenso jam dimissa pœnitente offensam detestante, & in Deum offensum se per amorem convertente, undè non est hic locus dispensationi alicujus legis divinæ, sed summa Dei pietas æquitati conjuncta. Et tamen hic dispensatio thesauri, quæ non est commissa nisi ad certam causam, qua deficiente dispensatio est irrita.

QUÆSTIO LXXX.

An si Indulgentia sit nulla ex defectu causæ bona fides pœnitentis illi suffragetur.

SUMMARIUM.

573 *Ubi Indulgentia est data sine causa justa bona fides non sufficit ad hoc ut sit valida.*

573. Videtur enim, quod ad minus sit liber ab injuncta sibi pœnitentia, quia hæc est debita ex jure humano, licet enim de jure divino sit, ut satisfiat pro peccato, quod tamen satisfactio fiat per hoc opus est de jure humano, super quo Pontifex validè dispensat etiam si id faciat sine justa causa. Sed dicitur

dicitur quod bona fides excusat quidem pœnitentem, ne peccet, si pœnitentiam injunctam non implet, cum laboret ignorantia invincibili, seu probabili. Coram Deo tamen tenetur pœnitentiam implere, quia Pontifex concedendo indulgentiam non revocat absolutè præceptum Confessoris, qui pœnitentiam injunxit, sed solum applicando pro eo satisfactiones Christi, & Sanctorum, & ex hac suppositione, quæ si sit nulla, manet integra obligatio ad pœnitentiam injunctam à Confessario. Suarez *disp.53.sect.2.n.17.*

QVÆSTIO LXXXI.

Utrum cæteri favores, qui simul cum Indulgentia conceduntur sint nulli, si sit nulla Indulgentia ex parte causæ.

SUMMARIUM.

574 *Ex nullitate Indulgentiæ ex parte causæ, non sequitur quod sint nulli favores alii, qui ex jure humano proficiscuntur.*

575 *Valet in hoc casu facultas eligendi Confessorem.*

574. RESpondetur hujusmodi favores in quantum pendent ex jure humano esse validos, etiamsi concessi sint in ordine ad lucrandam indulgentiam. Ratio est, quia ad valorem favorum hujusmodi sufficit voluntas Pontificis. non verò requiritur justa causa. Nec obstat, si concessi sunt in ordine ad indulgentiam, quia non per hoc Pontificis intentio fuit, ut valor indulgentiæ esset conditio necessaria ad valorem favorum hujusmodi, sed omnia absolutè concessit, & voluit esse valida quantum potuit, licet unum voluerit ex intentione alterius. Suarez *disp. 53. sect. 2. num.18.*

575. Si igitur Pontifex simul cum indulgentia concessit facultatem eligendi Confessorem, qui absolveret à reservatis, & qui posset commutare vota, vel alia similia concessit, hæc valida sunt, & validè facta, si alias servanda servata sint. Et sic qui in virtute talis concessionis absolutus fuit à reservatis, valide fuit absolutus, & sibi aliunde commutata fuerunt vota, si servatis aliàs servandis illa commutata fuerunt.

QUÆSTIO LXXXII.

Utrum necesse sit causam Indulgentiæ ad communem utilitatem Ecclesiæ pertinere.

SUMMARIUM.

576 *Opinio aliquorum:*

577 *Causa justa concedendi Indulgentias debet esse aliquid eorum, quo redundet utilitas communis.*

578 *Probatur inducendo plures causas legitimas ex Passerini de Indulgentiis.*

579 *Aliquando ex causa immediatè privata conceduntur Indulgentiæ.*

580 *Privatum bonum potest præbere causam justam Indulgentiæ.*

581 *Preces possunt facere ad causam justam.*

582 *Necessaria est causa publica finaliter, principaliter, & formaliter.*

576. AFfirmare videtur Sotus 4. *dist.21. q. 2. art.2. vers. hic vero considerandum.* Quo etiam sensisse videtur Albertus Magnus 4.*dist.20. art.17.* & ideo pro hac sententia illos refert Suarez *disp. 53. sect.4. nu.1.* Probatur autem ex eo quia thesaurus Ecclesiæ est bonum commune, igitur non nisi ex bono communi est dispensandus. Tum secundo, quia hic fuit antiquos mos Ecclesiæ.

577. Sed dicitur causam concedendi indulgentiam debere quidem esse aliquid ex quo redundet utilitas communis. Et sic motivum formale, & principale esse communem, & publicam utilitatem Ecclesiæ, sed tamen motivum proximum, & materiale potest esse utile privatum, ità habetur ex D.Thom. *4.dist.20.q.1. art.3.q. 2.* Sylvest. *verb. Indulgentia qu. 3.* Suarez *disp. 53. sect.4.* Sylvius *in 3.p.D.Thom.q.25.suppl.art. 2. qu. 2.* De Lugo *disp.27.nu.145.* Palaus *tract.24.p.7.nu.8.* Nugnus *in supplem.quæst.25. art.3.dub.1.concl.2.* Nam, vel indulgentia conceditur immediatè toti Ecclesiæ sive sit personalis, sive etiam sit localis, quia minimum omnibus visitantibus aliquam Ecclesiam indulgentia conceditur. Vel conceditur alicui parti Ecclesiæ, ut dum conceditur indulgentia Regularibus, vel Collegiis, vel Confraternitatibus. Vel etiam conceditur privatæ personæ. Quomodocumque autem concedatur manifestum est proximam, & materialem causam concessionis posse esse bonum particularis provinciæ, vel Congregationis, vel loci, tale tamen quod redundet in bonum commune. Sic quando in Concil. Lateranen. in fine concessa fuit indulgentia pro recuperanda terra Sancta, quæ etiam extensa fuit ad pugnantes contrà hæreticos, & habetur *cap. excommunicemus §. Catholici de hæreticis*, motivum concedendi indulgentiam fuit bonum illius Provinciæ, sed principaliter simul fuit bonum totius Ecclesiæ, cujus interest ut terra illa Sancta non sit Barbaris subiecta, sicut ejus interest, quod hæreses extirpentur. Sic quando conceditur indulgentia alicui loco, aut Ecclesiæ, causa indulgentiæ immediatè attingit locum illum. Sic enim hoc modo concessæ sunt Indulgentiæ visitantibus Basilicas Apostolorum. Et sic etiam in Dedicatione Ecclesiæ accedentibus Indulgentia conceditur, *c. quod autem de pœn. & remiss.* & nihilominus hæc utilitas redundat in totam Ecclesiam, nedum quia Indulgentia similis est concessa omnibus fidelibus, sed quia cultus, reverentia, & honor, qui tribuitur Deo, & Sanctis, est totius Ecclesiæ utilitas.

578. Hoc evidentius est manifestum, consideratis causis concedendi Indulgentias, quæ communiter ex usu, & placito Doctorum approbantur tanquam legitimæ. Nam causa legitima nedum est necessitas aliqua totius Ecclesiæ, sed etiam alicujus partis, ut si aliqua Provincia, vel Civitas morbo Epidimiæ laboret, aut opprimatur ab hostibus. Item causa justa est Christiani populi reformatio, vel spirituale pietatis augmentum, occasione enim Indulgentiæ populi multum moventur ad pietatem, & frequentem usum Sacramentorum; sed si in aliqua particulari Pro-

 vincia,

vincia, aut loco esset specialis indigentia illam reformandi, ex hoc rationabiliter concederentur Indulgentiæ, ut fideles illius loci invitarentur ad observantiam divinæ legis, & frequentem Sacramentorum usum. Item justa causa est concedere Indulgentiam in die solemni alicujus Sancti, ut cum majori devotione celebretur, & augeatur devotio erga hanc, vel illam Ecclesiam, seu hunc, vel illum Sanctum, ut in *Clem. unic. de reliq. & venerat. Sanctorum, & in extravag.* 1. & 2. *eod. tit.* Unde etiam pro temporali bono Ecclesiarum promovendo, quatenus hoc cedit in spiritualem utilitatem Indulgentiæ conceduntur, & etiam pro substentanda in aliquo loco hospitalitate, ut in *cap. cum ex eo de pœnit. & remiss.*

579. Sed aliqando ex causa valdè particulari, & privata licitè conceduntur Indulgentiæ, vel personis privatis, vel etiam communitati. Sic Pontifices Romani solent morientibus concedere Indulgentiam plenariam sine nova alia causa, solùm quia, vel in honestate vitæ, vel in Ecclesiæ servitiis excellunt, quod facere est honestissimum, tùm ratione gratitudinis, tùm in aliorum exemplum. Et huic similis videtur Indulgentia, quam Martinus V. in Concil. Const. concessit illis, qui in eo Concil. adfuerunt. Hanc eamdem causam potest præbere necessitas spiritualis privatæ personæ, ut si quis morti proximus nimium esset dejectus animo, & diffidaret de salute sua, & sperari posset, quod per Indulgentiam erigeretur in spem. Hujus exemplum habemus in Apost. Paulo 2. *ad Cor.* 2. qui peccatori veniam concessit, nè nimia tristitia absorbecetur.

580. Sed privatum bonum potest præbere causam justam concedendi Indulgentiam communitati, & omnibus, ut pro impetranda salute Regis alicujus, aut Prælati, aut personæ utilissimæ Reipublicæ. Vel etiam si persona sit insignis sanctitate, aut literis, aut nobilitate. Et maximè ubi favor factus huic personæ habet rationem, vel premii virtutis, vel gratitudinis. Nam est magnum bonum Ecclesiæ, ut alii intelligant Ecclesiam specialem gratiam, & favorem spiritualem conferre hujusmodi hominibus, ut ad eorum imitationem alii animentur.

581. Sed & preces alicujus personæ multum juvare possunt ad movendum Pontificem, licet enim solæ preces non sufficiant sine aliqua alia causa justa, tamen & ipse valere possunt non parum. Sic enim in principio Ecclesiæ usitatum fuisse ad petitionem Martyrum dare veniam lapsis, habetur *ex cap. veniam* 35. *dist.* & habetur ex Innoc. I. *epist.* 23. ad Episcopos Macedoniæ *cap. ult. & ex* Cyp. *epist.* 15. & habemus exemplum ex Clem. 6. *in extravag. unigenitus*, & Sixto IV. *in extravag. quorumdam de pœnit. & remiss.* Nam, & hujusmodi preces valere possunt ad complendam causam, quæ justificet Indulgentiam. Tùm quia preces istæ sunt pia fidei professio, & specialis devotio ad Apostolicam sedem. Tùm quia possunt esse meritum, cui ex gratitudine talis gratia concedatur.

582. Igitur utraque opinio vera est, nec sunt contrariæ, quia quod thesaurus communis non debeat dispensari, nisi ex causa communi est verum de causa communi formaliter, finaliter, & principaliter. Et quando Indulgentia conceditur ex causa privata, quia Pontifex non respicit illam causam privatam, nisi materialiter, & in ordine ad commune bonum, & sic formaliter, ut est ex causa universali, & publica. Et in hoc sensu intelligitur Albertus asserens necessariam esse causam publicam, quod voluit etiam Turrecr. *§. item in Levitico de pœn. dist.* 1. *art.* 1. *num.* 11.

QUÆSTIO LXXXIII.

Utrum ad valorem Indulgentiæ sufficiat quælibet causa pia, vel potius sit necessaria causa justa, & proportionata.

SUMMARIUM.

584 *Opiniones variæ.*
585 *Ad valorem Indulgentiæ requiritur causa proportionata.*
586 *Excessus Indulgentiæ suprà causam concessus est nullus.*
587 *Devotio operantis, seù bonitas operis injuncti non est mensura quantitatis effectus Indulgentiæ.*
588 *Opus pertinet ad causam Indulgentiæ inquantum ex eo redundat utilitas communis.*
589 *Mensura justitiæ concessionis Indulgentiæ est Dei honor, & Ecclesiæ utilitas.*
590 *In causa necessaria est proportio æqualitatis ad Indulgentiam.*
591 *Concessio indulgentiæ ex causa non proportionata est valida pro parte.*
592 *Proportio causæ ad indulgentiam habet latitudinem supremi, medii, & infimi.*
593 *Sufficit æqualitas secundum prudentem æstimationem.*
594 *Concessio indulgentiæ ex circumstantiis potest esse illicita, & tamen valida.*
595 *Quomodo stat, quod pro eodem opere concedantur diversæ indulgentiæ.*
596 *Idem opus ex diversis circumstantiis præbet causam concessionis multarum indulgentiarum.*
597 *Officium Pontificatus difficillimum.*
598 *Secundum D. T. ad valorem indulgentiæ est necessaria causa proportionata.*
599 *Secundum D. T. opus injunctum, seù causa concessionis indulgentiæ non est causa, quod tanta pœna remittatur per indulgentiam.*
600 *Mensura quantitatis indulgentiæ per modum causæ finalis est utilitas Ecclesiæ, ad quam opus injunctum se habet materialiter, & ut medium.*
601 *Stante causa proportionata adhuc concedens indulgentiam potest inordinatè eam concedere.*
602 *Stat causam esse proportionatam, & tamen aliqua ratione inutilem.*
603 *Prima, & tertia opinio reducuntur ad concordiam.*

583. Sufficere quamlibet causam piam plures senserunt nimirum Durand. 4. *dist.* 20. *quæst.* 4. Paludan. *quæst.* 4. *artic.* 1. *concl.* 1. D. Anton. *part.* 1. *tract.* 10. *cap.* 5. §. 1. *supplem.* Gabriel 4. *dist.* 45. *quæst.* 5. *artic.* 1. & 3. Angelus *verb. indulgentia num.* 2. Sylvest. *quæst.* 3. *num.* 7. Bonacc. *disp.* 6. *de Sacr. quæst.* 1. *par.* 4. *nu.* 5. & apud eum Coninch. Regin. & Graff. Valentia, etiam Sà apud Leandrum *quæst.* 29. & alii apud Suarez *disp.* 53. *sect.* 3. *num.* 1. moti ex consuetudine

tudine Ecclesiæ, quæ est, ut pro eadem causa concedatur aliquando major, & aliquando minor Indulgentia, & sæpè etiam pro levi causa, valdè ampla Indulgentia concedatur, & ita ut Pontifex aliquando sola benedictione sua concedat Indulgentiam plenariam omnibus præsentibus, qui sunt innumeri, non est autem tutum dicere, Pontifices temere concedere has Indulgentias, aut eos decipi, aut velle decipere. Secundò nam sic esset necessaria causa adæquata, & difficillimum portet punctum æquitatis attingere, igitur opus fuit instituere, quod sufficiat pia causa, ut Pontifices suo arbitratu possint Indulgentias concedere. Tertio quia intentio Christi, & Sanctorum sufficienter servatur per hoc, quod ratio dispensationis thesauri Ecclesiæ sit pertinens ad Dei honorem, & Ecclesiæ utilitatem. Ergo quecumque sit hæc ratio sufficit ad valorem Indulgentiæ.

584. Secunda sententia vult Indulgentiam datam ex causa pia semper validam esse ad aliquem effectum, licet non ad tantum, pro quanto concessum est, sit causa non est ad illum proportionata, addit verò effectum crescere ex devotione suscipientis, sicque posse esse, ut tanta sit operantis devotio, ut ad consecutionem totius Indulgentiæ pertingat. Hæc verò sententia, si velit, quod devotio, fides, aut gratia operantis sit causa augmenti fructus Indulgentiæ, ex hoc rejicitur, quod devotio non est ratio, aut causa, propter quam Indulgentia conceditur, sed opus suscipientis est conditio, sub qua conceditur indulgentia; sed si intelligat, quod ex devotione majori, & majori fide, aut gratia operantis, opus injunctum fiat majoris valoris apud Deum, & ex consequenti, quod augeat rationem justæ causæ, & ex consequenti ei major fructus Indulgentiæ respondeat, id amplexi sunt plures scilicet Altisiod. *lib. 4. tract. 6. c. 9. q. 1. & 3.* Innoc. & Io: Andr. *in c. quod autem* Host. *in c. cum ex eo de pæn. & remiss.* sed si hæc sententia velit, quod opus illud majoris valoris ex majori devotione æquivaleat secundum justam æstimationem remissionis, quæ conceditur per Indulgentiam, id est improbabile. Quia hoc modo nihil concederetur per Indulgentiam, si necesse est, quod fidelis habeat opus, quod secundum justam æstimationem sit satisfactio adæquata pro remissione, quæ obtinetur, quia hoc acquiritur etiam sine indulgentia. Secundo, quia cum de facto Ecclesia pro levi opere concedat Indulgentias etiam plenissimas si operans illas non lucraretur, Ecclesia illum deciperet. Sed si dicta sententia loquitur de justa æstimatione in ratione non condignæ solutionis, sed motivi, & causæ finalis, ita quod substantia operis injuncti etiam pii licet non præstet justum motivum ad concedendam tantam Indulgentiam, illud tamen præstitit ut vestra devotione illa majori, quatenus redundat in valorem majorem operis, & sic quod possit esse tanta devotio, ut ex hoc faciat, quod illud sit causa motiva proportionata illi concedatur integra Indulgentia, & sic ab operante integra obtineantur, sin minus non obtineat totam, sed partem majorem, secundum quod ex illo opere habetur motivum magis, vel minus appropinquans ad motivum sufficiens, & proportionatum; in hoc sensu sententiam hanc probabilem putat Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 53. sect. 3. numer. 4.* qui etiam illam concedere existimat, cum tertia opinione sequenti.

585. Est ergo 3. sententia, quæ existimat non sufficere quamlibet causam piam, vel honestam in se, sed necessariam esse causa proportionatam effectui, seu quantitati Indulgentiæ, ita sustinent Albertus 4. *dist. 20. artic. 17.* Bonacc. *quæst. ult.* si attente legatur Richar. *artic. 3. quæst. 1.* Adrian. *cons. 2.* Caiet. *par. 1. tract. opusc. 9. quæst. 1. & 2. & tract. 15. cap. 8.* Sotus *4. dist. 20. quæst. 2. art. 2.* Nugnus *3. part. supplem. quæst. 25. artic. 3. dub. 2.* Navar. *notab. 15.* Suarez *d. disp. 53. sect. 1. numer. 5.* Et apud eum Adrian. & August. de Ancona Coninch. *disput. 12. dub. 6. numer. 31.* Bellarmin. *lib. 1. de Indulg. cap. 12.* Cardin. de Lugo *disp. 27. num. 141.* Diana *part. 5. tract. 12. resol. 10.* & apud eum Layman. Præpos. Tenner. Fœlin. Ludov. à Cruce Sylv. Philipp. à Cruce, Faber. & Mendo, Leand. *quæst. 29.* & apud eum Bius Feldius. Probatur hæc sententia primo ex Innoc. 3. *in cap. cum ex eo de pœnit. & remiss.* ubi superfluas Indulgentia vocat indiscretas idest irrationabiles, quas ut perniciosas repræhendit, sunt autem superfluæ Indulgentiæ, quæ largius conceduntur, quam causa postulat, etiam si pia sit. Secundo ex Clemente VI. *in extravag. Unigenitus de pœnit. remiss.* & Leone X. *in epistola ad Cardinalem Caiet.* qui utuntur illa voce, *rationabilibus causis*. In Concil. autem Constant. sub Martino III. conjunguntur illa duo verba *Ex causa pia, & justa.* Non igitur sufficit, quod causa sit pia, sed est necesse, quod sit justa, idest proportionata, & conveniens. Ad quod ponderantur etiam verba illa Clemen. VI. *commisit fidelibus salubriter dispensandum*. Non enim dispensatur salubriter, quod dispensatur sine causa rationabili, & sine mensura, & moderatione. *Et* iterum. *Ex propriis, & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ.* Nam propriæ causæ dictæ sunt perindè ac adequatæ, & proportionatæ, ut sensus sit nunc totalem, nunc partialem Indulgentiam concedi, juxta exigentia propriæ, idest proportionatæ causæ. Tertio idem probatur ratione; quia quanto Indulgentia excedit causam, tantum in illa conceditur sine justa causa pro sola voluntate concedentis, ergo tantumdem habet nullitatis, quia nulla est Indulgentia sine causa ex sola voluntate concedentis facta, ergo ut Indulgentia sit integrè valida requiritur causa proportionata. Quarto nam si quælibet causa pia sufficeret, etiam in Pontifice sufficeret affectus misericordiæ erga omnes animas, quæ sunt in Purgatorio, & sic unico actu omnes posset liberare, quod judicatur absurdum maximum.

587. Ad hanc quæstionem dicitur, quod inter primam, & tertiam sententiam non potest esse dissensio, quamvis videantur per extremum contrariæ, si prima propriæ, & formaliter loqui velit, quia causa verè non est pia nisi sit proportionata. Benè igitur prima, & tertia sententia contra secundam in hoc conveniunt, quod opus injunctum non est, nec accipi debet ut sit mensura quantitatis effectus Indulgentiæ, ita quod opus istud nec ratione devotionis, aut fidei, aut gratiæ majoris, vel minoris, nec sumptum ut opus bonum æquale remissioni, quam inducit Indulgentia, secundum rectam æstimationem sit vera causa, & mensura quantitatis Indulgentiæ, quia ut benè D. Thom. 4. *dist. 20. quæst. 1. art. 3. quæst. 2.* causa, & mensura quantitatis remissionis pœnæ, quam fert Indulgentia est satisfactio Christi, & Sanctorum contenta in thesauro Ecclesiæ dispensata, applicata, & communicata suscipiente Indulgentiam. Ita quod hæc sit vera, & propria causalis, ideò qui exercet opus injunctum consequitur Indulgentiam plenariam, seu

seu totalem remissionem pœnæ, quia sibi communicatur tantum de satisfactione Christi, & Sanctorum, quantum valet debitum totius pœnæ ab ipso solvendæ justitiæ divinæ; seu ideò qui implet onus injunctum lucratur remissionem centum dierum pœnæ, vel septem Annorum, quia sibi communicatur, & pro eo Deo solvitur tantum de satisfactione Christi, & Sanctorum, quantum valet debitum pœnæ temporalis centum dierum, vel septem annorum, quod ipse solvere deberet justitiæ divinæ.

588. Sed ulterius considerandum est, quod opus injunctum debet esse honestum, & pium, sed tamen formaliter non spectat ad justitiam concessionis Indulgentiæ quatenus est vel opus bonum, vel meritorium operanti, vel pro eo satisfactorium, quia tota hæc remissio causari debet ex meritis Christi, & Sanctorum modo supra *quæst.* 15. explicato: sed opus illud formaliter spectat ad Indulgentiam, quatenus est medium ordinatum ad illum finem obtinendum, quem intendit concedens Indulgentiam, quatenus est, quod est justum motivum, quod movet voluntatem concedentis ad concedendam Indulgentiam. Et licet opus istud hanc medii rationem non possit habere nisi sit opus bonum hominis existentis in gratia; & ideò nisi simul sit meritorium ipsi operanti, & pro illo satisfactorium, tamen hoc se habet materialiter in ordine ad Indulgentiam, & ejus concessionem, sed per se formaliter ad causam Indulgentiæ non spectat, nisi in quantum est utile ad finem, quę principaliter intendit concedens Indulgentiam, qui est utilitas publica Ecclesiæ, quæ resultabat ex tali opere, & ex concessione ipsa Indulgentiæ, ita quod bene probatum fuit supra *quæst.* 29. quod ad justam Indulgentiæ concessionem nec semper est necesse, quod injungatur suscipienti aliquod opus, quia aliunde concessio Indulgentiæ potest ferre talem, ac tantam utilitatem Ecclesiæ, ut ipsa sit rationabilis, justa, & valida. Et sic propriè causa finalis concessionis Indulgentiarum propria prima, & principalis est Dei honor, & Ecclesiæ utilitas spiritualis, quæ omnibus pensatis Ecclesiæ resultat ex concessione Indulgentiæ, sivè hæc resultet ex facto publico, & universali, sivè etiam ex facto privato, seu sivè concessio Indulgentiæ fiat omnibus fidelibus, sive alicui Congregationi, sive personæ privatæ, aut intuitu illius, ut explicatum est *quæst. superiori*.

589. Dicitur igitur, quod motivum formale, seu causa finalis concessionis Indulgentiarum est Dei honor, & utilitas spiritualis Ecclesiæ, juxta doctrinam D.Thom. *4.d.20. quæst* 1. *art.3. quæst.2.* & quod *l.2. art.* 16. Innoc. Quintus *4. dist. 20. quæst. 3. art.* 1. *& 3.* Durand. *quæst.4. num.9.* Tabien. *v. Indulg. num.* 10. Turrectem. *in §. in Levitico, de pœn. dist.1. art.3. numer.* 20. & commune placitum DD. & quod hæc causa est vera mensura justitiæ concessionis præfactæ, & quod hujusmodi honori Dei, & Ecclesiæ utilitas debet habere proportionem æqualitatis, aut majoris inæqualitatis ad quantitatem Indulgentiæ concessæ, quæ si desit causa hujusmodi nec est sufficiens, nec est simpliciter causa rationabilis, & pia, sed est deficiens à vera pietate, & reddit concessionem invalidam, & irrationabilem. Quod nedum probant rationes tertiæ sententiæ, sed ex hoc est manifestum, quod contra rationem naturalem est, quod dispensator pro parva utilitate Domini, magnam, & super excedentem quantitatem bonorum Domini, quæ sibi commissa sunt, dispenset; quia excessum quantitatis bonorum quos dispensat, inutiliter dispensat, quoniam pro utilitate quæ Domino provenit sufficit minoris quantitatis dispensatio. Sic igitur hæc inutilis dispensatio bonorum Christi, & Ecclesiæ nec est pia nec est rationabilis, aut justa erit vero proportionata causa si gloria Dei, & Ecclesiæ utilitas sit major, quam esset si fideles debito pœnæ per propria opera satisfacerent. Sylvius *3. p. quæst. 25. supplem. art.2. quæst.2.* De Lugo *disp.27. num. 144.* Cotton. *lib.2. disp.* 11. *num.29.*

590. Rationabiliter tamen dicitur, quod hæc superexcedens concessio Indulgentiæ non sit in totum invalida, sed sit valida pro ea parte qua est ex causa proportionata. Nam hic locum habere potest regula *utile de reg. jur. in 6* ut scilicet per inutilem excessum quantitatis Indulgentiæ concessæ non vitietur concessio in quantum est rationabilis D.Thom. *ubi supra* Palaus *tract.24. p. 7. num. 7.* Card. de Lugo *disp. 27. num.* 145. Caston. *l. 2 controv.* 11. *num. 30. 31.* quia respectu quantitatis proportionatæ hæc deficit causa pia, & proportionata, nec in concedente potestas, aut voluntas, quia concedens, ex parte sua concedit totum id, quod validè concedere potest. Nec obstat, quod supra dictum est, quod scilicet implens solam partem operis injuncti nihil Indulgentiæ lucratur, quia non est eadem ratio. In eo enim casu deficit conditio sub qua Indulgentia est concessa, quæ conditio est opus integrum injunctum deficiente vero conditione non potest Indulgentia habere effectum. Sed hic opus injunctum supponitur impleri, ex parte vero concedentis etiam non deficit potestas, ad partem, aut voluntas, & quod suscipiens non lucretur totam Indulgentiam est per accidens ex eo quod causa non est proportionata ad totum. Et sic in concedente deficit potestas ad totum, quæ non deficit ad partem.

591. Cum etiam dicitur requiri proportionem æqualitatis inter causam, & quantitatem Indulgentiæ concessæ, jam patet hanc æqualitatem non attendi in ratione meriti, & satisfactionis, sed in ratione utilitatis spiritualis, & juxta prudentem æstimationem. Et quia etiam in iis, quæ spectant ad justitiam commutativam, quæ æqualitatem postulat, nihilominus hoc habet latitudinem rigorosi, & moderati, & mitissimi pretii, sicut etiam in mediis ad finem datur medium bonum, melius, & optimum. Ita in præsenti hæc æqualitas consimilem habet latitudinem, ex quo sequitur, quod aliquando propter eamdem causam concedi possit æqualiter minor, & major Indulgentia infra latitudinem præfatam, si non sit minius excessus, Sylv. *in 3. p.* D. Thom. *quæst. 25. supplem. art. 2. quæst.2.*

592. Cum etiam distingui possit hæc æqualitas in eam quæ sit verè talis à parte rei, & in eam quæ sit talis secundum prudentem æstimationem, quamvis forsan in rei veritate non sit talis. Sufficit quod hæc æqualitas sit talis secundum prudentem concedentis æstimationem Cordub. *quæst. 6. & 2.* Gerson. *de Indulg. consid.9.* Suarez *d. disp.* 53. *sect. 3. num. 13.* Cotton. *lib.2. controv.11. num.31.* Nugnus *in supplem. quæst. 27. art. 4. d.3.* Hic enim requiritur hæc proportio ex parte concedentis, ne sit negligens, & potius donans de proprio, quam dispensans ex alieno. Et cum hujusmodi dispensatio sit commissa concedentis arbitrio satisfacit muneri suo, si ex arbitrio prudenti operatur.

593. Ulterius etiam est advertendum, quod licet ad

ad valorem Indulgentiæ sit necessaria causa pia, & proportionata,& sic sit necesse, quod concedens agat ex fine honesto, quia nimirum intrinsecus finis concessionis Indulgentiæ debet esse honestus,& pius,cum debeat esse Dei honor, & Ecclesiæ spiritualis utilitas, non tamen ad valorem Indulgentiæ est necesse quod actus concessionis sit honestus ex fine extrinseco, ex circumstantiis aliis. Sed potest esse ex quod hoc modo concedens illicitè agat, & tamen concessio sit valida,& suscipiens integram lucretur Indulgentiam, ut docet D.Thom.4.*dist.*1.*cap.*4.5. *quæst.*20. *art.*3. *q.*2. *ad primum*.

594. Ad primum argumentum primæ sententiæ dicitur quod militat contra eos, qui voluerunt necesse esse, quod opus injunctum secundum substantiam sumptum contineat adæquatam, & proportionatam causam Indulgentiæ, contra quos disputavit D.Thom. 4. *dist.*20. *quæst.* 1. *art.*3.*quæst.*2. in tertia opinione ibi relata. Sed contra veritatem stabilitam nihil probat, nedum quia, ut dictum est supposita latitudine æqualitatis in rigorosam, mediocrem, & mitissimam, stat, quòd pro eadem causa detur aliquando aliqualiter major, aut minor Indulgentia. Sed quia (& hæc est germana responsio) opus pertinet ad causam piam Indulgentiæ non solum ex substanstia actus, sed ratione circumstantiarum. Quod explicat Caiet. *part.* 1.*tract.*15.*cap.*8. optimis exemplis.

596. Nam visitatio Ecclesiæ Sancti Petri secundum substantiam est eadem hodie,& in anno Jubilæi, sed non est eadem secundum circumstantias, & respectu utilitatis Ecclesiæ. Nam in anno Jubilæi est professio fidei unitatis Ecclesiæ, sub uno Pontifice Petri successore; In hunc enim finem anno Jubilæi refertur à toto orbe terrarum, ideo nil mirum si præbet causam maximæ Indulgentiæ. Sic manere in platea Sancti Petri in die Paschæ secundum substantiam non est magna causa Indulgentiæ. Sed ibi manendo profiteri unitatem Ecclesiasticam sub unico capite,& authoritatem plenissimam Summi Pontificis in tota Ecclesia est ratio Indulgentiæ tunc concessæ. Negatur ergo, quod pro eodem opere Pontifices notabiliter inæquales concedant Indulgentias, nisi quatenus idem opus sub diversis circumstantiis, & ad finem utilitatis publicæ relatum, præbet causas longe inæquales concedendi Indulgentias.

597. Ad secundum dicitur officium Pontificatus esse difficillimum,unde non mirum etiam si non sit facile arbitrari, quænam causa sit proportionata ad Indulgentias concedendas.

Ad tertium negatur assumptum, ut ex dictis patet.

598. Sed objici potest ex eo quod videatur aperte, quod D.Thom. primam illam sententiam docuerit 4. *dist.* 20.*quæst.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *cap.* & *ad* 1. Et ita sentiunt aliqui, dicentes tamen se credere, quod hanc sententiam retractasset si de his scripsisset in summa. Sed dicitur nunquam D. Thomam sensisse, quod ad validam Indulgentiam non sit necessaria causa pia proportionata. Nam in 4. *dist.* *quæst.* 45. *quæst.* 2. *artic.* 3. *quæst.* 2. cum dixisset Indulgentias posse concedi pro defunctis indirectè, seu per actionem vivorum, subdit. *Nec tamen sequitur, quod Prælatus Ecclesiæ possit pro suo arbitrio animas à Purgatorio liberare, quia ad hoc, ut Indulgentia valeant, requiritur causa conveniens Indulgentias concedendi*, ut supra *dist.* 20. *dictum est*. Causa autem conveniens non dicit solum causam piam ex substantia actus, sed quæ sit pia respectu finis, & concessionis Indulgentiæ, ideoque, quæ sit proportionata. Et in hoc sensu D.Thom. interpretabatur dicta in 4. *dist.* 20. ad quam se remittit.

598. Dices D.Thom. *in d. dist.* 20. impugnare tertiam opinionem, quæ quidem volebat, quod mensura quantitatis Indulgentiæ, non sumeretur tantum ex devotione suscipientis, neque ex quantitate rei seu operis, etiam ut stat sub circumstantiis, sed sumeretur ex causa, ad quam secundum quod homo accedit consequitur Indulgentiam, vel in totum, vel in partem. Hanc verò impugnat quia consuetudo Ecclesiæ est pro eadem causa dare Indulgentiam aliquando majorem, & aliquando minorem. Nihil vero concluderet hæc ratio, si causa deberet esse conveniens, idest proportionata. Respondetur quod hic duo consideranda sunt, scilicet quantitas pœnæ, remissæ per Indulgentiam, & rationabilitas concedendi Indulgentiam, quæ tantæ pœnæ remissionem ferat. In hoc conveniebant illæ sententiæ tres, quas loco citato impugnat Divus Thom. quod volebant ad esse condignitatem inter opus injunctum, & quantitatem pœnæ remissæ. Distinguebantur vero, quia prior fundabat condignitatem in devotione operantis, secunda in quantitate operis, ut stat sub circumstantiis, & tertia in quantitate operis, ut est causa pro qua datur Indulgentia. Volebat enim quod homo ex causa redderetur dignus, ut tantam Indulgentiam consequeretur. Sed D. Thom. tres istas sententias rejicit eodem medio, quia scilicet opus injunctum non est causa remissionis pœnæ, sed hæc causa est abundantia meritorum Ecclesiæ quæ continet in suo thesauro. Ideo mensura quantitatis pœnæ remissæ est quantitas meritorum Ecclesiæ, seu satisfactionis Christi, & Sanctorum, quæ applicatur, & datur Deo in pœnæ remissionem; non vero amicus quantitatis per modum meriti, aut satisfactionis, aut cujuscumque dispositionis dans condignitatem ad tantam quantitatem pœnæ remittendæ est opus injunctum, aut causa pro qua datur. Indulgentia. Sed hæc causa, quæcumque illa sit est causa legitimæ applicationis tantæ quantitatis meritorum Ecclesiæ, quæ est causa quod tanta pœna remittatur. Et hoc est, quod ibi expresse vult, & probat Divus Thomas.

599. Et si dicas, quod si ponitur, quod sit necessaria causa proportionata, simul ponitur, quod causa sit mensura quantitatis Indulgentiæ, quia dicitur dari debere æqualitatem inter causam, & quantitatem Indulgentiæ, igitur tanta erit Indulgentia, quanta causa, igitur causa erit mensura quantitatis Indulgentiæ. Respondetur, quod obiectio maxime servit ad explicandam rem. Aliud est enim esse terminum proportionis æqualitatis injunctæ inter aliqua, & aliud est esse illius causam, & mensuram. Sic unum relativum est terminus relationis alterius ad seipsum nec tamen est hujus relationis causa, aut mensuræ. Verum, & quod si causa debet esse proportionata concessioni tantæ Indulgentiæ ipsa debet esse terminus proportionis æqualitatis, quæ est inter ipsam quantitatem causæ, & quantitatem remissionis, sed tamen causa ipsa Indulgentiæ non est causa ponens hanc æqualitatem per modum pretii, seu causæ formalis hoc fecit sed satisfactionis Christi, & Sanctorum quantitas, & per modum causæ efficientis hoc facit Pontifex sua voluntate applicans tantam, aut tan-

tam satisfactionem Christi, & Sanctorum de Ecclesiæ thesauro. Illa vero tertia opinio volebat, quod opus nostrum esset causa, & mensura hujus æqualitatis veluti per modum causæ formalis, & quod operans hanc æqualitatem causaret per modum efficientis, & dantis condignitatem ad tantam remissionem. Et hoc est, quod D.Thom. impugnat.

600. Sed iterum instabis, & dices saltem sequi, quod opus injunctum sit mensura quantitatis Indulgentiæ per modum causæ finalis, quia finis est, qui movet ad hoc, ut Pontifex concedat tantam quantitatem remissionis, opus autem nostrum reducitur ad causam finalem, est enim motivum ad concedendam Indulgentiam. Sed & hoc servit ad veritatis explicationem. Non est enim verum, quod opus nostrum sit finis, sed est medium ad finem, sed finis est honor Dei, & Ecclesiæ utilitas, quæ ex opere, seu concessione Indulgentiæ facta intuitu operis consurgit. Et de hoc fine conceditur, quod est mensura, & per modum finis causa quantitatis Indulgentiæ, sed opus nostrum se habet solum ut medium ad finem, & ex hoc habet quod aliquo modo pertineat ad terminum hujus proportionis, & æqualitatis. Quæstio autem, quæ à D.Thom. habebatur cum illis opinionibus erat de causa per modum prætii, aut per modum causæ formalis dantis condignitatem ad quantitatem Indulgentiæ. Et quod magis est illæ tres opiniones volebant, quod opus nostrum quatenus est quid nostrum, & quid personale daret condignitatem ad Indulgentiam, & ad ejus quantitatem, & sic quod ex parte nostri daretur causa, ratione cujus Indulgentia esset tanta. Sed D.Thom. voluit, quod causa per modum pretii, aut causæ formalis dantis condignitatem ad quantitatem remissionis pœnæ sit satisfactio accepta ex thesauro Ecclesiæ, opera nostra verò pertineant ad motivum, ex quo mensuretur rationabilitas applicationis tantæ satisfactionis ad remissionem tantæ pœnæ. Et adhuc quod ad hoc motivum opus nostrum spectat materialiter, & ut medium, finis verò est utilitas publica, quæ ex opere nostro consurgit, illo attento, & multis aliis circumstantiis, etiam extrinsecis. Et sic non potest dici, quod opus injunctum sit causa quantitatis Indulgentiæ, nec etiam finalis licet sit materia, unde colligitur finis, ad quem Indulgentia mensuratur.

601. Sed iterum instabis, & dices, mentem D. Thom. omnino fuisse, quod sufficiat ad Indulgentiam concedendam quælibet causa pia, & non sit necessaria proportionata. Nam ibidem in respons. ad primum docet, *quod si Prælatus inordinate concedat Indulgentias, ita ut homines, quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat faciens tales Indulgentias, nihilominus quis plenam Indulgentiam consequitur*. Admittit hic D.Thom. posse Prælatum concedere Indulgentias inordinatè, & hanc inordinationem explicat consistere in hoc, quod quasi pro nihilo, nimirum pro levi causa, & non proportionata, Indulgentias concedat, & nihilominus asserit Indulgentiam esse validam, licèt peccet Prælatus eam concedendo. Respondetur quod, stante causa proportionata, & ideò stante Indulgentia ob illam causam concessa valida, potest Prælatus illam Indulgentiam inordinatè concedere, si vel frequentius id faciat, quàm Ecclesiæ utilitas pensata ex circumstantiis, peccat, vel si Prælatus non advertat, quod fideles abutuntur Indulgentiis concessis, vel ex aliqua simili circumstantia. Ex hac igitur doctrina D. Thom. solum deducitur, quod sufficit ad valorem Indulgentiæ causa proportionata, & quod ex illa consequatur per se, & secundum se utilitas Ecclesiæ proportionata quantitate Indulgentiæ, quæ conceditur, & non esse necesse, quod concessio etiam ex aliis circumstantiis sit bona, sed posse esse malam, & tunc Prælatum peccare, sed nihilominus Indulgentiam validam esse.

602. Dices responsionem non subsistere, quia dato, quod concessio sit inordinata, tollitur, Ecclesiæ utilitas, & præcipuè si indulgentia quasi pro nihilo concedatur. Sed respondetur, quod, licet ex inordinatione tollatur aliqua Ecclesiæ utilitas, tanta tamen potest remanere, quæ sufficiat ad hoc ut Indulgentia sit proportionata, & valeat. Sic enim valida est v. g. ministri, & administratoris emptio equi facta nomine Domini pro justo pretio, licet hæc emptio forsan ex aliqua circumstantia sit minus utilis hic, & nunc, & ideò administrator peccet inutiliter rem Domini administrans. Potest etiam concessio esse mala ex fine extrinseco malo concedentis, & tamen valida.

603. Ex his deducitur primam sententiam in sensu explicato veram esse, rei contrariam tertiæ, cum enim pietas in causa Indulgentiæ sumi debet ex eo, quod ducat in Dei honorem, & Ecclesiæ utilitatem, quod simpliciter non facit, nisi sit causa proportionata, sequitur, quod coincidunt in idem causa pia, & causa proportionata. Quælibet verò causa proportionata sufficit ad concessionem proportionatæ Indulgentiæ, & Indulgentia remanet valida ex hac parte, seu si cætera necessaria concurrant, non obstante, quod concessio ex aliqua alia circumstantia sit illicita.

QUÆSTIO LXXXIV.

An Concilium Generale possit concedere Indulgentia.

SUMMARIUM.

604 *Summus Pontifex potest concedere Indulgentias.*
605 *Opinio aliquorum.*
606 *Soli Petro dictum* Jo. 21. *Pasce oves meas.*
607 *Concilium Generale non potest concedere Indulgentias.*
608 *Concilium, cui præsident Legati, non potest ex se concedere Indulgentias.*
609 *Nec Concilium sede vacante.*
610 *Concilium secluso Papa non potest ferre leges universales perpetuas.*
611 *Thesauri administratio à Christo commissa fuit Petro, non est eadem ratio de Republica Civili, & de Ecclesia.*
612 *Si in Concilio non est Papa, deest Prælatus summus, & Caput.*
613 *Concilium non ordinario jure humano habet potestatem concedendi Indulgentias.*

604.

604. POntificem summum de Jure divino, & per potestatem sibi concessam à Christo posse concedere Indulgentiam est de fide certum, & satis probatum suprà *quæst.3.* Difficultas esse posset, an de jure divino aliquis alius Indulgentias concedere valeat. Et quia Concilium generale habet præeminentiam auctoritatis in Ecclesia de eo quæritur primo, an ex divino Jure Indulgentias possit concedere.

605. Videtur enim, quod hoc possit, quod & tenuerunt Panorm. *in Clem. 2. de pœn. & remiss.* Fœlin. *de Indulg. num. 44.* Cord. *quæst. 12. prop. 8.* Sotus 4. *dist. 21. quæst. 1. art. 4.* Navarr. *not 31. num. 2.* Jo: de la Crux *quæst. 8. de Pœnit. dub. 2. concl. 1.* Henriq. *lib. 7. cap. 31. num. 3.* Nugnus *in supplem. quæst. 26. art. 1. dub. 1.* Nam habet potestatem condendi leges, & excommunicandi, & sic habet potestatem ligandi; igitur, & habet potestatem solvendi per Indulgentias. Secundo nam dispensatio thesauri communitatis spectat ad communitatem ipsam; igitur potestas dispensandi thesaurum Indulgentiarum, qui est Ecclesiæ, pertinet ad universalem Ecclesiam; At vero Concilium generale repræsentat universalem Ecclesiam, ut dixit Martin. Quintus in fine Concil. Constant. Concilium igitur poterit concedere Indulgentias. Tertio nam in Concilio sunt omnes Pastores, & Judices Ecclesiæ; ad illos igitur pertinebit universalis dispensatio, & remissio per Indulgentias.

606. Sed hæc sententia supponit Concilium generale habere per se, & immediate Jurisdictionem à Christo, quod non probat. Soli enim Petro dictum est Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum,* & Jo: 21. *Pasce oves meas.* Et ideò antiqui DD. cum D. Thom. *4. dist. 20. quæst. 1. art. 4.* & D. Bonacc. 2. *quæst. numer. 3.* absolutè dixerunt solum Pontificem posse universales Indulgentias concedere Durand. *4. dist. 20. quæst. 5.* Richard. *artic. 5. quæst. 3.* Palud. *quæst. 4. artic. 3.* Olien. *4 part. quæst. 23* alias 83. *memb. 3.* Person. *cons. 11.* Lectori considerandum relinquit sed in terminis hanc sententiam tenent Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 55. sect. 1.* Bellarm. *lib. 1. capit. 11. dub. 1.* Cardin. de Lugo *de pœnit. disput. 27. numer. 132.* Leander. *tract. 5. de pœnit. disp. 14. quæst. 15.* & apud eum Granados, & Mendo Sylv. *in 3. part. quæst. 26. Supplem. art. 1.* Palaus *tract. 24. part. 5. numer. 3.* Cotton. *lib. 2. contr. 11. numer. 17.* Bonac. *disput. 6. quæst. 1. part. 3. numer. 1.* Filliuc. *tract. 8. cap. 4. numer. 83. 84. quæst. 3.*

607. Nam concilium generale considerari potest, vel præsidente in eo personaliter Summo Pontifice, vel non. In primo casu Concilium ratione Summi Pontificis potest Indulgentias concedere, sed id, quod potest Concilium cum capite, potest caput sine Concilio, imò reliquo Concilio invito, quia caput, qui est Papa, habet Jurisdictionem plenissimam, & universalissimam independenter à reliquo corpore Ecclesiæ, cum habeat illam à Christo, qui illam absolute, & sine aliqua dependentia à grege eam Petro Pastori contulit.

608. Vel in Concilio Papa præsidet per legatos suos, & tunc Concilium posset ex Papæ concessione Indulgentias concedere, sed per seipsum non potest, nullibi enim legitur hanc Indulgentiarum, vel universalem potestatem esse concessam Concilio, aut Ecclesiæ ut separatæ, seu contradistinctæ Pontifici. Nec fuit conveniens, ut concederetur, nam duæ potestates universales concessæ, & non subordinatæ essent, quid valdè inordinatum, & monstruosum, si autem sint subordinatæ, & una in usu dependet ab alia, manifestum signum est, quod non sunt immediatè à Christo, sed una est à Christo mediante alia, quia auctoritas, quæ in usu dependet ab alia potestate, unde habet quod magis dependeat in conservatione, & usu, quam in emanationem. Deinde si Papa prohiberet Concilio, in quo sui legati præsident, ut non concederet indulgentias sine suo consensu, indulgentia nulla esset, si aliter concessa esset; signum igitur est, Concilium non habere ex se hanc potestatem.

609. Sed si Concilium sit acephalum, & in eo non præsideat Papa per se, vel per suos Legatos, si id fiat vivente Papa illud Concilium est schismaticum, & conciliabulum, & sathanæ Congregatio, & indubitatum est nullam facultatem habere concedendi Indulgentias. Si verò, sede vacante sit congregatum, tunc tale Concilium habet quidem à Jure divino facultatem, ut disponat ea, quæ præcipuè necessaria sunt ad regimen Ecclesiæ pro eo tempore, donec Ecclesiæ habeat Pontificem, quæ potestas illi inest, non ex speciali concessione, sed ex naturali super naturali Jure supposita Ecclesiæ institutione, quia in omni Republica necessarium est, quod deficiente Rectore, & urgente necessitate per primarios Principes, & eorum Congregationem gubernetur. Sed nec tale Concilium habet aliam jurisdictionem de jure divino, nec quam habet ad Indulgentias se extendit. Sola enim necessitas non dat potestatem simpliciter, & omnimodam nisi ostendatur ab eo concessa, qui est Dominus, soli verò Petro, ut dictum est, legimus esse concessas claves Regni Cœlorum, & facultatem pascendi Christi gregem. Nec obstat, quod Matth. 18. dictum sit, *si Ecclesiam non audierit, sit bi, sicut ethnicus, & publicanus,* & statim subjungitur promisso. Quodcumqne ligaveritis &c. Nam ut exponunt Christi D. Thomas, & alii nomine Ecclesiæ sibi significantur Ecclesiæ Prelati, quibus etiam promissa fuit auctoritatis ligandi. Sed tamen promissio specialiter facta fuerat Petro, cui etiam actualiter fuit collata Io. 21. ut per illum illis Prælatis communicanda. Cum ergò hujusmodi Concilium non habeat in Ecclesia universalem jurisdictionem sibi specialiter concessam, multo minùs habet potestatem concedendi indulgentias: quæ sunt aliquid jurisdictionis. Potestas autem illa necessitatis, quam habet sede vacante non se extendit ad indulgentias, quæ non sunt necessitatis. Et licet sed vacante, & maximè tempore scismatis in Ecclesia sit magna necessitas orationum, & aliorum operum, ut à Deo obtineatur electio pacifica Pontificis, & tollatur schisma, & pacis tranquillitas reddatur Ecclesiæ, tamen ad hoc consequendum non est necessaria indulgentia, quia potest Concilium; orationes, jejunia; eleæmosynas, & alia oppera bona præcipere, quibus Dei misericordia imploretur, unde non videtur, quod potestas, quam Concilium in eo casu habet ex presentanea necessitate, se extendat ad concessionem indulgentiarum, cum alias similis potestas illi non competat de jure divino, ad humano.

610. Ad primum in oppositum negatur assumptum, neque enim Concilium secluso Papa, potest ferre leges obligantes totam Ecclesiam, nisi in casu sedis vacantis præcisè pro eo tempore, sub hac potestate verò non compræhenditur facultas concedendi indulgentias, cum indulgentiæ non sint necessariæ.

611. Ad secundùm dicitur, exemplum non esse ad rem,

rem,& argumentum supponere falsum, scilicet quod Ecclesia sit Domina hujus thesauri Indulgentiarum, ejus enim Dominus est Christus, qui ejus dispensationem soli Pontifici Romano commisit. At verò Respublica terrena est Domina communis thesauri, imò ipsa est, quæ ejus administrationem Principi concessit. Totum verò contrarium est in Ecclesia, ideò nedum non est illius committere alteri hujus thesauri dispensationem, sed nec illum per seipsam potest dispensare, nisi medio Pontifice, cui est commissa dispensatio. Et sic nihil differt, quod Concilium repræsentet universalem Ecclesiam, si illam repræsentat sine capite, qui est fons totius jurisdictionis Ecclesiasticæ.

612. Ad tertium dicitur, quod si in Concilio sit Pontifex simul cum aliis dici potest adesse omnes Ecclesiæ Pastores, & tale Concilium ratione Pontificis potest Indulgentias concedere, secus vero si deest Pontifex, apud quem solum ex jure divino residet universalis Ecclesiasticæ Monarchiæ potestas.

613. Sed neque ex ordinario jure humano residet potestas concedendi Indulgentias in Concilio, hoc enim unde fuerit illi concessum, non constat; nec ex actu deducitur; In Concilio enim Lateranen. in fine concessa est Indulgentia pro recuperanda terra sancta, sed ibi erat Pontifex, qui eam concessit. Exemplum autem Concil. Basileen. non valet, quia quod fecit, quando erat legitimum, & præsidebant in eo Legati Papæ intelligitur factum ex generali commissione Summi Pontificis. Quæ verò fecit in fine, tunc cum erat Conciliabulum, & putabat se habere Papam præsentem, & credebat se habere potestatem suprà Papam, non sunt attendenda. In eodem verò Concil. Ægidius Carlerius Decanus Cameracensis in oratione habita ibidem ex eo probavit potestatem concedendi Indulgentias esse in Ecclesia, quia hæc potestas data fuit Petro, cui eam Christus promisit *Matth. 16.* dum ei dixit. Quodcumque ligaveris super terram, &c.

QVÆSTIO LXXXV.

Vtrum, & qua ratione facultas conferendi Indulgentias competat Episcopis.

SVMMARIVM.

614 *Potestas Indulgentiarum non competit Episcopis de jure divino.*
615 *Potestatem Indulgentiarum non tenetur Papa de jure divino concedere Episcopis.*
616 *Plenitudo potestatis est in Papa.*
617 *Potestas Indulgentiarum competit Episcopis de jure humano, sed limitata.*
618 *Nec in foro pœnitentiali Episcopus majorem Indulgentiam, quam taxatam potest concedere.*
619 *Pro aliis occasionibus Indulgentiam 40. dierum concedit solus Episcopus Diœcesis.*
620 *Episcopus successor eidem Ecclesiæ ex causa justa aliam quadragenam potest concedere.*
Episcopus non concedit Indulgentiam nisi subditis.
Non potest concedere Indulgentiam pro defunctis.
621 *Potest concedere Indulgentiam subdito extrà Diœcesim, & pro opere extrà Diœcesim.*
622 *Sub nomine subditi hic veniunt exempti.*
623 *Episcopus confirmatus licet nondum Sacerdos potest concedere Indulgentias.*
624 *Id non potest facere excommunicatus, aut suspensus non toleratus.*
625 *Episcopus potest hanc potestatem delegare.*
626 *Peccatum Episcopi non impedit valorem Indulgentiæ.*
An sit novum peccatum si Episcopus in peccato existens concedat Indulgentiam.
627 *Archiepiscopus in sua Provincia potest concedere Indulgentias.*
Quid de Patriarchis.
628 *Quid de Cardinalibus.*
Legati conferunt Indulgentias.
629 *Concedens Indulgentias illis uti potest.*

614. PRimò autem dicendum est quicquid contrarium senserint Sotus 4. *dist. 21. quæst. 1. art. 4.* Corduba *quæst. 12.* Medina *de Indulg. quæst. 5. & 6.* & præcipuè *cap. 27. & 30. in supplem. quæst. 26. art. 1. dub. 1.* qui utramque partem putat probabilem; potestatem dandi Indulgentias non convenire Episcopus de jure divino, sicut nec potestas jurisdictionis, nisi originariè in quantum Christus voluit in Ecclesia esse Episcopos, & Summum Pontificem per Episcopos particulares Diœceses gubernare. In quo tamen est discrimen inter jurisdictionem fori penitentialis aut fori externi, & jurisdictionem fori Indulgentiarum. Illa enim est necessitatis, quia stante cursu rerum, & quod, ut Christus docuit, necesse sit in mundo esse scandala, & peccata *Matt.* 18. ideò necesse est, quod in Episcopis sit jurisdictio ligandi, & absolvendi in utraque foro. Ideo hæc Episcoporum jurisdictio est à Christo, nedum quantum ad originem, sed etiam quantum ad obligationem, quia Christus obligavit Petrum, & ejus successores, ut Episcopis utramque illam jurisdictionem conferrent, quia utraque est summè necessaria ad Ecclesiæ regimen.

615 Sed facultas concedendi Indulgentias non est necessitatis in singulis Diœcesibus, ideò non est obligatus Pontifex hanc facultatem concedere Episcopis. Non enim apparet ex scriptura præceptum hoc datum fuisse Petro; ex natura verò rei, non consequitur, quia ut dictum est, hæc facultas non est necessitatis in singulis Diœcesibus. Et proculdubio, si Pontifices ex jure divino tenerentur dare Episcopis hanc facultatem illam non dedissent adeò limitatam, sicut dederunt. De jure ergò divino soli Romano Pontifici competit potestas concedendi Indulgentias. Quod satis apertè est insinuatum à Clem. VI. *in extravag. unigenitus de pœnit. & remiss.* & à D. Thoma 4. *dist. 20. q. 1. art. 4. q. 3.* ubi docet, quod potestas Indulgentiarum est taxata secundum ordinationem Papæ, & ideò Episcopi possunt dare, secundum quod eis taxatum est, & non amplius, & ità hoc docente communiter Albertus 4. *dist. 20. art. 21* Innoc. *5. q. 3. art. 2.* Turrecr. §. *in Leviusco de pœn. art. 1. n. 51.* Durand. *4. dist. 20. q. 1. & 2.* Palud. *q. 4. art. 2. concl. 3. in fin. n. 42.* Richard *art. 5. q. 3.* Augúst. de Ancona *de potest. Eccles. q. 19. art. 5.* Nugnus *3. p. supplem. q. 26. art. 3.* Beilar. *l. 1. de Indulg. c. 55.* Toletus *lib. 6. cap. 25.* Suarez *tom. 4. in 3. par. disp. 49. sect. 1. num. 13. & dist. 53. sect. 2. num. 3.* Coninch. *disp. 12. sect. 1. num. 8.* Filliuc. *lib. 8. cap. 3. num. 64. & cap. 4. quæst. 1.* Bonac. *disp. 6.*

disp. 6. de Sacram. q. 1. p. 3. nu. 1. & 2. Card. de Lugo *dis. 27. num. 132.* Leand. *quæst. 16.* Tabien. *verb. indulgentia num 8.* R. P. D. Fagnan. *cap. cum ex eo de pœnit. & remiss. nu. 16. Palaus tract. 24. num. 6.* Bologn. *n. 4.* Cotton. *lib. 2. controv. 11. nu. 17.* Sylu. *in 3. p. q. 26. supplem. nu. 3.* Nam soli Petro dictum est. *Matt. 16. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & Tibi dabo claves Regni Cælorum.*

616. Per quæ verba Christus significare voluit excellentiam potestatis Petri, ut adnotavit Ambros. *serm. 6.* & Maxim. *hom. 5. in fest. SS. Petri, & Pauli.* Illa enim verba omnem perfectionem Ecclesiasticæ potestatis comprehendunt, & dicta sunt ad explicandum Summum Principatum in universalem Ecclesiam Petro promissum, ut notant dicti PP. & Chris. *hom. 55. in Matth.* & Greg. *lib. 4. epist. 32.* & Leo Papa *epist. 84. & 89.* & alii Expositores *cap. 16. Matth.* Hanc verò potestatem, quam promiserat Christus, dedit Petro *Io. 21.* cui soli dixit *Pasce oves meas.* Et ideò soli Petro convenit, ut fonti jurisdictio Ecclesiastica, & sic potestas concedendi Indulgentias; Unde D. Thom. *in cap. 16. Matth.* ait, *quod ligandi, atque solvendi potestatem Christus immediatè dedit Petro, alii verò à Petro recipiunt, &c. Et hac ratione Papa, qui est loco Sancti Petri, habet plenariam potestatem, alii verò ab ipso.*

617. De jure verò humano Episcopis competit facultas concedendi Indulgentias, & quidem non delegata, sed ordinaria, limitata tamen in terminis *cap. ex eo de pœnit. & remiss. & cap. Indulgentiæ eod. tit. in 6.* Ita quod in dedicatione Ecclesiæ centum dies, & in anniversario dedicationis, & in aliis occasionibus solum quadraginta dies concedere possint, quod adeò strictè intelligendum est, ut etiam si in dedicatione Ecclesiæ simul sint Archiepiscopus, & Episcopi, nihilominus quantitatem illorum centum dierum, vel in aliis occasionibus quadraginta dierum excedere non valeant, & si excedant, Indulgentia sit nulla *cap. ult. eod. tit. in 6.* Bonac. *num. 4.* Franc. *ibidem num. 84.* saltem quantum ad excessum, si non in totum, nam hic locum habet regula *utile de Reg. Iur. in 6. cap.* Franc. *de Indulg. num. 4.*

618. Est autem adeò nulla Indulgentia pro illo excessu, ut quidquid in contrarium dixerint Sylv. & Innoc. *in verbo Indulgentia de pœnit. & remiss.* Jo: Andr. & Gemin. illa sit nulla tàm in foro externo, quàm in foro pœnitentiali. Quod enim illi supponunt, quod scilicet Episcopus in foro pænitentiali possit concedere majores indulgentias, quam quadraginta dierum, nullum habet fundamentum. Quia si loquuntur de eo, quod possit facere Episcopus utendo jurisdictione fori Sacramentalis, & sic imponendo ex prudenti arbitrio minorem aliquam pœnitentiam, hoc non est concedere indulgentias. Et si Episcopus in foro pœnitentiali minorem imponit pœnitentiam, illi pœnitenti non remittitur coram Deo aliqua pœna, nisi illa, quæ est illi pœnitentiæ proportionata, & quando pœnitens illam pœnitentiam impleverit. Sed si loquuntur de eo, quod potest Episcopus utendo facultate indulgentiarum, quam habet, non potest concedere pro qualibet occasione, & causa nisi quadraginta dies, sivè hanc indulgentiam concedat concomitanter, dum audit pœnitentem in foro Sacramentali, sivè extrà; quia major facultas non est: illi concessa.

619 Cum verò Episcopus indulgentiam illam centum dierum solum concedere possi pro die dedicationis, illam quadraginta dierum justa causa concedere potest etiam pro tempore perpetuo, donec revocetur. Hujus modi verò quadraginta dies in sententia eorum, qui tenent, quod indulgentia remittat pœnas, ne dum actu injunctas, sed injungendas, potest Episcopus concedere absolutè, eamque valere etiam ad remittendum pœnam debitam peccatis, nondum confessis. Rursus discrimen est, quod indulgentiam centum dierum excedere non possunt, etiamsi plures sint Episcopi, & imò si simul sint Archiepiscopus, & Episcopi plures, sed hujusmodi limitatio non ponitur, ubi conceditur facultas indulgentiæ 40. dierum. Nec fuit necessaria hæc limitatio, quia cum indulgentia, ut dicetur, non possit ab Episcopo concedi, nisi suis subditis, non possit verò dari casus, quod plures Episcopi simul habeant in eodem loco, & respectu eorumdem subditorum jurisdictionem, simul est manifestum, quod Episcopi etiamsi plures, non possunt concedere plures quadragenas dierum, vel plusquam unam quadragenam, qua imò solus Episcopus Diœcesis potest tunc indulgentiam concedere pro tali loco, & subditis. Non est tamen secundum aliquos ex hoc prohibitum, quod Episcopus successor non possit pro eadem Ecclesia, & eodem festo novam quadragenam concedere ex nova justa causa, quæ ad pluralitatem quadragenarum sufficiat. Quamvis contrarium hujus dixerit Dom. *d. cap. indulgentia nu. 5.* & Franc. *nu. 5.* Barbosa *alleg.* 88. *nu.* 16. Plures tamen extranei Episcopi pro alterius Diœcesi, & subditis ejus, non possunt ampliorem indulgentiam concedere, quam concessit Episcopus, etiam si hoc faciant de consensu proprii Episcopi. Nam quod Episcopus per seipsum facere non potest, multò minus id potest facere per Delegatum; in hoc autem casu alii Episcopi essent Delegati.

620. Item Episcopi solum suis subditis possunt indulgentiam concedere *cap. quod autem* ubi Panorm. *n. 2. de pænit. & remiss.* Palud. 4. *dist. 20. q. 4.* D. Anton. *p. 1. tit. 10. cap. 3. §.* Bologn. *de indulg. nu. 59.* Sylvest *n.* 10. Et alli communiter Fagnan. *cap. à nobis nu. 25. de sent. excom.* Nugnus *in supplem. q. 26. art. 1.* Ex qua limitatione primo deducitur, quod Episcopus non potest concedere indulgentias pro defunctis, quæ est communis sententia DD. *in d. cap. quod autem* Innoc. Card. *cap. quis aliquando §. in Levitico de pœnit. d. 1.* ubi etiam Navar. *not. 22. n. 4.* Medin. *de indulg. c. 37. & 47.* Corduba *q.* 19. Suarez *tom. 4. disp. 53. sect. 2. nu.* 8. Card. de Lugo *disp. 127. nu.* 133. Leand. *q. 21.* & apud eum Henriquez, Bonaccina, Granado, & Sà, Cotton, *lib. 2. controv. 11. nu.* 17. Nugnus *in supplem. q. 26. art.* 1. Sed hæc ratio non est sufficiens, nec illi innituntur omnes DD. citati, quia defuncti, nec jurisdictioni Summi Pontificis subduntur, & tamen Pontifex concedit illis indulgentias per modum suffragii, quia sufficit esse subditum illum, qui pro defunctis lucraturus est Indulgentiam. Ratio igitur est, quia hæc facultas non est illis à Summo Pontifice concessa, & concessio indulgentiæ pro defunctis non venit sub generali concessione.

621. Quamvis verò Episcopus non possit nisi suis subditis indulgentiam concedere, quia tamen jurisdictio hæc non est fori contentiosi, sed est voluntaria Suarez *disp. 49. sect. 3. nu.* 9. Ricc. *resol. 306. n. 5.* Vgol. *p. 1. c. 41. n. 1.* Franciscus Leo *p. 1. c. 7. n. 18.* Alzed. *p. 2. c. 3. nu. 49.* Barbos. *alleg.* 48. *nu.* 16. Episcopus potest indulgentiam concedere subdito suo existenti extrà

Diæ-

Diœcesim, vel etiam in loco exempto. Item Episcopus id facere potest, etiam si ipse extrà Diœcesim existat, quo non obstante potest concedere indulgentiam subditis existentibus, tàm intrà, quàm extra Diœcesim. Item potest concedere indulgentiam pro opere extrà Diœcesim implendo, sufficit enim, quod qui suscipere debet indulgentiam sit subditus; aliàs enim sicut posset in Sacramentali confessione, vel etiam pro absolutione à censuris præcipere peregrinationem implendam extrà Diœcesim, ità potest indulgentiam suo subdito concedere, vel injungendo eleæmosynam dandam pro fabrica Ecclesiæ extrà Diœcesim existente, vel similis Ecclesiæ visitationem, quo solvuntur ea multa, quæ in contrarium adducit Jacobus de Belvisio *cap. 1. §. contrahentes n. 151. & seqq. de for. compet. in 6.* Si tamen Episcopus Diœcesis impediret impletionem operis injuncti, ut quia nollet recipi eleæmosynam injunctam, subditus ille non lucraretur indulgentiam, quia non impleretur conditio Suarez *d. sect. 3. nu. 17.*

622. Nomine verò subditorum hic veniunt Religiosi, seù alii exempti habitantes intrà Diœcesim. Non quia, ut volunt aliqui Religiosi possint se subjicere Episcopis, sed quia in favorabilibus veniunt sub nomine Civium, & Incolarum, & sunt participes communium bonorum, non obstante exemptione Palud. *4. dist.* 20. *qu. 4. art. 3.* Turrecrem. *§. item in Levitico de pœnit. dist. 8. art. 6. num. 67.* Bologn. *de Indulg. numer. 63.* Sylvius *in 3. p. quæst.* 27. *supplem. art. 2.* Barbosa in Pastor. *alleg.* 88. *num.* 27. Palaus *tr. 24. p. 3. num.* 14. Sanctarell. de Jubil. *cap. 3. d. 2.* Bonac. *d. 6. q. 1. p. 3. num. 15.* Et idem dicitur de advenis. Neque in hoc requiritur specialis licentia suorum Prælatorum, ut voluit Panorm. *in d. cap. quod autem num. 4. & 7.* Quia advenæ, dum sunt in aliquo loco, sicut subduntur legibus loci, ac si essent Cives, ita loci privilegiis gaudere possunt, & in hoc cives reputantur Bolog. *nu.* 4. Palaus *d. p. 3. nu.* 14. Cotton. *lib. 2. contr. 11. nu. 17.* Sanctarell. *cap. 3. dub. 2.*

623. Quilibet verò Episcopus saltem confirmatus, si non habet impedimentum, & suspensum usum jurisdictionis potest indulgentias concedere, etiam si nondum sit Sacerdos. Et ut docet D. Thom. *4. dist.* 20. *q. 1. ar. 4. q. 2.* & alii communiter. Electus quidem tantum, cum non dum sit Episcopus, & consecratus tantum, cum non habeat jurisdictionem, non possunt indulgentias concedere. Eam tamen confert Episcopus electus, & confirmatus, quia statim à confirmatione est Episcopus, & illi competit jurisdictio Episcopalis juxta *cap. transmissam de elect.* Sacerdotium verò cum importet potestatem Ordinis non necessariam ad usum jurisdictionis, non est necessarium ad hoc ut Episcopus possit uti jurisdictione, & indulgentias concedere. Quod verò dicitur de Episcopo electo, & confirmato, dicendum est etiam de Episcopo per Pontificem proviso præsentatis litteris provisionis.

624. Si tamen Episcopus habeat usum jurisdictionis impeditum, & suspensum, ut si sit excommunicatus, aut suspensus (& non toleratus) quia est privatus jurisdictionis exercitio valido, non potest validas indulgentias concedere Turrecrem. *art. 5. nu. 46.* Barb. *alleg. 88. nu. 12.* Imò nec potest hanc facultatem delegare, aut licentiam concedere suo subdito, ut ab alio Episcopo indulgentiam recipiat, quia, & delegare, & hujusmodi licentiam dare est actus Jurisdictionis.

625. Alias enim, cum in Episcopo facultas concedendi indulgentias sit ordinaria, ipse potest eam delegare, & nedum suo Vicario, sed cuicumque Clerico, non tamen Laico, quia de jure laicus est incapax jurisdictionis spiritualis. Quamvis verò possit, non tamen censetur Episcopus hanc facultatem delegare suo Vicario in commissione generali, & mandato; nisi id exprimat, quia hoc requirit specialem mentionem, & in generali mandato Vicarii non veniunt ea, quæ specialia sunt, & specialem mentionem requirunt.

626. Quamvis verò censuris impediatur Episcopi facultas ad concedendum indulgentias, non impeditur tamen per peccatum mortalem D. Tom. *4. dist.* 20. *q. 1. art. 4. n. 4.* ubi Nugnus *q. 26. art. 4.* Imò Episcopum existentem in peccato mortali non peccare graviter, si indulgentias concedat, secluso scandalo ex eo quod hoc non sit actus ordinis, sed jurisdictionis, actus verò jurisdictionis possunt sine gravi peccato exerceri à peccatore, ut multi tradunt. Imo non esse novum peccatum dicunt alii, eo quod indulgentia non sit absolutio Sacramentalis, nec sit tàm sacra, & tàm gravis actio, nec conferat aliis sanctitatem, ut requirat in ministro statum gratiæ, tanquam condignam dispositionem. Et quod in hac parte dicitur Episcopo dici debet de omni concedente indulgentias. Quamvis quantum ad censurarum impedimentum, alia sit ratio de Summo Pontifice, qui non potest esse censuris ligatus.

627. Sicut verò Episcopus in sua Diœcesi, sit Archiepiscopus in sua Provincia potest indulgentias concedere, ut declaravit Honorius III. *cap. nostro*, ubi Panorm. *de pœnit. & remiss.* Ubi cum textus absolutè loquatur, id intelligunt DD. ut sit verum etiam extrà actum visitationis Suarez *disp. 55. sect. 3. nu.* 21. de Lugo *d. disp. n.* 136. Corduba *q.* 14. Nug. *in 3. p. q. 26. supplem. art. 1.* Quaranta *verb. Archiep.* Bonac. *disp. 6. q. 1. p. 4. nu. 2.* Lavor. *p. 2. cap. 11. nu. 18.* Barbos. *alleg. 88. nu. 15.* Cum enim ut dictum est, hoc sit jurisdictionis voluntariæ, ideò etiam existens intra Diœceses suffraganeorum hanc indulgentiam potest concedere. Imò Barbosa *nu. 16.* post Azor. & Alzedum addit, quod Archiepiscopus in actuali visitatione prætet 40. dies concessus ab Episcopo potest concedere 80. quia tot potest concedere in sua Diœcesi. Unde tamen hoc habuerit, non video. Idem Barbosa in *summ. verbo indulgentia n. 15.* ait, quod coadiutor Archiepiscopi non potest indulgentias concedere. Ex Sac. Congregatione Rituum in Veronen. 31. *Ianuarii 1561.* An verò idem dicendum sit de primate respectu Regni, in quo est ex se primas, & de Patriarcha respectu Provinciæ Patriarchalis affirmat Navar. *notab. 30. nu. 3.* sed negat Suarez *disp. 55. nu. 21.* Quia in jure hæc facultas solùm Archiepiscopis legitur concessa, & Patriarchæ, & Primates non habent in suis Provinciis, aut Regnis illam auctoritatem, quam habent Archiepiscopi. Est ergo hoc dubium, & tamen hoc est certum, quod Patriarchæ, & Primates, quatenus sunt Archiepiscopi possunt pro sua Archiepiscopali Provincia concedere indulgentias in terminis *cap. ex eo de pœnit. & remiss.*

628. Cardinales etiam, ex eo quod Cardinales de jure communi non concedunt indulgentias, nisi sint Episcopi, vel legati Pontificis. De facto tamen eos in suis titulis posse concedere centum dies tradunt Navar. *not. 31. n. 17.* Sorbus *in compend. verb. indulgentia* Duval. *in par. 2. D. Thom. tract. de indulg. q. unica art. 9. conclus. 4.* Diana *p. 4. tract. 2. resol. 6.* Gamachia *in summ.*

in summ. p. 2. cap. 3. Barbosa *alleg. 88. num. 16.* Panorm. *cap. accedent de excess. Prælat.* Lavor. *p. 2. cap. 11. nu. 15.* Hanc verò potestatem competere illis de consuetudine dixerunt Navar. & Diana, quod tantum non admittitur. Et eos posse hanc Indulgentiam concedere, etiam si non sint Sacerdotes advertit Barbosa post Panvin. Graff. & Lavorium. Certum etiam est, legatos Indulgentias concedere Gloss. *in cap. fin. 4. offic. legati* D. Anton. *p. 1. tit. 10. cap. 3. §. 2.* Sylvest. *verb. indulgentia num. 11.* Rodriq. *q. 98. art. 1.* Palaus *tract. 24. par. 1 num. 1.* Lavor. *par. 2. cap. 11. num. 16.* Barbos. *alleg.* 88. *num. 16.* Et quod concedant centum dies, ait Gamb. *de off. leg. lib. 8. tit. de indulg. num. 8.* malè tamen Barbosa ex eo, & Lavor. ait, Indulgentias à legatis concessas, cessare finita legatione. Nam imò quod legati in sua Provincia possint concedere Indulgentias perpetuas, tradunt Sylvest. *ubi supra* Tabien. *verb. indulgentia n. 8.* Cotton. *lib. 2. contr. 11. num. 17.* Navar. *not. 31. num. 17.* Et etiam si non sint Sacerdotes Sylvest. *num. 12.* Tabien. *num. 9.* R. P. D. Fagnan. *d. cap. accedentibus num. 11. & ibid.* Panorm. Et hanc facultatem esse in illis ordinariam dixit Navar. quod tamen negat Suarez *d. num. 21.* quia in jure communi non legitur, quod illis sit concessa hæc facultas, & sibi non constet, an de stylo Curiæ illa intelligatur concessa ex vi mandati Ordinarii, vel ex vi specialis expressionis, & an sit limitata, sicut est limitata facultas Episcoporum, & an possint illam delegare. Sed veram credo sententiam Navar. imò Richar. *4. d. 20. ar. 4. q. 3.* qui existimat quod concedere Indulgentias de jure communi competat legatis. Concilium verò Provinciale, ut Concilium nihil potest in hoc genere, quia nullibi legitur sibi concessa facultas, hujusmodi. Fœlin. *de indulg. num. 44.* Sylv. *d. q. 26. num. 3.*

629. Prout verò de Summo Pontifice dictum est supra *quæst. 21.* sic de Archiepiscopo, Episcopo, Legato, & aliis Prælatis dicitur eos posse uti Indulgentiis aliis concessis, ut dixit D. Thom. *4. dist. 20. q. 1. art. 5.* quem sequuntur *in cap. indulgentiæ de pœnit. & remiss. in 6.* Anchar. *nu. 2.* Dom. *nu. 7.* Franc. *nu. 7.* & ut etiam possint secum dispensare in opere injuncto, & illud in aliud ex justa causa commutare, sicut idem facere possent cum suis subditis.

QVÆSTIO LXXXVI.

An Prælati inferiores Episcopo, vel Parochi, aut Sacerdotes possint concedere Indulgentias.

SUMMARIUM.

630 *Potestas indulgentiarum non competit inferioribus Episcopo.*
631 *Abbates jure Ordinario non possunt concedere indulgentias.*
632 *Capitulum Sede vacante non concedit indulgentias.*
633 *Sacerdotes, & Parochi non concedunt indulgentias.*
634 *Inquisitores ex privilegio possunt concedere indulgentias.*

630. Communis DD. sententia est, quod nullus Episcopo inferior possit Indulgentias dare. Quod sumitur *ex cap. Accedentibus, de excessibus Prælatorum*, ubi ponitur quod hoc sit unum de pertinentibus specialiter ad Episcopalem dignitatem, & repræhenduntur quidam Abbates, qui sibi hoc usurpabant. Cum enim jure Divino hæc facultas competat soli Pontifici, & nullibi in jure humano legatur talis facultas concessa inferioribus Episcopo, inde manifestum est eam illis non competere.

631. Difficultas verò esse posset de Abbatibus exemptis, & Prælatis habentibus territorium, & veluti Diœcesim, & jurisdictionem Episcopalem in subditos suos, cum Indulgentias concedere sit actus jurisdictionis, & alias non videatur conveniens, quod eorum subditi sint pejoris conditionis in hoc, ut non possint consequi Indulgentias à proprio Prælato. Sed nihilominus communi sententia est, hujusmodi Prælatos non posse Indulgentias dare. In jure enim solis Archiepiscopis, & Episcopis hæc facultas concessa reperitur, *c. ex eo cap. Nostro de pœnit. & remiss. cap. indulgentiæ eod. tit. in 6.* Et in *cap. Accedentibus de excess. Prælat.* Hæc facultas censetur propria dignitatis Episcopalis. Et merito, quoniam pœnas remittere munus Principum est, unde Christus hanc potestatem solo suo Vicario concessit, & ideo Pontifex eodem exemplo solum Episcopis. Et quidem cum magna limitatione illam communicavit, tanquam Ecclesiæ Principibus Panorm. *cap. cum ex eo, num. 5. de pœnit. & remiss.* R. P. D. Fagn. *cap. Accedentibus & num. 12. de excess. Prælat.* Novar. *not. 31. num. 3.* Suarez *disp. 55. sect. 4. num. 4.* Palaus *tract. 24. par. 6. num. 4.* Bellarmin. *de indulg. cap. 11. q. 3.* Bonac. *disp. 6. qu. 1. par. 3. num. 18.* Sanctarell. *de Iub. cap. 3. dub. 2.* Sylv. *in 3. p.* D. Thom. *quæst. 26. suppl. art. 1.* Cotton. *lib. 2. controv. 11. num. 17.* Barbos. *alleg. 88. num. 17.* Fagn. *cap. accidentibus nu. 12. de excess. Prælat.* Neque ex hoc aliquod damnum resultat subditis horum Prælatorum, quia in his censentur subditi Episcoporum, intra quorum Diœcesum fines Ecclesiæ hujusmodi exemptæ sunt positæ, ut Indulgentiis ab Episcopis concessis frui possint, ut dictum est de Religiosis.

632. Capitulum quoque Sede vacante hanc potestatem non habet, quam jura voluerunt esse reservatam dignitati Episcopali, & similibus Capitulum non succedit Episcopo. Contrarium conatus fuit probare Bologn. *de indulg. num. 40.* Sylv. *v. Capitulum num. 10.* & alii apud Bologn. Et idem tenuit Maranta in Medulla decreti *verb. indulg.* qui ait tutius esse, si id comittat alicui Episcopo, sed communis sententia negat, quod Capitulum in hoc speciali jure concesso Episcopo, & non necessario ad gubernium Diœcesis, Capitulum succedat Episcopo. Nec reputandum est inconveniens, quod Sede vacante non sit in Diœcesibus, qui Indulgentias concedere valeat. Tum quia tempus Sedis vacantis est breve. Tum quia subditi frui possunt Indulgentiis concessis à Pontifice, vel Episcopo Antecessore. Tum quia Indulgentia est bonum supererogationis, & sine hac facultate potest jurisdictio Episcopalis à Capitulo administrari. Calder. *in cap. Nostro de pœnit. & remiss.* Novar. *d. num. 3.* Suarez *d. sect. 4. nu. 5.* Bonaccina, Nugnus, Granado, Henriquez, Silva, Sotus, Armilla, Corduba, Lugo, Molfes. Mendo, quos sequitur Leand. *quæst. 23.* Fœlin. *de indulg. num. 45.* Sylvius *d. quæst. 26. art. 1.* Palaus *d. p. 6. numer. 2.* R. P. D. Fagnan. *d. cap. Accedentibus num. 13.* Ubi quod neque hoc competit

petit Vicario Capituli, Cotton. *l. 2. contr. 11. nu. 17.* Sanctarell. *d. dub. 2.* Barbosa *all. 88. nu. 21.*

633. De Parochis, & Confessoribus fuit res controversa. Nam Angelus *verb. de indulg. num. 5* & Rosella *ibid.* crediderunt omnem Sacerdotem, qui possit absolvere in foro pœnitentiali, posse Indulgentias concedere in foro pœnitentiæ, non extra. Sed hæc imaginatio est improbabilis, tum quia supponit falsum, scilicet, quod concessio Indulgentiæ sit actus potestatis ordinis, cum sit distincta, & ab ea separabilis, cum Papa si vellet posset Sacerdoti concedere facultatem ad Indulgentias non concessa facultate ad absolutionem sacramentalem. Tum quia error est distinguere concessionem Indulgentiæ in foro pœnitentiæ, & extra, cum imo essentia indulgentiæ sit, ut sit remissio pœnæ quæ fit extra Sacramentum, scilicet non ex vi Sacramenti, quamvis concessio Indulgentiæ concomitanter fieri possit simul cum absolutione Sacramentali. Tum quia non potest ostendi à quo Confessori sit concessa hæc facultas, quæ nec illi competit jure divino, nec est conveniens, quod illi concedatur jure humano, quoniam adesset nimis proximum periculum enervandi satisfactiones sacramentales. Et cum in hoc Ecclesia limitaverit valde facultatem Episcoporum, multo rationabilius limitare debuisset hanc facultatem in Confessoribus, si illam haberent. Neque hæc sententia habet patrocinium ab aliquibus Canonistis, qui pro ea citantur, scilicet à Gloss. *in c. mensuram de pœn. d.* 1. Panorm. *in c. sicut dignum de homic.* In alio enim sensu illi loquuntur putantes arbitrarium esse Confessario imponere pœnitentiam pœnitenti, & ita ut etiam si imponant majorem reatu, nihilominus virtute clavium tota pœna remittatur. Quod neque est verum, & si esset verum non esset concessio Indulgentiæ, sed quædam sacramentalis dispensatio. Et ideò quod Parochi seu Plebani, & multo minus simplices Sacerdotes de jure ordinario non possint concedere Indulgentias docuerunt unanimiter D. Thom. 4. *d.* 20. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæst.* 1. Albert. *ead. dist. artic.* 22. Ricard. *art.* 4. *quæst.* 1. Durand. *quæst.* 5. Innocentius Quintus *quæst.* 3. *artic.* 2. Palud. *quæst.* 4. *art.* 2. D. Anton. *p.* 1. *tit.* 10. *cap.* 3. *§.* 2. Turrecr. *art.* 5. *nu.* 40. Bolog. *de indulg. nu.* 4. *& seqq. & à nu.* 19. Fœlin. *nu.* 2. *&* 40. Novar. *not.* 31. Suarez *disp.* 55. *sect.* 4. & DD. alii comuniter.

634. Ex privilegio etiam possunt concedi Indulgentiæ ab inferioribus Episcopo; Sic enim quod Inquisitores possint concedere Indulgentias 20. vel etiam 40. dierum audientibus eorum concionem occasione actus fidei, ex plurium Pontificum concessione tradiderunt Eymeric. *in Direct.* 3. *p. quæst.* 127. Peña ibi *com.* 176. Zanard. *in sum. cap.* 6. *quæst.* 46. Catena *p.* 1. *tit.* 5. *§.* 13. *num.* 94. & notaverat Tabien. *verb. indulg. num.* 7. Sed hic advertendum, quod Indulgentia concessa ex falsis Bullis, vel ex illis, quæ in rei veritate nullæ sunt, & invalidæ, nulla est, & invalida, Fagnan. *cap. super eo num.* 11. *de crimine falsi.* Et idem dicitur de concessa à falsis Prælatis. An vero in hoc casu locum habeat lex *Barbarius ff. off. Prat.* Fagnan. *ubi sup.* negat si Prælato deficiat titulus coloratus, & adsit solus error communis. Sed hoc pendet ab illa quæstione an ad valorem actus Judicis, vel superioris jusdicentis requiratur titulus, vel potius sufficiat sola possessio officii cum errore communi. Quamvis etiam absolutè loquendo, quia potestas concedendi indulgentias est merè spiritualis, & versatur merè circa bonum supererogationis, & provenit ex liberalitate Pontificis, & potestas hæc concernit dispensationem thesauri Ecclesiæ, unde specialissima est, ideo dicendum est non suffragari legem illam *Barbarius*, & Indulgentiam concessam à falso Prælato esse absolutè nullam, neque in hoc specialissimo casu Ecclesiam supplere jurisdictionem Prælati falsi.

QVÆSTIO LXXXVII.

An in materia Indulgentiarum locum habere possit præscriptio, aut consuetudo.

SUMMARIUM.

635 *Opiniones diversæ.*
636 *Facultas dandi Indulgentias non acquiritur consuetudine.*
637 *Nec ipsa Indulgentia, quæ nec potest præscribi.*
638 *Facultas Indulgentiarum præscribi non potest.*
639 *Et nec consuetudine obtineri.*

635. IN duplici sensu hæc quæstio disputari potest, quia distingui debet potestas concedendi Indulgentias, ab indulgentia ipsa. In primo igitur sensu quæstio est an potestas concedendi Indulgentias consuetudine acquiri possit. Negant plures. Sotus *4. dist. 21. quæst. 1. art. 4.* Cord. *quæst.* 12. Suarez *disp. 55. sect. 4. num. 2. & 3.* Cotton. *l. 2. controv. 11. num. 21.* ex eo quod consuetudo non possit dare jurisdictionem illam, quæ ab ipso Christo vel à Papa immediate debet communicari, quia consuetudo non facit, quod Christus, aut Papa hoc velit, & tamen sine ejus voluntate id fieri non potest. Sed oppositum sentire videntur Glossa *in cap. Accedentibus, de excess. Prælat.* ubi Panorm. *num. 2.* Navar. *notab. 31. num. 7.* Suarez DD. supra *num. 629.* citati, qui dixerunt facultatem concedendi Indulgentiam Cardinalibus competere ex privilegio, & consuetudine. Item Fœlin. *de indulg. num. 45.* Tabien. *num. 7.* Palaus *tract. 24. p. 6. nu. 6.* id affirmant; sed prior opinio amplecti debet, & dicendum quod potestas indulgentiarum acquiri non potest consuetudine.

636. Nam potestas indulgentiarum singularissima est, & tum ob sui excellentiam, quia est potestas attingens forum Dei, & pœnas Deo, & ejus justitiæ debitas remittens. Tum quia à Christo soli Petro, & ejus Successoribus fuit de jure divino concessa; tum ex eo, quod est tantæ existimationis, ut à Pontifice vix sit concessa primis Ecclesiæ Prælatis, illisque non nisi cum maxima limitatione communicata tum quoniam est res maximi periculi, & facile est ut indiscretæ indulgentiæ ab inferioribus concedantur, ideoque hujusmodi potestas exigit, ut non committatur nisi prudentiæ Summi Pontificis, vel Episcoporum, & Prælatorum Ecclesiæ; tum quoque quia cum potestas indulgentiarum sit potestas dispensandi thesaurum Ecclesiæ convenit, ut non concedatur nisi Ecclesiarum Sponsis, ut arguit D. Thom. *4. dist. 20. q. 1. art. 4. q. 1.* Itaque hujusmodi potestas non compræhenditur, vel sub *cap. final. de consuet.* vel sub aliis regulis generalibus de consuetudine loquentibus, quia sub generalibus dispositionibus non veniunt, quæ speciali mentione sunt digna, *arg. cap.*

cap. cum in generali, de off. Vicarii in 6. & cap. in generali de reg. iur. eod. libr. Non est ergo dicendum, quod consuetudo possit conferre alicui potestatem concedendi Indulgentias. Quod ex dicendis magis apparebit.

637. Secunda pars quæstionis est, an Indulgentia ipsa possit consuetudine acquiri, ut v. g. consuetudine fieri possit, ut in una Ecclesia sit Indulgentia, vel ut sit plenaria Indulgentia, si per scriptam concessionem solum fuit concessa partialis. Hic vero distingui debet præscriptio à consuetudine. Hæc enim maximè distinguuntur, ut explicavi *d. cap. 1. de consuetud. quæst. un. art. 1. num. 39. pag. 332. in 6.* Hæc verò est natura præscriptionis, ut per eam acquiratur jus alterius, etiam eo invito, & sic ex vi præscriptionis transfertur dominium, & jus rei præscriptæ in præscribentem etiam invito illo, contra quem præscribitur. At verò ex hoc evidens erit, quod Indulgentia non sit res præscriptibilis, quia Indulgentia est libera actio Pontificis, quæ est remissio pœnæ temporalis, seu absolutio à pœna temporali, cujus reatus remanet post culpam dimissam; at verò voluntas, & actio libera est impræscriptibilis. Non potest igitur præscriptione acquiri, quod Pontifex pœnam remittat, vel absolvat, si non vult remittere, seu absolvere, seu quod detur remissio pœnæ hujusmodi valida, & efficax, si Pontifex libere non remittit. Itaque solum illud est præscriptibile, quod potest haberi invito eo, contra quem præscribitur, ideo enim in præscriptione non est necessarius consensus illius contra quem est præscriptio, ut dixi *d. art. 1. num. 46.* alias enim voluntas alterius, quæ essentialiter est in potentia volentis præscribi non potest, quia voluntas sua libertate privari non potest, sed præterea in facultativis non intrat præscriptio, ut est juris regula certa, de qua videri possunt dicta in illa *quæst. art. 3. num. 87.* concessio vero Indulgentiæ seu Indulgentia, ipsa est res facultativa, cum sit mera gratia, igitur nec per cursum centum mille annorum, seu nec per tempus infinitum potest præscribi,

638. Ex quo manet magis probatum, quod nec facultas concedendi Indulgentias potest acquiri ex vi consuetudinis, ut præscriptæ, seu in vim præscriptionis, quia nec talis facultas est præscriptibilis, cum sit facultativa res, quæ contra voluntatem Pontificis non potest acquiri, nec potest haberi nisi ut concessa ab illo, qui illam non nisi libere concedit. Sic enim contra jus divinum non præscribitur, de jure divino vero est, ut facultas concedendi Indulgentias non habeatur nisi ut concessa à Summo Pontifice, ut supra est probatum, sic igitur, & hæc intrat regula quod non potest præscribi id, quod invito Pontifice nequit haberi.

639. Loquendo autem de consuetudine ut distinguitur à præscriptione pariter dicitur, quod consuetudine non potest obtineri, ut sit Indulgentia, ubi à Pontifice non est concessa, vel ut sit major, quam fuerit concessa, quod patet ex dictis supra.

QVÆSTIO LXXXVIII.

Utrum Prælati Religionum possint Indulgentias concedere.

SUMMARIUM.

640 *Prælati Regularium non concedunt Indulgentias.*

641 *Prælati regulares suffragantur Amicis applicando illis suorum subditorum satisfactiones.*

642 *Non sunt dispensatores thesauri Ecclesiæ, sed pro suis amicis intercessores.*

643 *Opera Religiosorum familiaribus prosunt per modum meriti de congruo.*

644 *Et per modum directæ impetrationis.*

645 *Superior an possit nedum præcipere, sed opera satisfactoria suorum applicare pro alio.*

646 *Prælatus potest præcipere, sed non potest opus subditi applicare ut valeat pro alio.*

647 *Ad moralem valorem operis necesse est, quod opus sit humanum.*

648 *Opera Religiosorum multum prodesse possunt familiaribus.*

649 *An familiares Regularium Indulgentias aliquas ex hoc possint lucrari.*

650 *An Prælati ex Privilegio aliquas Indulgentias concedere possint.*

651 *Abbates Regulares ex Privilegio concedunt Indulgentiam.*

652 *Prælati in visitatione orationem quadraginta horarum possunt collocare.*

653 *Concionatores an possint concedere Indulgentiam ex privilegio.*

640. Quantum sit de jure Prælatus Religionum etiam de jure Divino posse concedere Indulgentias quamvis de facto id non possint, quia hoc fuit illis ablatum ad tuendam dignitatem Episcoporum, voluerunt Medina *de Indulg. cap. 29.* & Rodriq. *quæstion. Regul. 87. art. 1.* Sed si hoc verum esset interrogandum esset, cur Christus Dominus contulerit Prælatis Regularibus hujusmodi potestatem qua nunquam usi sunt, nec in futurum utentur, ut creditur, & sic fuisset potestas hæc inutilis. Sed ex probatis jam est manifestum soli Pontifici summo competere potestatem Indulgentiarum de jure divino. Et quod Prælati Regularium non possint concedere Indulgentias de jure divino, aut de jure communi tradiderunt D. Thom. 4. *dist. 20. quæst. 1. art. 4. quæst. 1. & ead. dist.* Abbas *artic. 22.* Innocentius Quintus *quæst. 3. art. 2.* Durand. *quæst. 5.* Palud. *quæst. 4. art. 2.* D. Anton. *part. 1. tit. 10. cap. 3. §. 2.* Turrecrem. *§. item in Levitico de pænit. dist. 1. art. 5. num. 40.* Bolog. *de Indulg. à num. 4. & num. 19. & seq.* Fœlin. *num. 2. & 40* Epitome Candidi *disquis. 52. art. 2.* Navar *notab. 31.* Suarez *disp. 55. sect. 5.* Lezana *verb. Indulg. num. 13.* De Lugo *disp. 27. num. 136.* Palaus *tract. 24. d. 6.* Cotton. *lib. 2. controv. 11. numer. 17.* Barbos. *alleg. 88. num. 18.* Tamburin. *tom. 2. disp. 9. quæst. 1.* Mirand. *tom. 2. qu. 9. ar. 2.* Fagnanus *cap. Accedentibus num. 19. de excess. Prælat.* Nugnus *in suppl. qu. 26. artic. 1. in fin.*

641. Videtur vero ex alia parte hujusmodi Prælatos

habere potestatem concedendi Indulgentias, quia concedunt remissionem pœnarum suis familiaribus, & amicis applicando eis bona merita, & satisfactiones suarum congregationum, & efficiendo illos participes illarum, & eos ad quamdam unionem cum suis religiosis admittendo, ut ex usu Ecclesiæ est manifestum. Sed dicitur, quod hoc non est Indulgentias concedere, sed suorum subditorum suffragia donare. Prælatus enim Regularis, nec habet jurisdictionem in exteros, quos in unionem suæ congregationis assumit, nec per actum jurisdictionis alicujus eos à pœna absolvit, sicut facit, qui Indulgentiam concedit, sed pro eis intercedit, & suffragatur applicando illis suorum merita, & satisfactiones.

642. Deinde Prælatus Regularis non est alicujus thesauri meritorum, aut satisfactionum dispensator. Neque enim Ecclesiæ particulares, seu Diœceses, aut Congregationes Regularium habent particulares, aut privatos thesauros, in quibus recordantur merita vel satisfactiones, quæ nondum effectum suum fuerunt consecutæ, sed hujusmodi merita, & satisfactiones in thesauro generali Ecclesiæ continentur, cujus dispensatio propria est Summi Pontificis; eo magis, quod præcipuum quod in hoc thesauro continetur est meritum, & satisfactio Christi, quæ per se bonum commune est, cujus dispensatio nulli alteri competit, nisi illi, cui illam Christus commisit, qui eam Petro, & successoribus concessit; sic ergo solius Petri, & Successorum eius, & eorum, quibus Petri Successores id concesserunt, est concedere Indulgentiam; & absolvere à pœna de thesauro Ecclesiæ prætеritas satisfactiones, quæ remanserunt, & effectum non sunt sortitæ, applicando in remissionem peccatorum, quæ post commissa sunt. Modo Prælati Regulares nec thesaurum dispensant, nec præterita merita, & satisfactiones suorum, quæ ad thesaurum Ecclesiæ spectant pro remissione peccatorum, quæ posteà commissa sunt, applicant amicis, & familiaribus suis, sed actualium operum fructum dum fiunt tanquam suffragia utilia applicant pro illis, & in remissionem peccatorum, quæ antea commissa sunt, non vero, quæ post illa opera committentur. Ideo minimè Indulgentias concedunt, sed pro suis amicis intercedunt, & suffragantur. Turrecrem. *dicto artic. 5. numer. 56.* Divus Anton. *dicto cap. 3. in princip.* Durand. *dicto numer. 5.* Suarez *d. section. 5.* Cardin. de Lugo *dicto num. 136.* Palaus *d. par. 6.* Lezana *numer. 15.* Sylvius *in 3. part.* Divus Thom. *quæst. 20. supplement. artic. 1.*

643. Dum enim opus unius possit prodesse alteri in ordine ad Deum per modum satisfactionis, & per modum directæ impetrationis, & per modum meriti de congruo, primo ex ea applicatione, qua per superiores exteri, quos vocant fratres assumuntur in unionem, & participationem bonorum operum, quæ fiunt à subditis, fit ut hujusmodi bona opera juvent illos fratres per modum meriti de congruo; hic enim modus juvandi non pendet à speciali intentione operantium Religiosorum; Ideo est universalis, & ex eo quod aliquis factus est veluti membrum aut socius Religionis alicujus, bona opera illius valent apud Deum ut ratione illorum specialia dona conferat eis tanquam personis conjunctis, etiam si ad hunc finem talia merita non referantur. Quod præcipuè habet efficaciam, si talis persona aliquid à Deo petat ob merita talis Religionis. Nam ex quo illa persona est conjuncta speciali titulo amicitiæ illi religioni, habet, ut speciali jure possit petere à Deo, quod desiderat intuitu meritorum illius Religionis; Nam ratio amicitiæ dictat, ut propter amicos aliis conjunctis bene faciamus, etiam amicis ipsis nihil directè petentibus.

644. Secundo ex hoc juvantur etiam per modum directæ intentionis, quando vel in orationibus communibus, quæ fiunt pro bono Religionis, & conjunctorū comprehenduntur etiam istę personæ sic conjunctæ, vel Religiosi etiam expresè, & determinatè orant vel applicant fructuum suorum operum pro similibus personis. Nam & hoc modo unio ipsa, & conjunctio concessa valet ad faciliorem impetrationem. Quia cæteris paribus oratio efficacior est ad impetrandum pro per conjuncta.

645. Quantum vero ad modum satisfactionis difficultas est, an ad hoc ut satisfactiones religiosorum prosint pro alio, sufficiat præceptum, & explicatio superioris, non requisita particulari intentione operantis, imo eo repugnante. Aliqui enim affirmant cum Soto *4. dist. 21. quæst. 1. artic. 4. circa fin.* & Cord. *quæst. 42. puncto 3.* Alii vero etiam è contra negare videntur, quod Prælatus possit subdito præcipere, ut operetur ex intentione satisfaciendi pro alio. Alii autem admittunt, quod Prælatus possit subdito præcipere opus ad satisfaciendum pro alio; quia hoc est opus charitatis, & eleemosynæ, quod ex causa justa posset etiam præcipere Prælatus sæcularis suis subditis, ut v. gr. præcipiendo jejunium in satisfactionem pro animabus defunctorum in bello ex causa Religionis. Neque enim ex hoc damnificatur Religiosus, etiam si indigeat satisfactione pro se, quia hujus eleemosynæ factæ etiam de his, quæ homo indiget, fructus crescit virtute obedientiæ, & charitatis, & quia non est magnum ex causa rationabili aliquid pati, & potest Religiosus per alia opera pro se satisfacere. Potest igitur Prælatus præcipere ex justa causa opus directum ad satisfaciendum pro alio, quamvis quia hoc dominium superiorum non est absolutum, sed veluti paternum, & ordinatum in bonum subditorum, non debeant Prælati uti hac potestate nimium gravando subditos suos, sed solum moderatè & ex causis justis; Sed hoc admisso Suarez *disp. 55. sect. 5. numer. 9.* Addit Prælatum posse etiam præcipere opus ut bonum in individuo, & ex omnibus circumstantiis, ex gravissima causa, quamvis nisi hoc exprimatur regulariter præcepta intelligi debeant, ut obligent ad substantiam actus de se satisfactorii, reliqua vero intelligi ex illa obligatione quam habet Religiosus, ut rectè operetur, & sit in statu gratiæ.

646. Nihilominus tamen idem Suarez *num. 7.* inquit, quod ad hoc ut opus satisfactorium prosit alteri per modum satisfactionis, non sufficit præceptum superioris, seu superioris intentio, & applicatio ad talem finem, sed est necessaria intentio, & applicatio subiti operantis, qua cessante, operis efficacia non adsit, ut alteri prosit, Nam Prælatus habet, quidem dominium super voluntatem subditi, ut obliget illum, ut velit, sed non habet dominium super usum voluntatis absolute, & simpliciter neque enim potest facere, quod intendat operari propter hunc finem, si non vult habere illam intentionem, sicut vero si subditus de facto nolit habere opus præceptum, nihil utilitatis ex illo opere habet Prælatus, qui illud præcepit nec satisfactum fuit pro eo, pro quo

Præ-

Prælatus præcepit satisfacere, si opus factum non fuit; ita cum intentio operantis sit necessaria omnino; quia moralis valor operis pendet intrinsecè ex intentione operantis, quam Prælatus non potest supplere, nec facere quod subditus habuerit illam intentionem, si contrarium habuerit, sequitur, quod opus illud non sit satisfactorium pro eo, pro quo Prælatus voluit, & præcepit satisfieri. Tunc ad tollendum hunc effectum, sufficit negatio intentionis ita quod, si subditus operatur nec formalem, nec virtualem intentionem habet satisfaciendi pro aliquo, opus non habet, ut vim pro illo satisfaciat.

647. Et mihi quidem hoc verisimile videtur, quia ad moralem valorem operis omnino necessarium est, quod opus sit humanum; igitur, quod sit ab homine se movente in finem, & ex intentione finis operante, igitur intentio finis in operante est personalis functio omnino necessaria ad hoc, ut opus sit satisfactorium de facto, quod etiam voluit Durand. *4. dist.20.quæst. 5. numer.5.* Epitom.Candidi *disput.52. art. 2. numer.* 10. *&* 11. Nugnus *in supplem. quæst. 26. art.1.* Cum ergo Prælatus non possit facere, quod intentio operantis adsit, si non adest, pariter nec potest facere, quod opus sit satisfactorium pro aliquo, si deest in operante intentio satisfaciendi pro illo. Et sic subditus non obediendo præcepto superioris præcipientis illi ut satisfaciat pro alio, non satisfacit pro illo, & eo magis non satisfacit, quia opus procedens ex inobedientia est malum.

648. Nihilominus tamen, quia subditi regulariter conformant intentionem suam intentioni superiorum, multum prodesse possunt opera Religiosorum pro exteris fratribus, dum Religiosi, vel expræsse, vel virtualiter operantur ex intentione satisfaciendi pro illis.

649. Hujusmodi etiam familiaribus Regularium Mendicantium præcipue Patribus, Fratribus, Procuratoribus, Sindicis, & aliis hujusmodi plures Indulgentiæ concessæ fuerunt, de quibus consuli possunt Casarubias *in verb. de Indulgentia quoad Sæculares, & Compendium Societatis* §. 28. *& seqq.* & alia compendia privilegiorum Mendicantium. Ex quibus tamen plures sunt concessæ per vivæ vocis oracula. Videri etiam possunt Suarez *d.sect.5.num.13.* Rodriq. *tom.1. quæst. 68. art.4.* Lezana *verb.Indulgentia nu.13. & verb.Familiares nu.5.* Martin. à Spiritu Sancto *tract.2.disp.5.nu.33.* An vero istæ Indulgentiæ concessæ pro sæcularibus sint revocatæ dicetur inferius.

650. Quamvis vero Prælati Regulares de jure communi non possint concedere Indulgentias, referuntur tamen à DD. privilegia in quibus hoc conceditur. Nam Rodriquez *tom. 1.quæst.63. art.2.* refert Leonem Decimum concessisse Provincialibus Minorum Regularis observantiæ, ut peracta visitatione Fratribus, & Monialibus possint concedere Indulgentiam plenariam. De quo privilegio mentionem facit Peyr. *in Prælat. Regul.quæst 3.cap.6.in fin.& ad Constit.* Leonis Decimi *nu.* 12. Miranda *p.1. quæst.9.art.2.concl.2.* Sed concessio fuit vivæ vocis oraculum, ut patet apud Casarubiam *in Compend.privilegiorum titul. Indulgentiæ. quod fratres num* 16. Idem Rodriquez *ibid.* & Peyr. referunt vivæ vocis oraculum Greg. XIII. factum Societatis Jesu, ut possint Visitatores absoluta visitatione concedere Religiosis indulgentiam plenariam. Hoc vero refert Rodriquez ex compendio Societatis *verb. visitatores,* ubi id non reperio in compendio impræsso Romæ 1586. quinimo in illo compendio non est titulus Visitatores. In eodem tamen compendio *tit.indulgentiæ §.* 10. refertur præfatum privilegium Leon. X. *ex supplem. Minor. fol.93.concess.285.* & additur, quod idem possunt Visitatores peracta visitatione. Advertit vero Peyr. *d. num.*12. quod hujusmodi facultas non est revocata per Paulum Quintum, quia aliud est facultas concedendi Indulgentias, & aliud est Indulgentia. Et bene in hoc dicit, sed inde sequitur, quod eadem facultas, cum non sit Indulgentia, sed privilegium est revocata per Gregor. XV. & Urbanum VIII. qui revocarunt privilegia, indulta, gratias, & concessiones vivæ vocis oraculo factas. Peyrinus etiam *in Constitut. 7.* Clem. VII. refert privilegium concessum Generali d. Ord. per quod concessum fuit, ut semel quolibet triennio posset concedere Indulgentiam plenariam Religiosis suis, & Fundatoribus, & Conservatoribus suorum Conventuum. Sed hoc fuit vivæ vocis oraculum. Et ideo est revocatum.

651. Abbates Regulares vero in Missâ solemni dum dant benedictionem solemnem posse concedere indulgentiam quadraginta dierum relatis pluribus privilegiis Bullatis, tenet Tambur. *tom.2. de jur. Abbatum disp.9.quæst.2.*

652. Inter Indulgentias vero concessas Regularibus à Paulo V. *Constit.21. §.17.* continetur facultas data superioribus, ut in visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare possint, & Religiosis qui confessi, & Sacra Eucharistia refecti orationibus illis interfuerint, & Deum, ut ibi dicitur rogaverint, concessit Indulgentiam plenariam. Cum vero orationes quadraginta horarum collocentur per Sanctissimi expositionem publicam, & solemnem, in hoc casu potuerunt Regulares sine licentia Episcopi Sanctissimum Christi Corpus exponere.

653. Concionatores etiam posse suis audientibus ex privilegio Indulgentias concedere vult Rodriquez *tom.2.quæst.*87. *art.2.* qui refert Alexandrum Quartum concessisse Minoribus, ut Concionatores eorum in quacumque Ecclesia possint concedere audientibus Indulgentiam quadraginta dierum. Et hujus privilegii meminit etiam Casarub. *verb. Indulgentia quoad sæculares sexto numero secundo & num. 5.* Addit privilegium Clem. IV. per quod, ut testatur Joannes XXIII. concessit Minoribus, ut prædicatores extra domos suas possint auditoribus concedere Indulgentiam dierum octoginta, in domibus verò suis centum dies. Privilegii Alexandri Quarti meminit etiam monumentum Minorum *pag. mihi 206.concess.654.* Tambur. *de jur. Abb.tom.2.disp.9. quæst. 1.* sed necesse esset videre litteras Apostolicas præfata concedentes; aliter non apparet de solido eorum fundamento, sed & has Indulgentias non esse in usu dixit Lezana *verb. Concionatores num.14. in fin.* Nam cum Pontifices ipsi audientibus conciones Mendicantium quam plures Indulgentias concesserint, quas recenset Lezana *verb.concionatores num.18.* & videri possunt in Compendiis privilegiorum mendicantium, & præcipuè apud Casarub. *loco citato,* non fuit opus, ut Concionatores uterentur præfatis privilegiis, & aliquam Indulgentiam ipsi concederent. An vero Prælati Regulares possint Indulgentias suis ordinibus, vel confraternitatibus concessas communicare dicetur *infra quæst.103.*

QVÆSTIO LXXXIX.

Quotuplex sit forma concedendi Indulgentiam.

SVMMARIVM.

654 *Debet dari aliqua sensibilis forma concessionis indulgentiarum.*
655 *Sufficit quod Prælatus quomodocumque concessionem exprimat.*
656 *Indulgentia duplex, scilicet, sententia ferenda, & lata.*
657 *Discrimen inter istas Indulgentiarum formas.*
658 *Articulus mortis qui sit ad effectum Indulgentiæ.*

654. CVm enim concessio indulgentiæ sit quid pertinens ad jurisdictionem Ecclesiæ, ut visibilis, non potest sola mente, & voluntate Prælati concedi. Quamvis enim potestas ad Indulgentias sit spiritualis,& spiritualem effectum habeat, tamen est data Prælatis ut sunt Capita in Ecclesia visibili, & ideo ipsi visibiliter, & sensibiliter influere debent dum Indulgentiam concedunt. Sicut enim quia Ecclesia est congregatio fidelium visibilis, potestas Ecclesiastica non se extendit ad actus internos, nisi ut conjunctos cum actibus externis, vel per ipsos manifestatos, ita jurisdictio Ecclesiastica non potest per actus mere internos exerceri. Vnde lex non est purum dictamen superioris,ut in ejus mente existens, sed ut extra est sensibiliter manifestatum. Sic ergo nec Prælatus sola sua voluntate interna potest Indulgentias concedere, sed necesse est, ut concessionem sensibiliter exprimat, & sic necesse est, ut detur aliqua sensibilis forma, & quidem determinata, per quam Prælatus determinate exprimat quantitatem indulgentiæ, quam concedere intendit.

655. Sufficit tamen, quod Prælatus quomodocumque suam voluntatem, & concessionem exprimat, sive voce, sive scripto, sive nutibus, aut facto. Nec est necessaria aliqua verborum, aut signorum determinatio, sed quibuscumque verbis, aut signis uti potest, sufficitque, ut exprimat determinatè, quod concedit.

656. Duplex autem est forma concedendæ Indulgentiæ, alia scilicet est Indulgentiæ ferendæ, & alia est Indulgentiæ ipso facto concessæ: sic enim etiam datur excommunicatio ferenda, & lata. Indulgentia ferenda est, si Papa alicui concedat, ut existens in articulo mortis possit absolvi, nedum ab omni culpa, sed ab omni pena. Tunc enim non est Pontifex, qui absolvit, sed Pontifex delegat potestatem suam Confessori, ut indulgentiam, seu omnis pœne absolutionem, & remissionem concedat. Indulgentia autem ipso jure lata est, quando Pontifex concedit alicui, ut si hoc vel illud fecerit, ipso facto Indulgentiam consequatur, ut si concedat alicui Indulgentiam plenariam, eo ipso quod in gratia moriatur.

657. Est ergo discrimen inter hujusmodi formas concedendi Indulgentias, quod prima se sola non est efficax, ut obtineatur Indulgentia, non enim ad hoc sufficit Papæ concessio, sed requiritur concessio Confessoris delegati à Pontifice ad exequendum, seu ad concedendum in executione indulgentiam. Vnde si non adsit Confessarius, vel si Confessarius nolit, vel obliviscatur exequi delegationem, & Indulgentiam non concedat is, cui Pontifex concessionem fecerat Indulgentiam non lucratur. Secunda verò forma concedendi Indulgentiam est de se efficax, unde impleta conditione injuncta, statim is, cui facta est concessio lucratur Indulgentiam. Ita enim facere potest Pontifex, & se velle, quod ita fiat satis explicat per hanc formam concedendi indulgentiam.

658. Vnde aliud discrimen reperitur. Nam si Pontifex concedat Indulgentiam ferendam in articulo mortis, hic mortis articulus debet accipi moraliter pro tempore, in quo mors moraliter imminet, etiam si mors non sequatur. Fœlin. *de indulg. num.* 16. D. Anton. *1. part. capit. 3. §. quinto* Tabien. *numer.* 23. Cord. *quæst. 39. part.* 2. Suarez *tom. 4. in 3. par. disp. 56. sect.* 1. *numer.* 6. Trullench. *in Bullam Cruciatæ §. 7. cap. 2. dub. 19. numer. 8.* Rodriq. §. *9. numer. 38.* Villalob. *clausf. 9. §. 2. numer. 7.* Palaus *tract. 23. part. 7. §. 1. num. 9.* Acosta *quæst. 71.* Hoc vero extendit Trullench. *num.* 10. etiam ad verum mortis periculum. Quod tamen negat Diana *part. 1. tract. 11. resol. 306.* Sed illum credo esse in vero articulo mortis, cui mors jam imminet undequaque, & ex quacunque causa id contingat: Vide, si placet, quæ de absolutione in articulo mortis scripsit *tom. 2. de stat. quæst. 187. artic. 2. à numer. 507. pag.* 117. Et in hac parte optimum consilium est, ut non expectetur taliter, quod sit periculum, ut pœnitens moriatur sine indulgentia, quamvis excluso hoc periculo melius sit expectare quantum fieri potest, ut pœnitens plenariam remissionem accipiat. Peccator enim post datam Indulgentiam concessam ex vi indulgentiæ concessæ prius non obtinet remissionem peccatorum, quæ post commisit, sed aliunde pro illis debet satisfacere. Sed si indulgentia sit sententiæ latæ pro articulo mortis, hic articulus accipitur physice pro ipso puncto mortis, & pœnitens non obtinet Indulgentiam, nisi moriatur, quia Indulgentia data fuit sub mortis conditione. Suarez *d. sect. 1.* Cordub. *quæst.* 36. Trullench. *ubi supra num. 9.* Et sic tunc in ipso puncto mortis, quod est primum non esse vitæ, anima Indulgentiam consequitur.

QVÆSTIO XC.

Delegatus quis censendus sit, & ad concedendam Indulgentiam qua forma uti debeat.

SVMMARIVM.

659 *Confessarius non potest reservare indulgentiam pro articulo mortis vero, si illam concedit ex præsumpto.*
660 *Et tunc non est necesse quod hoc exprimat, si ex indulto eam reservare potest.*
661 *Si Confessor non tribuat Indulgentiam non acquiritur.*

662 An

659. HÆc regula generalis circa utramque formam servanda est, ut diligenter verba concessionis inspiciantur. Et nunc loquendo de forma Indulgentiæ ferendæ, non nulla attendi debent. Solet enim multoties hujusmodi delegatio exprimi per hæc verba, aut similia. *Ut possint eligere Confessorem &c. & ab eo quorumcumque peccatorum &c. & plenariam Indulgentiam &c. semel in vita, & semel in mortis articulo obtinere*. Constat autem primo ex vi hujus concessionis absolutionem, & Indulgentiam semel tantum in vita, & semel tantum in morte obtineri posse. Trullench. *in Bulla Cruciata §.7.cap.2.dub.19. num. 2.* Ex quo sequitur, quod non benè Diana *par. 1. tract. 11. resol. 106.* dixit hanc esse praxim concedendi hanc Indulgentiam, ut concedens dicat, si verè obieris impertior tibi Indulgentiam, alioquin eam tibi servo ad instans mortis. Hoc idem vult Fernandez *in examin. par.3. cap.9. §.9. num.4.* Sed nisi id expresse sit concessum à Pontifice, ex vi præfatæ clausulæ, aut similium, illa praxis non valet, quia semel tantum potest pœnitenti concedi illa Indulgentia, quæ tunc effectum suum sortitur, cum confessarius, tanquam Delegatus illam concedit, nec potest Confessarius absolvere à futuris debitis, & pœnis, sed solùm ab illis, ad quas pœnitens tenetur tempore absolutionis. Trullench. *in Bulla Cœna §. cap.2. dub.19. num.9.* Navar. *not. 30. num.5.* Cordub. *quæst.36.* Rodriq. *in Bulla Cœna §.9. num.56.*

660. Unde bene advertit Navar. quod qui in articulo mortis præsumpto absolvitur, & à Confessario ei conceditur Indulgentia, illam tunc consequitur, sed postea si convalescat, & iterum in articulum mortis incidat, ea non potest uti amplius. Si verò in indulto sit expressum, ut in Indulgentia pro articulo mortis vero reservetur, si tunc infirmus non moritur, in eo casu penitens tunc non acquirit Indulgentiam, sed eam in vero mortis in articulo obtinebit. Quamvis vero in hoc casu D. Anton. *dicto §.5.* & Fœlin. voluerint esse necesse, quod Confessarius voce exprimat, quod concedit Indulgentiam ea conditione, si ex ea ægritudine infirmus obierit, alioquin reservat illam pro vero mortis articulo, Navar. *dicto num.5.* hoc non existimat necessarium, quia nullo jure Confessor ad id dicendum adstringitur, & expressio illius reservationis non potest mutare gratiam Papæ.

661. In præfata autem concessionis forma continetur, quod Indulgentia concedatur à Confessario. Et nihilominus si contingat, quod Confessarius nolit Indulgentiam illam concedere, quod nihilominus penitens, qui ideo confitetur, ut Indulgentiam consequatur illam obtineat dicunt Rodriq. *in Bulla Cruciata §.9. num.43.* Ferdand. *in exam. part.3. cap.9. §.10. nu. 4.* Diana *par. 1. tract.11. resol.* 106. Sed oppositum est dicendum, quia Pontifex non concedit immediatè illam Indulgentiam, sed illam commisit Confessario. Sicut vero, si Confessarius non absolvit à peccatis, pœnitens non est absolutus, ita non est illi remissa pœna per Indulgentiam, si eam Confessarius non tribuit Navar. *not.30. num.14. & 16.* Trullenc. *dicto dub.19. num.3.*

662. An vero ex vi prædictæ clausulæ Confessarius debeat impertiri indulgentiam intra sacramentum pœnitentiæ, dicunt necessarium esse si confessio actualis sit possibilis, Trullenc. *d. dub.19. num.4. & alii*. Sed si Confessario non sit possibilis ut in lethargico, phrænetico, vel amente, vel qui amisit sensum, itaut nullum signum contritionis possit dare, nihilominus poterit absolvi à censuris, & poterit ei impertiri Indulgentia. Navar. *not.30. num.13.* Diana *part.1. tract.11. resol.108.* & apud eum Acosta *quæst.1.* Card. *quæst.136.* Trullench. *d. num.4.* & apud eum Henriquez, Villalobos, & Ludovicus de Cruce.

663. Sed hujus dubii resolutio pendet ab alterius resolutione, an scilicet ex vi dictæ clausulæ confessio actualis sit requisita, ut conditio sub qua concedatur Indulgentia. Diana *part. 1. tract. 11. resol.* 107. negat confessionem ex vi illius clausulæ requiri, ut conditionem quia non dicitur facta confessione, vel quid simile ex quo colligatur necessitas actualis confessionis. Sed oppositum est verum. Nam cum ex vi dictæ clausulæ Indulgentia concedi debeat à Confessario, qui absolvat, supponitur præmitti debere confessionem. Quod confirmatur, quia cum in Bulla Cruciatæ contineatur similis clausula, ut Pontifex faveat etiam illis, qui sine confessione decedunt, eo quod non potuerunt confiteri, concedit ipse Indulgentiam, si sint contriti. At vero hæc extensio, & declaratio fuisset superflua, si ex vi præfatæ clausulæ, aut similis actualis, confessio non fuisset necessaria, sed fuisset sufficiens contritio. Et ideo, quod ex vi præfatæ clausulæ actualis confessio sit necessaria docuerunt D. Anton. *par.1. t.10. cap.3. §.5.* Acosta *in Bulla quæst.14.* Palaus *in Bullam Cruciata tract.25. part. 4. num. 4.* Quod quidem non, ut voluit Acosta, verificatur in eo, qui habet sola venialia, sed solum in eo, qui habet peccatum mortale non confessum, ut docent D. Anton. *loco citato* Diana *ubi supra*, & constat ex probatis supra *quæst.28.*

664. Ex his ad præcedens dubium dicitur quod si adest aliud speciale indultum per quod concedatur, ut sufficiat contritio si non potest haberi actualis confessio, quale indultum pro decedentibus habetur in Bulla Cruciatæ, non est necessaria actualis confessio, in eo casu, in quo ex concessione sufficit contritio. Sed extra hunc casum, Indulgentia ex vi præfatæ clausulæ, non potest concedi, nisi actualiter confesso ei confessori, qui ad hunc effectum electus fuit, quia illi soli est delegata facultas concedendi Indulgentiam, si pœnitens habet conscientiam peccati mortalis nunquam confessi. Non tamen est necesse, quod confessarius hanc Indulgentiam concedat intra sacramentum pœnitentiæ, quia hoc non præcipitur per dictam clausulam. Unde Confessarius eam Indulgentiam concedere potest post auditam confessionem etiam omnibus audientibus, & palam, & etiam post aliquod breve tempus. Et credo, quod ex vi talis Indulgentiæ obtineat remissionem, nedum pœnæ debitæ pro peccatis tempore absolutionis sacramentalis, sed etiam pœnæ debitæ peccatis venialibus postea commissis, si tamen sint dimissa tempore, quo Confessarius plenariam indulgentiam impertitur. Si vero post confessionem ante concessionem Indulgentiæ contingat pœnitentem peccare mortaliter, quia ex vi dictæ clausulæ absolutio sacramentalis, & concessio Indulgentiæ fieri debet unico contextu, nec inter eos debet intercedere tantum tempus, quod discontinuet moraliter illas duas actiones, dici etiam potest, non esse tunc necessariam novam Confessionem, sed sufficere contritionem novi peccati, aut pœnitens plenam Indulgentiam consequatur.

665. Cum vero ex vi dictæ clausulæ delegatus ad hanc Indulgentiam concedendam sit Confessarius, conveniunt DD. communiter, quod extra articulum mortis, hic debeat esse Sacerdos approbatus ab Ordinario, talis scilicet, qui aliorum, vel pœnitentis illius possit confessionem audire, & eum à peccatis absolvere. Quod est manifestum ex illa copulativa. *Et* scilicet absolutionem peccatorum, & Indulgentiam obtinere, sensus enim manifestus est, quod ab eodem obtineri debet, & absolutio peccatorum, & indulgentia. Cum igitur solum à Sacerdote approbato ad confessiones possit obtineri absolutio, ab eo solo etiam potest concedi indulgentia.

666. Et ex hoc etiam probatur, quod supra *numer.* 671. dictum est, scilicet, quod absolutio, & Indulgentia debet dari unico contextu, quia utraque copulativè dari debet, hoc enim importat copulativa, *&* ut simul sint absolutio à culpa, & à pœna. Quod si quis vellet quod duæ istæ absolutiones possint esse discontinuæ quantum ad tempus, ad minus concedere debebit, quod per Indulgentiam posterius datam, & interpellatè, pœnitens non obtinet majorem Indulgentiam, seu pœnarum remissionem, quam obtinuisset, si sine interpellatione similium, absolutionem à culpa, & Indulgentiam obtinuisset. Non enim est verisimile, quod Pontifex voluerit concedere Indulgentiam pro peccatis futuris post absolutionem concessam, ita quod qui hodie ex vi indulti confitetur, post mensem, vel annum ex vi indulti ejusdem obtineat remissionem etiam peccatorum, quæ per menses, aut annum post absolutionem à peccatis commisit; sed veritas est, quod ex vi hujusmodi delegationis, Confessarius non potest Indulgentiam concedere, nisi eodem contextu, & tempore audit confessionem, & à peccatis absolvit pœnitentem, quia duæ istæ actiones conceduntur, ut connexæ.

667. At vero loquendo de articulo mortis pariter conveniunt DD. quod si potest haberi Sacerdos, qui audiat confessionem pœnitentis, ille debet eligi, ut det absolutionem & concedat Indulgentiam; sed si non possit haberi, quod tunc sufficiat quilibet Clericus, qui haberi possit, & quod in hoc casu, & quantum ad effectum concedendi Indulgentiam ille dicatur large Confessarius, affirmant Sylvest. *v. Indulgentiam nu. 26. & 31.* Navar. *not.* 30. *num.* 8. Henriq. *lib. 7. de Indulg. cap. 9. num. 4. lit. Z.* Imo nedum hoc concedunt alii, sed addunt, quod in defectu Clerici etiam Laicus hanc indulgentiam moribundo concedere valeat, & pœnitentis peccata audire, licet ab eis non possit absolvere. Ita Navar. *not. 30. num. 9.* Diana 1. *p. tract. 11. resol. 106. & p. 5. tract. 3. resol.* 134. *& p.* 10. *tract. 16. resol.* 10. Sed etiam in articulo mortis necessarium esse Sacerdotem confessarium asserunt Ludov. à Cruce *in Bull. Cruc. disp. cap. 8. d. 14. num.* 2. Trullench. *d. §. 7. cap. 2. dub. 19. num.* 6. Cotton. *lib. 2. cont. 11. num.* 83. & ita procul dubio dicendum est. Non enim vocabulis abuti debemus, & ea impropriare, est vero abuti nomine Confessoris, si dicatur de non Sacerdote & præcipuè de laico. Et ex vi clausulæ præfatæ requiritur, qui vere possit absolvere, imo qui per prius absolvat, & postea Indulgentiam concedat. Et propterea etiam de mente S. Anton. *d. §. 5.* secundum clausulam præfatam qui, dat indulgentiam, debet esse Sacerdos, qui etiam possit absolvere.

668. Et ideo nisi aliud indultum concessum sit, per quod non sit necessaria confessio, sed sufficiat contritio, etiam qui laborat in articulo mortis non potest consequi hanc Indulgentiam, si non potest confiteri, & absolvi quia ut probatum fuit, impossibilitas ponendi confessionem non excusat, ubi illa est necessaria. Etiam vero ubi datur indultum, quod morienti sufficiat contritio, si non potest confiteri, adhuc si facultas concedendi indulgentiam est delegata Confessario, tunc quidem si non potest haberi Confessarius approbatus ab ordinario, sufficit quilibet Sacerdos, quia quilibet Sacerdos potest absolvere.

669. Sed iste Sacerdos debet esse præsens? Quod in casu aliquo Sacerdos etiam absens possit indulgentiam hanc concedere in articulo mortis sentiunt Trullench. *d. §. 7. cap. 2. dub. 19. numer.* 7. Diana *p. 5. resol.* 134. Cotton. *lib. 2. contr. 11. numer.* 79. nimirum si Parochus post datam extremam unctionem oblitus fuerit concedere indulgentiam, potest è domo illam impartiri, etiam per litteras. Quia hæc non est absolutio sacramentali, nec dependet ab absolutione sacramentali taliter, ut non possit dari extra Sacramentum. Sed primo considerandum est Indulgentiam hujusmodi ex vi prædictæ clausulæ non posse concedi, nisi absoluto sacramentaliter. Sed attendi ulterius debet, quod dictum fuit, scilicet quod indulgentia ista debet concedi unico contextu cum absolutione. Cæterum per se loquendo, quia indulgentia non est nisi remissio pœnæ, si absentia non sit tanta, & tanta distantia temporis inter absolutionem, & concessionem Indulgentiæ, quæ discontinuet moraliter concessionem Indulgentiæ ab absolutione, vel ubi non sit necessaria absolutio sacramentalis, vel alia actio, quæ præsentiam requirat, non repugnat Indulgentiam concedi ab absente etiam per litteras.

670. Si vero in indulto Pontificio contineatur indefinitè, quod aliquis possit obtinere Indulgentiam in ar-

in articulo mortis, potest illam consequi in quolibet mortis articulo secundum Trullench. *d. dub. 19. numer. 10.* Sed in contrarium obstat, quod sermo simpliciter prolatus in uno actu, & in una vice consumatur *l. dotis promissio ff. de jure dat. l. honest. §. hoc sermone ff. de verb. signif.* Panorm. *in cap. 2. ad tregua, & pace.* Si tamen pœnitens habet plura indulta id concedentia, poterit uti illis pluries, & pro pluribus mortis articulis juxta illorum indultorum numerum. Trullench. *d. dub. num. 17.*

671. Quamvis vero in superiori clausula detur potestas ad reservata, tamen Indulgentiam obtinent etiam non habentes reservata à quibus indigeant absolvi, sed sufficit, ut confiteantur alia, mortalia si habent, Trullench. *d. dub. 19. nu. 12.*

672. Si vero in indulto non delegatur concessio Indulgentiæ Confessario, aut non requiritur actualis confessio, tunc servanda est forma indulti, & sufficit contritio, & delegatus ejus conditionis, quam indultum requirit. Sed multoties Indulgentiæ istæ concessæ in articulo mortis sunt sententiæ latæ, nec est opus quod illas concedat Confessarius. Et talis est illa, quam in Bulla Consueverunt concedit Pius V. Confratribus Rosarii.

673. Qui vero delegatam indulgentiam exequitur, aliqua forma verborum, vel signorum uti debet, ut sensibiliter concessionem exequatur, & indulgentiam concedat. In multis tamen hæc concessionis forma distinguitur ab ea, qua Pontifex ipse Indulgentiam concedit. Hæc enim est conditionata & dicitur si hoc, vel illud feceris concedimus &c. sed concessio Delegati exequentis, quia supponit conditionem jam impletam est absoluta & dicitur concedo, & do tibi tot annos Indulgentiæ. Quamvis ad hujusmodi delegatam concessionem exequendam nulla sit necessaria determinata forma verborum, D. Anton. *p. 1. tit. 10. cap. 7. §. 5.* Navar. *nota. 30.* Rodriq. *in Bullam Cruciatæ §. 9. numer. 40.* Trullench. *§. 7. cap. 2. dub. 19. num. 13.*

674. Et quamvis in litteris Apostolicis, quibus hujusmodi concessio Indulgentiæ delegatur, soleant apponi longissimæ formæ ad has Indulgentias concedendas, tamen non est necesse omnes illas proferre, ut omnes DD. docent. Nam de stylo Curiæ apponuntur magis ad instructionem, & compendiosam narrationem omnium gratiarum, quam ad usum absolutionis; ideo sufficit si Delegatus dicat: Concedo tibi Indulgentiam tot annorum, vel dierum, vel plenariam juxta tenorem concessionis sibi delegatæ Sylv. *verb. Indulgentia quæst 5.* Fœlin. *num. 5.* Suarez *disp. 55. sect 5.* Ideo etiam ubi viget Bulla Cruciatæ non est necesse uti forma à Commissario illius Bullæ præscripta. Trullench. *dict. §. 7. cap. 2. dub. 19. n. 93.* Imo quamvis bonum sit mentionem facere Auctoritatis Apostolicæ, dicendo *Auctoritate Apostolica &c.* tamen hoc non est necessarium addere. Quod enim concessio fiat Auctoritate Apostolica supponendum est, non vero est ex necessitate exprimendum.

675. Sed neque necesse est ut voluit D. Anton. *d. §. 5.* addendo dicere absolvo te à peccatis exceptis illis, quæ in confidentia hujus Indulgentiæ commisisti, quia vel hoc ex natura rei subintelligitur, si indultum eam exceptionem habet, vel si non habet potest nocere Sylv. *qu. 5.* Cord. *quæst. 38.* Suarez *d. sect. 5 num. 6.* Unde nec illud nec alia similia sunt addenda. Imo hic obiter advertendum delegatum non posse solum partem illius Indulgentiæ concedere, quæ in indulto est sibi commissa, sed totam concedere debet. Quamvis si partem solum concederet, valida esset concessio, ut quia Indulgentia per partem potest acquiri, & qui potest concedere totum potest concedere partem, quæ in toto continetur. Sic enim si Dominus servo committat, ut pauperi, det decem aureos, valida est collatio sex aureorum, quamvis ipse quatuor retineat, nec decem concedat.

676. Sufficit etiam si delegatus utatur verbo absolvo vel alio simili communi ad significandum absolutionem à culpa, & à pœna. Et unico verbo Confessor potest absolvere à peccatis, & concedere Indulgentiam. Quia verbum absolvo, & similia indifferentia sunt ad significandam tam remissionem pœnæ, qua culpæ. Hoc tamen negat Palaus *tract. 24. p. 4. nu. 10.* Sed sufficere dicunt Suarez *dicta sect. 5.* Trullench. *d. dub. 19. num. 14.* Cotton. *lib. 2. controv. 11. nu. 80.* Diana *p. 1. tr. 11. res. 116. & p. 5. nu. 3. res. 133.* quia verbum absolutio compræhendit liberationem a culpa, & etiam à pœna.

677. Est quidem necessarium quod verbum significet remissionem de præsenti per verbum indicativi modi, & circa determinatam personam scilicet dicendo *absolvo te*, ut hoc modo significatio formæ sit practice completa, practica enim respiciunt singularia. Cæterum sicut ex quo præmissa est confessio peccatorum sufficit ad absolutionem, si Confessor dicat absolvo te, ita supposito indulto, & petitione pœnitentis postulantis absolvi juxta facultatem indulti, sufficit, quod Delegatus dicat absolvo te, ex hoc enim satis humano modo, & practicè significat se exequi indultum, & juxta exigentiam indulti se operari. Unde nec est necesse quod verbis exprimat quantitatem Indulgentiæ.

678. Quia sufficit hanc esse determinatam in indulto, & quod Confessor, vel expressè verbis, vel facto ipso significet se absolvere juxta tenorem indulti; non vero est necesse, ut expressis verbis exprimat totum Indulgentiæ effectum. Unde si pœnitens petat, & dicat Confessario concede mihi Indulgentiam juxta tenorem hujus indulti, si Confessarius ex vera voluntate dicat *concedo*, & nihil aliud addat Indulgentia est concessa.

679. Imo quamvis omninò necesse sit, quod Delegatus sensibiliter proferat formam concessionis Indulgentiæ, non tamen est necesse, quod pœnitens absolvendus illam intelligat. Suarez *disp. 56. sect. 1. numer. 7.* Diana *par. 5. tract. 5. resol. 133.* Nam, & aliquando à peccatis, & censuris absolvuntur, qui non intelligunt verba absolventis. Imo licet adhoc, ut quis absolvatur à peccatis necessario debeat præcedere aliqua pœnitentis petitio, quia debet præcedere aliqua peccatorum confessio: hoc non est necesse per se in concessione Indulgentiæ, sed sufficit si constet de indulto, & de aliqua saltem virtuali voluntate Indulgentiæ, & non constet illum esse Indulgentiæ incapacem. Suarez *d. sect. 1. numer. 7.* Corduba *quæst. 36.* Henriquez *lib. 7. capit. 6. & 4. lit. Q.* Diana *part. 5. tract. 133. & part. 1. tract. 11. resol. 108.* Cotton. *lib. 2. controv. 11. numer. 82.* Trullench. *ad Bullam Cruciatæ §. 7. cap. 2. dub. 19. num. 5.*

680. Unde si detur, qui repente omnem usum rationis amiserit, & constitutus in mortis articulo nullum signum contritionis, vel confessionis dederit, quamvis non possit sacramentaliter absolvi, (si alià

actua-

rem, & argumentum supponere falsum, scilicet quod Ecclesia sit Domina hujus thesauri Indulgentiarum, ejus enim Dominus est Christus, qui ejus dispensationem soli Pontifici Romano commisit. At verò Respublica terrena est Domina communis thesauri, imò ipsa est, quæ ejus administrationem Principi concessit. Totum verò contrarium est in Ecclesia, ideò nedum non est illius committere alteri hujus thesauri dispensationem, sed nec illum per seipsam potest dispensare, nisi medio Pontifice, cui est commissa dispensatio. Et sic nihil differt, quod Concilium repræsentet universalem Ecclesiam, si illam repræsentat sine capite, qui est fons totius jurisdictionis Ecclesiasticæ.

612. Ad tertium dicitur, quod si in Concilio sit Pontifex simul cum aliis dici potest adesse omnes Ecclesiæ Pastores, & tale Concilium ratione Pontificis potest Indulgentias concedere, secus vero si deest Pontifex, apud quem solum ex jure divino residet universalis Ecclesiasticæ Monarchiæ potestas.

613. Sed neque ex ordinario jure humano residet potestas concedendi Indulgentias in Concilio, hoc enim unde fuerit illi concessum, non constat; nec ex actu deducitur; In Concilio enim Lateranen. in fine concessa est Indulgentia pro recuperanda terra sancta, sed ibi erat Pontifex, qui eam concessit. Exemplum autem Concil. Basileen. non valet, quia quod fecit, quando erat legitimum, & præsidebant in eo Legati Papæ intelligitur factum ex generali commissione Summi Pontificis. Quæ verò fecit in fine, tunc cum erat Conciliabulum, & putabat se habere Papam præsentem, & credebat se habere potestatem suprà Papam, non sunt attendenda. In eodem verò Concil. Ægidius Carlerius Decanus Cameracensis in oratione habita ibidem ex eo probavit potestatem concedendi Indulgentias esse in Ecclesia, quia hæc potestas data fuit Petro, cui eam Christus promisit *Matth. 16.* dum ei dixit. Quodcumque ligaveris super terram, &c.

QVÆSTIO LXXXV.

Vtrum, & qua ratione facultas conferendi Indulgentias competat Episcopis.

SUMMARIUM.

614 *Potestas Indulgentiarum non competit Episcopis de jure divino.*
615 *Potestatem Indulgentiarum non tenetur Papa de jure divino concedere Episcopis.*
616 *Plenitudo potestatis est in Papa.*
617 *Potestas Indulgentiarum competit Episcopis de jure humano, sed limitata.*
618 *Nec in foro pœnitentiali Episcopus majorem Indulgentiam, quam taxatam potest concedere.*
619 *Pro aliis occasionibus Indulgentiam 40. dierum concedit solus Episcopus Diœcesis.*
620 *Episcopus successor eidem Ecclesiæ ex causa justa aliam quadragenam potest concedere.*
Episcopus non concedit Indulgentiam nisi subditis.
Non potest concedere Indulgentiam pro defunctis.
621 *Potest concedere Indulgentiam subdito extrà Diœcesim, & pro opere extrà Diœcesim.*
622 *Sub nomine subditi hic veniunt exempti.*
623 *Episcopus confirmatus licet nondum Sacerdos potest concedere Indulgentias.*
624 *Id non potest facere excommunicatus, aut suspensus non toleratus.*
625 *Episcopus potest hanc potestatem delegare.*
626 *Peccatum Episcopi non impedit valorem Indulgentiæ.*
An sit novum peccatum si Episcopus in peccato existens concedat Indulgentiam.
627 *Archiepiscopus in sua Provincia potest concedere Indulgentias.*
Quid de Patriarchis.
628 *Quid de Cardinalibus.*
Legati conferunt Indulgentias.
629 *Concedens Indulgentias illis uti potest.*

614. PRimò autem dicendum est quicquid contrarium senserint Sotus 4. *dist. 21. quæst. 1. art. 4.* Corduba *quæst. 12.* Medina *de Indulg. quæst. 5. & 6.* & præcipuè *cap. 27. & 30. in supplem. quæst. 26. art. 1. dub. 1.* qui utramque partem putat probabilem; potestatem dandi Indulgentias non convenire Episcopus de jure divino, sicut nec potestas jurisdictionis, nisi originariè in quantum Christus voluit in Ecclesia esse Episcopos, & Summum Pontificem per Episcopos particulares Diœceses gubernare. In quo tamen est discrimen inter jurisdictionem fori penitentialis aut fori externi, & jurisdictionem fori Indulgentiarum. Illa enim est necessitatis, quia stante cursu rerum, & quod, ut Christus docuit, necesse sit in mundo esse scandala, & peccata *Matt. 18.* ideò necesse est, quod in Episcopis sit jurisdictio ligandi, & absolvendi in utraque foro. Ideo hæc Episcoporum jurisdictio est à Christo, nedum quantum ad originem, sed etiam quantum ad obligationem, quia Christus obligavit Petrum, & ejus successores, ut Episcopis utramque illam jurisdictionem conferrent, quia utraque est summè necessaria ad Ecclesiæ regimen.

615 Sed facultas concedendi Indulgentias non est necessitatis in singulis Diœcesibus, ideò non est obligatus Pontifex hanc facultatem concedere Episcopis. Non enim apparet ex scriptura præceptum hoc datum fuisse Petro; ex natura verò rei, non consequitur, quia ut dictum est, hæc facultas non est necessitatis in singulis Diœcesibus. Et proculdubio, si Pontifices ex jure divino tenerentur dare Episcopis hanc facultatem illam non dedissent adeò limitatam, sicut dederunt. De jure ergo divino soli Romano Pontifici competit potestas concedendi Indulgentias. Quod satis apertè est insinuatum à Clem. VI. *in extravag. unigenitus de pœnit. & remiss.* & à D. Thoma 4. *dist. 20. q. 1. art. 4. q. 3.* ubi docet, quod potestas Indulgentiarum est taxata secundum ordinationem Papæ, & ideò Episcopi possunt dare, secundum quod eis taxatum est, & non amplius, & ità hoc docente communiter Albertus 4. *dist. 20. art. 21* Innoc. *5. q. 3. art. 2.* Turrecr. §. *in Levitico de pœn. art. 1. n. 51.* Durand. 4 *dist. 20. q. 1. & 2.* Palud. *q. 4. art. 2. concl. 3. in fin. n. 42.* Richard *art. 5. q. 3.* August. de Ancona *de potest. Eccles. q. 19. art. 5.* Nugnus *3. p. supplem. q. 26. art. 3.* Bellar. *l. 1. de Indulg. c. 55.* Toletus *lib. 6. cap. 25.* Suarez *tom. 4. in 3. par. disp. 49. sect. 1. num. 13. & disp. 53. sect. 2. num. 3.* Conninch. *disp. 12. sect. 1. num. 8.* Filliuc. *lib. 8. cap. 3. num. 64. & cap. 4. quæst. 1.* Bonac. *disp. 6.*

disp. 6. de Sacram. q. 1. p. 3. nu. 1. & 2. Card. de Lugo *dis. 27. num. 132.* Leand. *quæst. 16.* Tabien. *verb. indulgentia num. 8.* R. P. D. Fagnan. *cap. cum ex eo de pœnit. & remiss. nu. 16. Palaus tract. 24. num. 6.* Bologn. *n. 4.* Cotton. *lib. 2. controv. 11. nu. 17.* Sylu. *in 3 p. q. 26. supplem. nu. 3.* Nam soli Petro dictum est. *Matt. 16. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & Tibi dabo claves Regni Cælorum.*

616. Per quæ verba Christus significare voluit excellentiam potestatis Petri, ut adnotavit Ambros. *serm. 6.* & Maxim. *hom. 5. in fest. SS. Petri, & Pauli.* Illa enim verba omnem perfectionem Ecclesiasticæ potestatis comprehendunt, & dicta sunt ad explicandum Summum Principatum in universalem Ecclesiam Petro promissum, ut notant dicti PP. & Chris. *hom. 55. in Matth.* & Greg. *lib. 4. epist. 32.* & Leo Papa *epist. 84. & 89.* & alii Expositores *cap. 16. Matth.* Hanc verò potestatem, quam promiserat Christus, dedit Petro *Io. 21.* cui soli dixit *Pasce oves meas.* Et ideò soli Petro convenit, ut fonti jurisdictio Ecclesiastica, & sic potestas concedendi Indulgentias; Unde D. Thom. *in cap. 16. Matth.* ait, *quod ligandi, atque solvendi potestatem Christus immediatè dedit Petro, alii verò à Petro recipiunt, &c. Et hac ratione Papa, qui est loco Sancti Petri, habet plenariam potestatem, alii verò ab ipso.*

617. De jure verò humano Episcopis competit facultas concedendi Indulgentias, & quidem non delegata, sed ordinaria, limitata tamen in terminis *cap. ex eo de pœnit. & remiss. & cap. Indulgentiæ eod. tit. in 6.* Ita quod in dedicatione Ecclesiæ centum dies, & in anniversario dedicationis, & in aliis occasionibus solum quadraginta dies concedere possint, quod adeò strictè intelligendum est, ut etiam si in dedicatione Ecclesiæ simul sint Archiepiscopus, & Episcopi, nihilominus quantitatem illorum centum dierum, vel in aliis occasionibus quadraginta dierum excedere non valeant, & si excedant, Indulgentia sit nulla *cap. ult. eod. tit. in 6.* Bonac. *num. 4.* Franc. *ibidem num. 84.* saltem quantum ad excessum, si non in totum, nam hic locum habet regula *utile de Reg. Iur. in 6. cap.* Franc. *de Indulg. num. 4.*

618. Est autem adeò nulla Indulgentia pro illo excessu, ut quidquid in contrarium dixerint Sylv. & Innoc. *in verbo Indulgentia de pœnit. & remiss.* Jo: Andr. & Gemin. illa sit nulla tàm in foro externo, quàm in foro pœnitentiali. Quod enim illi supponunt, quod scilicet Episcopus in foro pœnitentiali possit concedere majores indulgentias, quam quadraginta dierum, nullum habet fundamentum. Quia si loquuntur de eo, quod possit facere Episcopus utendo jurisdictione fori Sacramentalis, & sic imponendo ex prudenti arbitrio minorem aliquam pœnitentiam, hoc non est concedere indulgentias. Et si Episcopus in foro pœnitentiali minorem imponit pœnitentiam, illi pœnitenti non remittitur coram Deo aliqua pœna, nisi illa, quæ est illi pœnitentiæ proportionata, & quando pœnitens illam pœnitentiam impleverit. Sed si loquuntur de eo, quod potest Episcopus utendo facultate indulgentiarum, quam habet, non potest concedere pro qualibet occasione, & causa nisi quadraginta dies, sivè hanc indulgentiam concedat concomitanter, dum audit pœnitentem in foro Sacramentali, sivè extrà; quia major facultas non est: illi concessa.

619 Cum verò Episcopus indulgentiam illam centum dierum solum concedere possi pro die dedicationis, illam quadraginta dierum justa causa concedere potest etiam pro tempore perpetuo, donec revocetur. Hujus modi verò quadraginta dies in sententia eorum, qui tenent, quod indulgentia remittat pœnas, ne dum actu injunctas, sed injungendas, potest Episcopus concedere absolutè, eamque valere etiam ad remittendum pœnam debitam peccatis, nondum confessis. Rursus discrimen est, quod indulgentiam centum dierum excedere non possunt, etiamsi plures sint Episcopi, & imò si simul sint Archiepiscopus, & Episcopi plures, sed hujusmodi limitatio non ponitur, ubi conceditur facultas indulgentiæ 40. dierum. Nec fuit necessaria hæc limitatio, quia cum indulgentia, ut dicetur, non possit ab Episcopo concedi, nisi suis subditis, non possit verò dari casus, quod plures Episcopi simul habeant in eodem loco, & respectu eorumdem subditorum jurisdictionem, simul est manifestum, quod Episcopi etiamsi plures, non possunt concedere plures quadragenas dierum, vel plusquam unam quadragenam, qua imò solus Episcopus Diœcesis potest tunc indulgentiam concedere pro tali loco, & subditis. Non est tamen secundum aliquos ex hoc prohibitum, quod Episcopus successor non possit pro eadem Ecclesia, & eodem festo novam quadragenam concedere ex nova justa causa, quæ ad pluralitatem quadragenarum sufficiat. Quamvis contrarium hujus dixerit Dom. *d. cap. indulgentia nu. 5.* & Franc. *nu. 5.* Barbosa *alleg.* 88. *nu. 16.* Plures tamen extranei Episcopi pro alterius Diœcesi, & subditis ejus, non possunt ampliorem indulgentiam concedere, quam concessit Episcopus, etiam si hoc faciant de consensu proprii Episcopi. Nam quod Episcopus per seipsum facere non potest, multò minus id potest facere per Delegatum; in hoc autem casu alii Episcopi essent Delegati.

620. Item Episcopi solum suis subditis possunt indulgentiam concedere *cap. quod autem* ubi Panorm. *n. 2. de pænit. & remiss.* Palud. *4. dist. 20. q. 4.* D. Anton. *p. 1. tit. 10. cap. 3. §.* Bologn. *de indulg. nu. 59.* Sylvest *n. 10.* Et alli communiter Fagnan. *cap. à nobis nu. 25. de sent. excom.* Nugnus *in supplem. q. 26. art. 1.* Ex qua limitatione primo deducitur, quod Episcopus non potest concedere indulgentias pro defunctis, quæ est communis sententia DD. *in d. cap. quod autem* Innoc. Card. *cap. quis aliquando §. in Levitico de pœnit. d. 1.* ubi etiam Navar. *not. 21. n. 4.* Medin. *de indulg. c. 37. & 47.* Corduba *q. 19.* Suarez *tom. 4. disp. 53. sect. 2. nu. 8.* Card. de Lugo *disp. 127. nu. 133.* Leand. *q. 21.* & apud eum Henriquez, Bonaccina, Granado, & Sà, Cotton, *lib. 2. controv. 11. nu.* 17. Nugnus *in supplem. q. 26. art. 1.* Sed hæc ratio non est sufficiens, nec illi innituntur omnes DD. citati, quia defuncti, nec jurisdictioni Summi Pontificis subduntur, & tamen Pontifex concedit illis indulgentias per modum suffragii, quia sufficit esse subditum illum, qui pro defunctis lucraturus est Indulgentiam. Ratio igitur est, quia hæc facultas non est illis à Summo Pontifice concessa, & concessio indulgentiæ pro defunctis non venit sub generali concessione.

621. Quamvis verò Episcopus non possit nisi suis subditis indulgentiam concedere, quia tamen jurisdictio hæc non est fori contentiosi, sed est voluntaria Suarez *disp. 49. sect. 3. nu. 9.* Ricc. *resol. 306. n. 5.* Vgol. *p. 1. c. 41. n. 1.* Franciscus Leo *p. 1. c. 7. n. 18.* Alzed. *p. 2. c. 3. nu. 49.* Barbos. *alleg.* 48. *nu. 16.* Episcopus potest indulgentiam concedere subdito suo existenti extrà

Diæ-

Diœcesim, vel etiam in loco exempto. Item Episcopus id facere potest, etiam si ipse extrà Diœcesim existat, quo non obstante potest concedere indulgentiam subditis existentibus, tàm intrà, quàm extra Diœcesim. Item potest concedere indulgentiam pro opere extrà Diœcesim implendo, sufficit enim, quod qui suscipere debet indulgentiam sit subditus; aliàs enim sicut posset in Sacramentali confessione, vel etiam pro absolutione à censuris præcipere peregrinationem implendam extrà Diœcesim, ità potest indulgentiam suo subdito concedere, vel injungendo eleæmosynam dandam pro fabrica Ecclesiæ extrà Diœcesim existente, vel similis Ecclesiæ visitationem, quo solvuntur ea multa, quæ in contrarium adducit Jacobus de Belvisio *cap. 1. §. contrahentes n. 151. & seqq. de for. compet. in 6.* Si tamen Episcopus Diœcesis impediret impletionem operis injuncti, ut quia nollet recipi eleæmosynam injunctam, subditus ille non lucraretur indulgentiam, quia non impleretur conditio Suarez *d. sect. 3. nu. 17.*

622. Nomine verò subditorum hic veniunt Religiosi, seù alii exempti habitantes intrà Diœcesim. Non quia, ut volunt aliqui Religiosi possint se subjicere Episcopis, sed quia in favorabilibus veniunt sub nomine Civium, & Incolarum, & sunt participes communium bonorum, non obstante exemptione Palud. *4. dist. 20. qu. 4. art. 3.* Turrectem. *§. item in Levitico de pœnit. dist. 8. art. 6. num. 67.* Bologn. *de Indulg. numer. 63.* Sylvius *in 3. p. quæst. 27. supplem. art. 2.* Barbosa in Pastor. *alleg.* 88. *num. 27.* Palaus *tr. 24. p. 3. num. 14.* Sanctarell. de Jubil. *cap. 3. d. 2.* Bonac. *d. 6. q. 1. p. 3. num. 15.* Et idem dicitur de advenis. Neque in hoc requiritur specialis licentia suorum Prælatorum, ut voluit Panorm. *in d. cap. quod autem num. 4. & 7.* Quia advenæ, dum sunt in aliquo loco, sicut subduntur legibus loci, ac si essent Cives, ita loci privilegiis gaudere possunt, & in hoc cives reputantur Bolog. *nu. 4.* Palaus *d. p. 3. nu. 14.* Cotton. *lib. 2. contr. 11. nu. 17.* Sanctarell. *cap. 3. dub. 2.*

623. Quilibet verò Episcopus saltem confirmatus, si non habet impedimentum, & suspensum usum jurisdictionis potest indulgentias concedere, etiam si nondum sit Sacerdos. Et ut docet D. Thom. *4. dist.* 20. *q. 1. ar. 4. q. 2.* & alii communiter. Electus quidem tantum, cum nondum sit Episcopus, & consecratus tantum, cum non habeat jurisdictionem, non possunt indulgentias concedere. Eam tamen confert Episcopus electus, & confirmatus, quia statim à confirmatione est Episcopus, & illi competit jurisdictio Episcopalis juxta *cap. transmissam de elect.* Sacerdotium verò cum importet potestatem Ordinis non necessariam ad usum jurisdictionis, non est necessarium ad hoc ut Episcopus possit uti jurisdictione, & indulgentias concedere. Quod verò dicitur de Episcopo electo, & confirmato, dicendum est etiam de Episcopo per Pontificem proviso præsentatis litteris provisionis.

624. Si tamen Episcopus habeat usum jurisdictionis impeditum, & suspensum, ut si sit excommunicatus, aut suspensus (& non toleratus) quia est privatus jurisdictionis exercitio valido, non potest validas indulgentias concedere Turrectem. *art. 5. nu. 46.* Barb. *alleg. 88. nu. 12.* Imò nec potest hanc facultatem delegare, aut licentiam concedere suo subdito, ut ab alio Episcopo indulgentiam recipiat, quia, & delegare, & hujusmodi licentiam dare est actus Jurisdictionis.

625. Alias enim, cum in Episcopo facultas concedendi indulgentias sit ordinaria, ipse potest eam delegare, & nedum suo Vicario, sed cuicumque Clerico, non tamen Laico, quia de jure laicus est incapax jurisdictionis spiritualis. Quamvis verò possit, non tamen censetur Episcopus hanc facultatem delegare suo Vicario in commissione generali, & mandato; nisi id exprimat, quia hoc requirit specialem mentionem, & in generali mandato Vicarii non veniunt ea, quæ specialia sunt, & specialem mentionem requirunt.

626. Quamvis verò censuris impediatur Episcopi facultas ad concedendum indulgentias, non impeditur tamen per peccatum mortalem D. Tom. *4. dist. 20. q. 1. art. 4. n. 4.* ubi Nugnus *q. 26. art. 4.* Imò Episcopum existentem in peccato mortali non peccare graviter, si indulgentias concedat, secluso scandalo ex eo quod hoc non sit actus ordinis, sed jurisdictionis, actus verò jurisdictionis possunt sine gravi peccato exerceri à peccatore, ut multi tradunt. Imo non esse novum peccatum dicunt alii, eo quod indulgentia non sit absolutio Sacramentalis, nec sit tàm sacra, & tàm gravis actio, nec conferat aliis sanctitatem, ut requirat in ministro statum gratiæ, tanquam condignam dispositionem. Et quod in hac parte dicitur Episcopo dici debet de omni concedente indulgentias. Quamvis quantum ad censurarum impedimentum, alia sit ratio de Summo Pontifice, qui non potest esse censuris ligatus.

627. Sicut verò Episcopus in sua Diœcesi, sit Archiepiscopus in sua Provincia potest indulgentias concedere, ut declaravit Honorius III. *cap. nostro*, ubi Panorm. *de pœnit. & remiss.* Ubi cum textus absolutè loquatur, id intelligunt DD. ut sit verum etiam extrà actum visitationis Suarez *disp. 55. sect. 3. nu. 21.* de Lugo *d. disp. n. 136.* Corduba *q. 14.* Nug. *in 3. p. q. 26. supplem. art. 1.* Quaranta *verb. Archiep.* Bonac. *disp. 6. q. 1. p. 4. nu. 2.* Lavor. *p. 2. cap. 11. nu. 18.* Barbos. *alleg. 88. nu. 15.* Cum enim ut dictum est, hoc sit jurisdictionis voluntariæ, ideò etiam existens intra Diœceses suffraganeorum hanc indulgentiam potest concedere. Imò Barbosa *nu. 16.* post Azor. & Alzedum addit, quod Archiepiscopus in actuali visitatione præter 40. dies concessus ab Episcopo potest concedere 80. quia tot potest concedere in sua Diœcesi. Unde tamen hoc habuerit, non video. Idem Barbosa in *summ. verbo indulgentia n. 15.* ait, quod coadiutor Archiepiscopi non potest indulgentias concedere. Ex Sac. Congregatione Rituum in Veronen. *31. Ianuarii 1561.* An verò idem dicendum sit de primate respectu Regni, in quo est ex se primas, & de Patriarcha respectu Provinciæ Patriarchalis affirmat Navar. *notab. 30. nu. 3.* sed negat Suarez *disp. 55. nu. 21.* Quia in jure hæc facultas solùm Archiepiscopis legitur concessa, & Patriarchæ, & Primates non habent in suis Provinciis, aut Regnis illam auctoritatem, quam habent Archiepiscopi. Est ergo hoc dubium, & tamen hoc est certum, quod Patriarchæ, & Primates, quatenus sunt Archiepiscopi possunt pro sua Archiepiscopali Provincia concedere indulgentias in terminis *cap. ex eo de pœnit. & remiss.*

628. Cardinales etiam, ex eo quod Cardinales de jure communi non concedunt indulgentias, nisi sint Episcopi, vel legati Pontificis. De facto tamen eos in suis titulis posse concedere centum dies tradunt Navar. *not. 31. n. 17.* Sorbus *in compend. verb. indulgentia* Duval. *in par. 2. D. Thom. tract. de indulg. q. unica art. 9. conclus. 4.* Diana *p. 4. tract. 2. resol. 6.* Gamachia

in summ.

in summ.p.2.cap.3. Barbosa *alleg.88.num.16.* Panorm. *cap.accedent de excess.Prælat.* Lavor. *p.2. cap.11.nu.15.* Hanc verò potestatem competere illis de consuetudine dixerunt Navar.& Diana, quod tantum non admittitur. Et eos posse hanc Indulgentiam concedere, etiam si non sint Sacerdotes advertit Barbosa post Panvin. Graff. & Lavorium. Certum etiam est, legatos Indulgentias concedere Gloss. *in cap.fin.4. offic. legati* D. Anton.*p.1.tit.10.cap.3.* §. 2. Sylvest. *verb. indulgentia num.* 11. Rodriq. *q.98.art.1.* Palaus *tract.24.par.1 num.1.* Lavor. *par.2.cap. 11.num.16.* Barbos. *alleg.* 88. *num.16.* Et quod concedant centum dies, ait Gamb. *de off. leg. lib.* 8.*tit. de indulg. num.8.* malè tamen Barbosa ex eo, & Lavor.ait, Indulgentias à legatis concessas, cessare finita legatione. Nam imò quod legati in sua Provincia possint concedere Indulgentias perpetuas, tradunt Sylvest. *ubi supra* Tabien. *verb.indulgentia n.*8. Cotton. *lib.2.contr.11.num.17.* Navar. *not.31.num.17.* Et etiam si non sint Sacerdotes Sylvest. *num. 12.* Tabien. *num.9.* R.P.D.Fagnan. *d.cap.accedentibus num.11. & ibid.* Panorm. Et hanc facultatem esse in illis ordinariam dixit Navar. quod tamen negat Suarez *d.num.21.* quia in jure communi non legitur, quod illis sit concessa hæc facultas, & sibi non constet, an de stylo Curiæ illa intelligatur concessa ex vi mandati Ordinarii, vel ex vi specialis expressionis, & an sit limitata, sicut est limitata facultas Episcoporum, & an possint illam delegare. Sed veram credo sententiam Navar. imò Richar.4.*d.20.ar.4.q.3.* qui existimat quod concedere Indulgentias de jure communi competat legatis. Concilium verò Provinciale, ut Concilium nihil potest in hoc genere, quia nullibi legitur sibi concessa facultas, hujusmodi. Fœlin. *de indulg.num.44.* Sylv. *d.q.26.num.3.*

629. Prout verò de Summo Pontifice dictum est supra *quæst.21.* sic de Archiepiscopo, Episcopo, Legato, & aliis Prælatis dicitur eos posse uti Indulgentiis aliis concessis, ut dixit D.Thom. *4.dist.20.q.1.art.5.* quem sequuntur *in cap.indulgentiæ de pœnit.& remiss. in 6.* Anchar.*nu.2.* Dom.*nu.7.* Franc.*nu.7.* & ut etiam possint secum dispensare in opere injuncto, & illud in aliud ex justa causa commutare, sicut idem facere possent cum suis subditis.

QVÆSTIO LXXXVI.

An Prælati inferiores Episcopo, vel Parochi, aut Sacerdotes possint concedere Indulgentias.

SUMMARIUM.

630 *Potestas indulgentiarum non competit inferioribus Episcopo.*

631 *Abbates jure Ordinario non possunt concedere indulgentias.*

632 *Capitulum Sede vacante non concedit indulgentias.*

633 *Sacerdotes, & Parochi non concedunt indulgentias.*

634 *Inquisitores ex privilegio possunt concedere indulgentias.*

630. Communis DD. sententia est, quod nullus Episcopo inferior possit Indulgentias dare. Quod sumitur *ex cap. Accedentibus, de excessibus Prælatorum*, ubi ponitur quod hoc sit unum de pertinentibus specialiter ad Episcopalem dignitatem, & repræhenduntur quidam Abbates, qui sibi hoc usurpabant. Cum enim jure Divino hæc facultas competat soli Pontifici, & nullibi in jure humano legatur talis facultas concessa inferioribus Episcopo, inde manifestum est eam illis non competere.

631. Difficultas verò esse posset de Abbatibus exemptis, & Prælatis habentibus territorium, & veluti Diœcesim, & jurisdictionem Episcopalem in subditos suos, cum Indulgentias concedere sit actus jurisdictionis, & alias non videatur conveniens, quod eorum subditi sint pejoris conditionis in hoc, ut non possint consequi Indulgentias à proprio Prælato. Sed nihilominus communi sententia est, hujusmodi Prælatos non posse Indulgentias dare. In jure enim solis Archiepiscopis, & Episcopis hæc facultas concessa reperitur, *c. ex eo cap. Nostro de pœnit. & remiss. cap. indulgentiæ eod.tit.in 6.* Et in *cap. Accedentibus de excess. Prælat.* Hæc facultas censetur propria dignitatis Episcopalis. Et merito, quoniam pœnas remittere munus Principum est, unde Christus hanc potestatem solo suo Vicario concessit, & ideo Pontifex eodem exemplo solum Episcopis. Et quidem cum magna limitatione illam communicavit, tanquam Ecclesiæ Principibus Panorm. *cap. cum ex eo, num.5. de pœnit. & remiss.* R.P.D.Fagn.*cap. Accedentibus & num.12. de excess.Prælat.* Novar. *not.31. num.3.* Suarez *disp.55. sect. 4. num.4.* Palaus *tract.24.par. 6. num.4.* Bellarmin. *de indulg.cap.11. q.3.* Bonac. *disp.6.qu.1.par.3. num. 18.* Sanctarell. *de Iub. cap.3.dub.2.* Sylv. *in 3.p.* D. Thom. *quæst. 26.suppl.art.1.* Cotton. *lib.2.controv.11. num.17.* Barbos. *alleg. 88.num.17.* Fagn. *cap. accidentibus nu. 12. de excess. Prælat.* Neque ex hoc aliquod damnum resultat subditis horum Prælatorum, quia in his censentur subditi Episcoporum, intra quorum Diœcesum fines Ecclesiæ hujusmodi exemptæ sunt positæ, ut Indulgentiis ab Episcopis concessis frui possint, ut dictum est de Religiosis.

632. Capitulum quoque Sede vacante hanc potestatem non habet, quam jura voluerunt esse reservatam dignitati Episcopali, & similibus Capitulum non succedit Episcopo. Contrarium conatus fuit probare Bologn. *de indulg. num.40.* Sylv. *v. Capitulum num.* 10. & alii apud Bologn. Et idem tenuit Maranta in Medulla decreti *verb. indulg.* qui ait tutius esse, si id comittat alicui Episcopo, sed communis sententia negat, quod Capitulum in hoc speciali jure concesso Episcopo, & non necessario ad gubernium Diœcesis, Capitulum succedat Episcopo. Nec reputandum est inconveniens, quod Sede vacante non sit in Diœcesibus, qui Indulgentias concedere valeat. Tum quia tempus Sedis vacantis est breve. Tum quia subditi frui possunt Indulgentiis concessis à Pontifice, vel Episcopo Antecessore. Tum quia Indulgentia est bonum supererogationis, & sine hac facultate potest jurisdictio Episcopalis à Capitulo administrari. Calder. *in cap. Nostro de pœnit. & remiss.* Novar. *d.num.3.* Suarez *d.sect.4. nu.5.* Bonaccina, Nugnus, Granado, Henriquez, Silva, Sotus, Armilla, Corduba, Lugo, Molfes. Mendo, quos sequitur Leand. *quæst.23.* Fœlin. *de indulg. num. 45.* Sylvius *d.quæst.26.art.1.* Palaus *d.p.6.numer.2.* R. P. D. Fagnan. *d.cap.Accedentibus num.13.* Ubi quod neque hoc competit

petit

petit Vicatio Capituli, Cotton. *l. 2. contr. 11. nu. 17.* Sanctarell. *d. dub. 2.* Barbosa *all. 88. nu. 21.*

633. De Parochis, & Confessoribus fuit res controversa. Nam Angelus *verb. de indulg. num. 5* & Rosella *ibid.* crediderunt omnem Sacerdotem, qui possit absolvere in foro pœnitentiali, posse Indulgentias concedere in foro pœnitentiæ, non extra. Sed hæc imaginatio est improbabilis, tum quia supponit falsum, scilicet, quod concessio Indulgentiæ sit actus potestatis ordinis, cum sit distincta, & ab ea separabilis, cum Papa si vellet posset Sacerdoti concedere facultatem ad Indulgentias non concessa facultate ad absolutionem sacramentalem. Tum quia error est distinguere concessionem Indulgentiæ in foro pœnitentiæ, & extra, cum imo essentia indulgentiæ sit, ut sit remissio pœnæ quæ fit extra Sacramentum, scilicet non ex vi Sacramenti, quamvis concessio Indulgentiæ concomitanter fieri possit simul cum absolutione Sacramentali. Tum quia non potest ostendi à quo Confessori sit concessa hæc facultas, quæ nec illi competit jure divino, nec est conveniens, quod illi concedatur jure humano, quoniam adesset nimis proximum periculum enervandi satisfactiones sacramentales. Et cum in hoc Ecclesia limitaverit valde facultatem Episcoporum, multo rationabilius limitare debuisset hanc facultatem in Confessoribus, si illam haberent. Neque hæc sententia habet patrocinium ab aliquibus Canonistis, qui pro ea citantur, scilicet à Gloss. *in c. mensuram de pœn. d. 1.* Panorm. *in c. sicut dignum de homic.* In alio enim sensu illi loquuntur putantes arbitrarium esse Confessario imponere pœnitentiam pœnitenti, & ita ut etiam si imponant majorem reatu, nihilominus virtute clavium tota pœna remittatur. Quod neque est verum, & si esset verum non esset concessio Indulgentiæ, sed quædam sacramentalis dispensatio. Et ideò quod Parochi seu Plebani, & multo minus simplices Sacerdotes de jure ordinario non possint concedere Indulgentias docuerunt unanimiter D. Thom. *4. d. 20. quæst. 1. art. 4. quæst. 1.* Albert. *ead. dist. artic. 22.* Ricard. *art. 4. quæst. 1.* Durand. *quæst. 5.* Innocentius Quintus *quæst. 3. artic. 2.* Palud. *quæst. 4. art. 2.* D. Anton. *p. 1. tit. 10. cap. 3. §. 2.* Turrecr. *art. 5. nu. 40.* Bolog. *de indulg. nu. 4. & seqq. & à nu. 19.* Fœlin. *nu. 2. & 40.* Novar. *not. 31.* Suarez *disp. 55. sect. 4.* & DD. alii comuniter.

634. Ex privilegio etiam possunt concedi Indulgentiæ ab inferioribus Episcopo; Sic enim quod Inquisitores possint concedere Indulgentias 20. vel etiam 40. dierum audientibus eorum concionem occasione actus fidei, ex plurium Pontificum concessione tradiderunt Eymeric. *in Direct. 3. p. quæst. 127.* Peña ibi *com. 176* Zanard. *in sum. cap. 6. quæst. 46.* Catena *p. 1. tit. 5. §. 13. num. 94.* & notaverat Tabien. *verb. indulg. num. 7.* Sed hic advertendum, quod Indulgentia concessa ex falsis Bullis, vel ex illis, quæ in rei veritate nullæ sunt, & invalidæ, nulla est, & invalida, Fagnan. *cap. super eo num. 11. de crimine falsi.* Et idem dicitur de concessa à falsis Prælatis. An vero in hoc casu locum habeat lex *Barbarius ff. off. Prat.* Fagnan. *ubi sup.* negat si Prælato deficiat titulus coloratus, & adsit solus error communis. Sed hoc pendet ab illa quæstione an ad valorem actus Judicis, vel superioris jusdicentis requiratur titulus, vel potius sufficiat sola possessio officii cum errore communi. Quamvis etiam absolutè loquendo, quia potestas concedendi indulgentias est merè spiritualis, & versatur merè circa bonum supererogationis, & provenit ex liberalitate Pontificis, & potestas hæc concernit dispensationem thesauri Ecclesiæ, unde specialissima est, ideo dicendum est non suffragari legem illam *Barbarius*, & Indulgentiam concessam à falso Prælato esse absolutè nullam, neque in hoc specialissimo casu Ecclesiam supplere jurisdictionem Prælati falsi.

QVÆSTIO LXXXVII.

An in materia Indulgentiarum locum habere possit præscriptio, aut consuetudo.

SUMMARIUM.

635 *Opiniones diversæ.*
636 *Facultas dandi Indulgentias non acquiritur consuetudine.*
637 *Nec ipsa Indulgentia, quæ nec potest præscribi.*
638 *Facultas Indulgentiarum præscribi non potest.*
639 *Et nec consuetudine obtineri.*

635. IN duplici sensu hæc quæstio disputari potest, quia distingui debet potestas concedendi Indulgentias, ab indulgentia ipsa. In primo igitur sensu quæstio est an potestas concedendi Indulgentias consuetudine acquiri possit. Negant plures. Sotus *4. dist. 21. quæst. 1. art. 4.* Cord. *quæst. 12.* Suarez *disp. 55. sect. 4. num. 2. & 3.* Cotton. *l. 2. controv. 11. num. 21.* ex eo quod consuetudo non possit dare jurisdictionem illam, quæ ab ipso Christo vel à Papa immediate debet communicari, quia consuetudo non facit, quod Christus, aut Papa hoc velit, & tamen sine ejus voluntate id fieri non potest. Sed oppositum sentire videntur Glossa *in cap. Accedentibus, de excess. Prælat.* ubi Panorm. *num. 2.* Navar. *notab. 31. num. 7.* Suarez DD. supra *num. 629.* citati, qui dixerunt facultatem concedendi Indulgentiam Cardinalibus competere ex privilegio, & consuetudine. Item Fœlin. *de indulg. num. 45.* Tabien. *num. 7.* Palaus *tract. 24. p. 6. nu. 6.* id affirmant; sed prior opinio amplecti debet, & dicendum quod potestas indulgentiarum acquiri non potest consuetudine.

636. Nam potestas indulgentiarum singularissima est, & tum ob sui excellentiam, quia est potestas attingens forum Dei, & pœnas Deo, & ejus justitiæ debitas remittens. Tum quia à Christo soli Petro, & ejus Successoribus fuit de jure divino concessa; tum ex eo, quod est tantæ existimationis, ut à Pontifice vix sit concessa primis Ecclesiæ Prælatis, illisque non nisi cum maxima limitatione communicata tum quoniam est res maximi periculi, & facile est ut indiscretæ indulgentiæ ab inferioribus concedantur, ideoque hujusmodi potestas exigit, ut non committatur nisi prudentiæ Summi Pontificis, vel Episcoporum, & Prælatorum Ecclesiæ; tum quoque quia cum potestas indulgentiarum sit potestas dispensandi thesaurum Ecclesiæ convenit, ut non concedatur nisi Ecclesiarum Sponsis, ut arguit D. Thom. *4. dist. 20. q. 1. art. 4. q. 1.* Itaque hujusmodi potestas non comprehenditur, vel sub *cap. final. de consuet.* vel sub aliis regulis generalibus de consuetudine loquentibus, quia sub generalibus dispositionibus non veniunt, quæ speciali mentione sunt digna, arg.

cap. cum in generali, de off. Vicarii in 6. & cap. in generali de reg. iur. eod. libr. Non est ergo dicendum, quod consuetudo possit conferre alicui potestatem concedendi Indulgentias. Quod ex dicendis magis apparebit.

637. Secunda pars quæstionis est, an Indulgentia ipsa possit consuetudine acquiri, ut v. g. consuetudine fieri possit, ut in una Ecclesia sit Indulgentia, vel ut sit plenaria Indulgentia, si per scriptam concessionem solum fuit concessa partialis. Hic vero distingui debet præscriptio à consuetudine. Hæc enim maximè distinguuntur, ut explicavi *d. cap. 1. de consuetud. quæst. un. art. 1. num. 39. pag. 332. in 6.* Hæc verò est natura præscriptionis, ut per eam acquiratur jus alterius, etiam eo invito, & sic ex vi præscriptionis transfertur dominium, & jus rei præscriptæ in præscribentem etiam invito illo, contra quem præscribitur. At verò ex hoc evidens erit, quod Indulgentia non sit res præscriptibilis, quia Indulgentia est libera actio Pontificis, quæ est remissio pœnæ temporalis, seu absolutio à pœna temporali, cujus reatus remanet post culpam dimissam; at verò voluntas, & actio libera est impræscriptibilis. Non potest igitur præscriptione acquiri, quod Pontifex pœnam remittat, vel absolvat, si non vult remittere, seu absolvere, seu quod detur remissio pœnæ hujusmodi valida, & efficax, si Pontifex libere non remittit. Itaque solum illud est præscriptibile, quod potest haberi invito eo, contra quem præscribitur, ideo enim in præscriptione non est necessarius consensus illius contra quem est præscriptio, ut dixi *d. art. 1. num. 46.* alias enim voluntas alterius, quæ essentialiter est in potentia volentis præscribi non potest, quia voluntas sua libertate privari non potest, sed præterea in facultativis non intrat præscriptio, ut est juris regula certa, de qua videri possunt dicta in illa *quæst. art. 3. num. 87.* concessio vero Indulgentiæ seu Indulgentia, ipsa est res facultativa, cum sit mera gratia, igitur nec per cursum centum mille annorum, seu nec per tempus infinitum potest præscribi,

638. Ex quo manet magis probatum, quod nec facultas concedendi Indulgentias potest acquiri ex vi consuetudinis, ut præscriptæ, seu in vim præscriptionis, quia nec talis facultas est præscriptibilis, cum sit facultativa res, quæ contra voluntatem Pontificis non potest acquiri, nec potest haberi nisi ut concessa ab illo, qui illam non nisi libere concedit. Sic enim contra jus divinum non præscribitur, de jure divino vero est, ut facultas concedendi Indulgentias non habeatur nisi ut concessa à Summo Pontifice, ut supra est probatum, sic igitur, & hæc intrat regula quod non potest præscribi id, quod invito Pontifice nequit haberi.

639. Loquendo autem de consuetudine ut distinguitur à præscriptione pariter dicitur, quod consuetudine non potest obtineri, ut sit Indulgentia, ubi à Pontifice non est concessa, vel ut sit major, quam fuerit concessa, quod patet ex dictis supra.

QVÆSTIO LXXXVIII.

Utrum Prælati Religionum possint Indulgentias concedere.

SUMMARIUM.

640 *Prælati Regularium non concedunt Indulgentias.*

641 *Prælati regulares suffragantur Amicis applicando illis suorum subditorum satisfactiones.*

642 *Non sunt dispensatores thesauri Ecclesiæ, sed pro suis amicis intercessores.*

643 *Opera Religiosorum familiaribus prosunt per modum meriti de congruo.*

644 *Et per modum directæ impetrationis.*

645 *Superior an possit nedum præcipere, sed opera satisfactoria suorum applicare pro alio.*

646 *Prælatus potest præcipere, sed non potest opus subditi applicare ut valeat pro alio.*

647 *Ad moralem valorem operis necesse est, quod opus sit humanum.*

648 *Opera Religiosorum multum prodesse possunt familiaribus.*

649 *An familiares Regularium Indulgentias aliquas ex hoc possint lucrari.*

650 *An Prælati ex Privilegio aliquas Indulgentias concedere possint.*

651 *Abbates Regulares ex Privilegio concedunt Indulgentiam.*

652 *Prælati in visitatione orationem quadraginta horarum possunt collocare.*

653 *Concionatores an possint concedere Indulgentiam ex privilegio.*

640. QUantum sit de jure Prælatus Religionum etiam de jure Divino posse concedere Indulgentias quamvis de facto id non possint, quia hoc fuit illis ablatum ad tuendam dignitatem Episcoporum, voluerunt Medina *de Indulg. cap. 29.* & Rodriq. *quæstion. Regul. 87. art. 1.* Sed si hoc verum esset interrogandum esset, cur Christus Dominus contulerit Prælatis Regularibus hujusmodi potestatem qua nunquam usi sunt, nec in futurum utentur, ut creditur, & sic fuisset potestas hæc inutilis. Sed ex probatis jam est manifestum soli Pontifici summo competere potestatem Indulgentiarum de jure divino. Et quod Prælati Regularium non possint concedere Indulgentias de jure divino, aut de jure communi tradiderunt D. Thom. *4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. quæst. 1. & ead. dist.* Abbas *artic. 22.* Innocentius Quintus *quæst. 3. art. 2.* Durand. *quæst. 5.* Palud. *quæst. 4. art. 2.* D. Anton. *part. 1. tit. 10. cap. 3. §. 2.* Turrecrem. *§. item in Levitico de pœnit. dist. 1. art. 5. num. 40.* Bolog. *de Indulg. à num. 4. & num. 19. & seq.* Fœlin. *num. 2. & 40* Epitome Candidi *disquis. 52. art. 2.* Navar *notab. 31.* Suarez *disp. 55. sect. 5.* Lezana *verb. Indulg. num. 13.* De Lugo *disp. 27. num. 136.* Palaus *tract. 24. d. 6.* Cotton. *lib. 2. controv. 11. numer. 17.* Barbos. *alleg. 88. num. 18.* Tamburin. *tom. 2. disp. 9. quæst. 1.* Mirand. *tom. 2. qu. 9. ar. 2.* Fagnanus *cap. Accedentibus num. 19. de excess. Prælat.* Nugnus *in suppl. qu. 26. artic. 1. in fin.*

641. Videtur vero ex alia parte hujusmodi Prælatos habere

habere potestatem concedendi Indulgentias, quia concedunt remissionem pœnarum suis familiaribus, & amicis applicando eis bona merita, & satisfactiones suarum congregationum, & efficiendo illos participes illarum, & eos ad quamdam unionem cum suis religiosis admittendo, ut ex usu Ecclesiæ est manifestum. Sed dicitur, quod hoc non est Indulgentias concedere, sed suorum subditorum suffragia donare. Prælatus enim Regularis, nec habet jurisdictionem in exteros, quos in unionem suæ congregationis assumit, nec per actum jurisdictionis alicujus eos à pœna absolvit, sicut facit, qui Indulgentiam concedit, sed pro eis intercedit, & suffragatur applicando illis suorum merita, & satisfactiones.

642. Deinde Prælatus Regularis non est alicujus thesauri meritorum, aut satisfactionum dispensator. Neque enim Ecclesiæ particulares, seu Diœceses, aut Congregationes Regularium habent particulares, aut privatos thesauros, in quibus recordantur merita vel satisfactiones, quæ nondum effectum suum fuerunt consecutæ, sed hujusmodi merita, & satisfactiones in thesauro generali Ecclesiæ continentur, cujus dispensatio propria est Summi Pontificis; eo magis, quod præcipuum quod in hoc thesauro continetur est meritum, & satisfactio Christi, quæ per se bonum commune est, cujus dispensatio nulli alteri competit, nisi illi, cui illam Christus commisit, qui eam Petro, & successoribus concessit; sic ergo solius Petri, & Successorum eius, & eorum, quibus Petri Successores id concesserunt, est concedere Indulgentiam; & absolvere à pœna de thesauro Ecclesiæ præteritas satisfactiones, quæ remanserunt, & effectum non sunt sortitæ, applicando in remissionem peccatorum, quæ post commissa sunt. Modo Prælati Regulares nec thesaurum dispensant, nec præterita merita, & satisfactiones suorum, quæ ad thesaurum Ecclesiæ spectant pro remissione peccatorum, quæ posteà commissa sunt, applicant amicis, & familiaribus suis, sed actualium operum fructum dum fiunt tanquam suffragia utilia applicant pro illis, & in remissionem peccatorum, quæ antea commissa sunt, non vero, quæ post illa opera committentur. Ideo minimè Indulgentias concedunt, sed pro suis amicis intercedunt, & suffragantur. Turrecrem. *dicto artic. 5. numer. 56.* Divus Anton. *dicto cap. 3. in princip.* Durand. *dicto numer. 5.* Suarez *d. section. 5.* Cardin. de Lugo *dicto num. 136.* Palaus *d. par. 6.* Lezana *numer. 15.* Sylvius *in 3. part.* Divus Thom. *quæst. 20. supplement. artic. 1.*

643. Dum enim opus unius possit prodesse alteri in ordine ad Deum per modum satisfactionis, & per modum directæ impetrationis, & per modum meriti de congruo, primo ex ea applicatione, qua per superiores exteri, quos vocant fratres assumuntur in unionem, & participationem bonorum operum, quæ fiunt à subditis, fit ut hujusmodi bona opera juvent illos fratres per modum meriti de congruo; hic enim modus juvandi non pendet à speciali intentione operantium Religiosorum; Ideo est universalis, & ex eo quod aliquis factus est veluti membrum aut socius Religionis alicujus, bona opera illius valent apud Deum ut ratione illorum specialia dona conferat eis tanquam personis conjunctis, etiam si ad hunc finem talia merita non referantur. Quod præcipuè habet efficaciam, si talis persona aliquid à Deo petat ob merita talis Religionis. Nam ex quo illa persona est conjuncta speciali titulo amicitiæ illi religioni, habet, ut speciali jure possit petere à Deo, quod desiderat intuitu meritorum illius Religionis; Nam ratio amicitiæ dictat, ut propter amicos aliis conjunctis bene faciamus, etiam amicis ipsis nihil directè petentibus.

644. Secundo ex hoc juvantur etiam per modum directæ intentionis, quando vel in orationibus communibus, quæ fiunt pro bono Religionis, & conjunctorũ comprehenduntur etiam istę personæ sic conjunctæ, vel Religiosi etiam expressè, & determinatè orant vel applicant fructuum suorum operum pro similibus personis. Nam & hoc modo unio ipsa, & conjunctio concessa valet ad faciliorem impetrationem. Quia cæteris paribus oratio efficacior est ad impetrandum pro per conjuncta.

645. Quantum vero ad modum satisfactionis difficultas est, an ad hoc ut satisfactiones religiosorum prosint pro alio, sufficiat præceptum, & explicatio superioris, non requisita particulari intentione operantis, imo eo repugnante. Aliqui enim affirmant cum Soto *4. dist. 21. quæst. 1. artic. 4. circa fin.* & Cord. *quæst. 42. puncto 3.* Alii vero etiam è contra negare videntur, quod Prælatus possit subdito præcipere, ut operetur ex intentione satisfaciendi pro alio. Alii autem admittunt, quod Prælatus possit subdito præcipere opus ad satisfaciendum pro alio; quia hoc est opus charitatis, & eleemosynæ, quod ex causa justa posset etiam præcipere Prælatus sæcularis suis subditis, ut v. gr. præcipiendo jejunium in satisfactionem pro animabus defunctorum in bello ex causa Religionis. Neque enim ex hoc damnificatur Religiosus, etiam si indigeat satisfactione pro se, quia hujus eleemosynæ factæ etiam de his, quæ homo indiget, fructus crescit virtute obedientiæ, & charitatis, & quia non est magnum ex causa rationabili aliquid pati, & potest Religiosus per alia opera pro se satisfacere. Potest igitur Prælatus præcipere ex justa causa opus directum ad satisfaciendum pro alio, quamvis quia hoc dominium superiorum non est absolutum, sed veluti paternum, & ordinatum in bonum subditorum, non debeant Prælati uti hac potestate nimium gravando subditos suos, sed solum moderatè & ex causis justis; Sed hoc admisso Suarez *disp. 55. sect. 5. numer. 9.* Addit Prælatum posse etiam præcipere opus ut bonum in individuo, & ex omnibus circumstantiis, ex gravissima causa, quamvis nisi hoc exprimatur regulariter præcepta intelligi debeant, ut obligent ad substantiam actus de se satisfactorii, reliqua vero intelligi ex illa obligatione quam habet Religiosus, ut rectè operetur, & sit in statu gratiæ.

646. Nihilominus tamen idem Suarez *num. 7.* inquit, quod ad hoc ut opus satisfactorium prosit alteri per modum satisfactionis, non sufficit præceptum superioris, seu superioris intentio, & applicatio ad talem finem, sed est necessaria intentio, & applicatio subiti operantis, qua cessante, operis efficacia non adsit, ut alteri prosit, Nam Prælatus habet, quidem dominium super voluntatem subditi, ut obliget illum, ut velit, sed non habet dominium super usum voluntatis absolute, & simpliciter neque enim potest facere, quod intendat operari propter hunc finem, si non vult habere illam intentionem, sicut vero si subditus de facto nolit habere opus præceptum, nihil utilitatis ex illo opere habet Prælatus, qui illud præcepit nec satisfactum fuit pro eo, pro quo

Præ-

Prælatus præcepit satisfacere, si opus factum non fuit; ita cum intentio operantis sit necessaria omnino, quia moralis valor operis pendet intrinsecè ex intentione operantis, quam Prælatus non potest supplere, nec facere quod subditus habuerit illam intentionem, si contrarium habuerit, sequitur, quod opus illud non sit satisfactorium pro eo, pro quo Prælatus voluit, & præcepit satisfieri. Tunc ad tollendum hunc effectum, sufficit negatio intentionis ita quod, si subditus operatur nec formalem, nec virtualem intentionem habet satisfaciendi pro aliquo, opus non habet, ut vim pro illo satisfaciat.

647. Et mihi quidem hoc verisimile videtur, quia ad moralem valorem operis omnino necessarium est, quod opus sit humanum; igitur, quod sit ab homine se movente in finem, & ex intentione finis operante, igitur intentio finis in operante est personalis functio omnino necessaria ad hoc, ut opus sit satisfactorium de facto, quod etiam voluit Durand. *4. dist.20.quæst. 5. numer.5.* Epitom.Candidi *disput.52. art. 2. numer.* 10. *&* 11. Nugnus *in supplem. quæst. 26. art.1.* Cum ergo Prælatus non possit facere, quod intentio operantis adsit, si non adest, pariter nec potest facere, quod opus sit satisfactorium pro aliquo, si deest in operante intentio satisfaciendi pro illo. Et sic subditus non obediendo præcepto superioris præcipientis illi ut satisfaciat pro alio, non satisfacit pro illo, & eo magis non satisfacit, quia opus procedens ex inobedientia est malum.

648. Nihilominus tamen, quia subditi regulariter conformant intentionem suam intentioni superiorum, multum prodesse possunt opera Religiosorum pro exteris fratribus, dum Religiosi, vel expræsse, vel virtualiter operantur ex intentione satisfaciendi pro illis.

649. Hujusmodi etiam familiaribus Regularium Mendicantium præcipue Patribus, Fratribus, Procuratoribus, Sindicis, & aliis hujusmodi plures Indulgentiæ concessæ fuerunt, de quibus consuli possunt Casarubias *in verb. de Indulgentia quoad Sæculares, & Compendium Societatis* §. *28. & seqq.* & alia compendia privilegiorum Mendicantium. Ex quibus tamen plures sunt concessæ per vivæ vocis oracula. Videri etiam possunt Suarez *d.sect.5.num.13.* Rodriq. *tom.1. quæst. 68. art.4.* Lezana *verb.Indulgentia nu.13. & verb.Familiares nu.5.* Martin.à Spiritu Sancto *tract.2.disp.5.nu.33.* An vero istæ Indulgentiæ concessæ pro sæcularibus sint revocatæ dicetur inferius.

650. Quamvis vero Prælati Regulares de jure communi non possint concedere Indulgentias, referuntur tamen à DD. privilegia in quibus hoc conceditur. Nam Rodriquez *tom.1.quæst.63. art.2.* refert Leonem Decimum concessisse Provincialibus Minorum Regularis observantiæ, ut peracta visitatione Fratribus, & Monialibus possint concedere Indulgentiam plenariam. De quo privilegio mentionem facit Peyr. *in Prælat. Regul.quæst 3.cap.6.in fin.& ad Constit.* Leonis Decimi *nu.* 12. Miranda *p.1. quæst.9.art.2.concl.2.* Sed concessio fuit vivæ vocis oraculum, ut patet apud Casarubiam *in Compend.privilegiorum titul. Indulgentia. quod fratres num* 16. Idem Rodriquez *ibid.* & Peyr. referunt vivæ vocis oraculum Greg. XIII. factum Societatis Jesu, ut possint Visitatores absoluta visitatione concedere Religiosis indulgentiam plenariam. Hoc vero refert Rodriquez ex compendio Societatis *verb. visitatores*, ubi id non reperio in compendio impræsso Romæ 1586. quinimo in illo compendio non est titulus Visitatores. In eodem tamen compendio *tit.indulgentia* §. 10. refertur præfatum privilegium Leon. X. *ex supplem. Minor. fol.93. concess.285.* & additur, quod idem possunt Visitatores peracta visitatione. Advertit vero Peyr. *d. num.*12. quod hujusmodi facultas non est revocata per Paulum Quintum, quia aliud est facultas concedendi Indulgentias, & aliud est Indulgentia. Et bene in hoc dicit, sed inde sequitur, quod eadem facultas, cum non sit Indulgentia, sed privilegium est revocata per Gregor. XV. & Urbanum VIII. qui revocarunt privilegia, indulta, gratias, & concessiones vivæ vocis oraculo factas. Peyrinus etiam *in Constitut.* 7. Clem. VII. refert privilegium concessum Generali d. Ord. per quod concessum fuit, ut semel quolibet triennio posset concedere Indulgentiam plenariam Religiosis suis, & Fundatoribus, & Conservatoribus suorum Conventuum. Sed hoc fuit vivæ vocis oraculum. Et ideo est revocatum.

651. Abbates Regulares vero in Missa solemni dum dant benedictionem solemnem posse concedere indulgentiam quadraginta dierum relatis pluribus privilegiis Bullatis, tenet Tambur. *tom.2. de jur. Abbatum disp.9.quæst.2.*

652. Inter Indulgentias vero concessas Regularibus à Paulo V. *Constit.21.* §.*17.* continetur facultas data superioribus, ut in visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare possint, & Religiosis qui confessi, & Sacra Eucharistia refecti orationibus illis interfuerint, & Deum, ut ibi dicitur rogaverint, concessit Indulgentiam plenariam. Cum vero orationes quadraginta horarum collocentur per Sanctissimi expositionem publicam, & solemnem, in hoc casu potuerunt Regulares sine licentia Episcopi Sanctissimum Christi Corpus exponere.

653. Concionatores etiam posse suis audientibus ex privilegio Indulgentias concedere vult Rodriquez *tom.2.quæst.87. art.2.* qui refert Alexandrum Quartum concessisse Minoribus, ut Concionatores eorum in quacumque Ecclesia possint concedere audientibus Indulgentiam quadraginta dierum. Et hujus privilegii meminit etiam Casarub. *verb. Indulgentia quoad sæculares sexto numero secundo & num. 5.* Addit privilegium Clem. IV. per quod, ut testatur Joannes XXIII. concessit Minoribus, ut prædicatores extra domos suas possint auditoribus concedere Indulgentiam dierum octoginta, in domibus verò suis centum dies. Privilegii Alexandri Quarti meminit etiam monumentum Minorum *pag. mihi 206. concess.654.* Tambur. *de jur. Abb.tom.2. disp.9. quæst. 1.* sed necesse esset videre litteras Apostolicas præfata concedentes; aliter non apparet de solido eorum fundamento, sed & has Indulgentias non esse in usu dixit Lezana *verb. Concionatores num.14. in fin.* Nam cum Pontifices ipsi audientibus conciones Mendicantium quam plures Indulgentias concesserint, quas recenset Lezana *verb.concionatores num.18.* & videri possunt in Compendiis privilegiorum mendicantium, & præcipuè apud Casarub. *loco citato*, non fuit opus, ut Concionatores uterentur præfatis privilegiis, & aliquam Indulgentiam ipsi concederent. An vero Prælati Regulares possint Indulgentias suis ordinibus, vel confraternitatibus concessas communicare dicetur *infra quæst.*103.

QUÆSTIO LXXXIX.

Quotuplex sit forma concedendi Indulgentiam.

SUMMARIUM.

654 *Debet dari aliqua sensibilis forma concessionis indulgentiarum.*
655 *Sufficit quod Prælatus quomodocumque concessionem exprimat.*
656 *Indulgentia duplex, scilicet, sententiæ ferendæ, & latæ.*
657 *Discrimen inter istas Indulgentiarum formas.*
658 *Articulus mortis qui sit ad effectum Indulgentiæ.*

654. Cum enim concessio indulgentiæ sit quid pertinens ad jurisdictionem Ecclesiæ, ut visibilis, non potest sola mente, & voluntate Prælati concedi. Quamvis enim potestas ad Indulgentias sit spiritualis, & spiritualem effectum habeat, tamen est data Prælatis ut sunt Capita in Ecclesia visibili, & ideo ipsi visibiliter, & sensibiliter influere debent dum Indulgentiam concedunt. Sicut enim quia Ecclesia est congregatio fidelium visibilis, potestas Ecclesiastica non se extendit ad actus internos, nisi ut conjunctos cum actibus externis, vel per ipsos manifestatos, ita jurisdictio Ecclesiastica non potest per actus mere internos exerceri. Unde lex non est purum dictamen superioris, ut in ejus mente existens, sed ut extra est sensibiliter manifestatum. Sic ergo nec Prælatus sola sua voluntate interna potest Indulgentias concedere, sed necesse est, ut concessionem sensibiliter exprimat, & sic necesse est, ut detur aliqua sensibilis forma, & quidem determinata, per quam Prælatus determinate exprimat quantitatem indulgentiæ, quam concedere intendit.

655. Sufficit tamen, quod Prælatus quomodocumque suam voluntatem, & concessionem exprimat, sive voce, sive scripto, sive nutibus, aut facto. Nec est necessaria aliqua verborum, aut signorum determinatio, sed quibuscumque verbis, aut signis uti potest, sufficitque, ut exprimat determinatè, quod concedit.

656. Duplex autem est forma concedendæ Indulgentiæ, alia scilicet est Indulgentiæ ferendæ, & alia est Indulgentiæ ipso facto concessæ: sic enim etiam datur excommunicatio ferenda, & lata. Indulgentia ferenda est, si Papa alicui concedat, ut existens in articulo mortis possit absolvi, nedum ab omni culpa, sed ab omni pena. Tunc enim non est Pontifex, qui absolvit, sed Pontifex delegat potestatem suam Confessori, ut indulgentiam, seu omnis pœne absolutionem, & remissionem concedat. Indulgentia autem ipso jure lata est, quando Pontifex concedit alicui, ut si hoc vel illud fecerit, ipso facto Indulgentiam consequatur, ut si concedat alicui Indulgentiam plenariam, eo ipso quod in gratia moriatur.

657. Est ergo discrimen inter hujusmodi formas concedendi Indulgentias, quod prima se sola non est efficax, ut obtineatur Indulgentia, non enim ad hoc sufficit Papæ concessio, sed requiritur concessio Confessoris delegati à Pontifice ad exequendum, seu ad concedendum in executione indulgentiam. Unde si non adiit Confessarius, vel si Confessarius nolit, vel obliviscatur exequi delegationem, & Indulgentiam non concedat is, cui Pontifex concessionem fecerat Indulgentiam non lucratur. Secunda verò forma concedendi Indulgentiam est de se efficax, unde impleta conditione injuncta, statim is, cui facta est concessio lucratur Indulgentiam. Ita enim facere potest Pontifex, & se velle, quod ita fiat satis explicat per hanc formam concedendi indulgentiam.

658. Unde aliud discrimen reperitur. Nam si Pontifex concedat Indulgentiam ferendam in articulo mortis, hic mortis articulus debet accipi moraliter pro tempore, in quo mors moraliter imminet, etiam si mors non sequatur. Fœlin. *de indulg. num. 16.* D. Anton. *1. part. capit. 3. §. quinto* Tabien. *numer. 23.* Cord. *quæst. 39. part.* 2. Suarez *tom. 4. in 3. par. disp. 56. sect.* 1. *numer. 6.* Trullench. *in Bullam Cruciatæ §. 7. cap. 2. dub. 19. numer. 8.* Rodriq. §. *9. numer. 38.* Villalob. *clausf. 9. §. 2. numer. 7.* Palaus *tract. 23. part. 7. §. 1. num. 9.* Acosta *quæst. 71.* Hoc vero extendit Trullench. *num.* 10. etiam ad verum mortis periculum. Quod tamen negat Diana *part.* 1. *tract. 11. resol. 306.* Sed illum credo esse in vero articulo mortis, cui mors jam imminet undequaque, & ex quacunque causa id contingat: Vide, si placet, quæ de absolutione in articulo mortis scripsit *tom. 2. de stat. quæst. 187. artic. 2. à numer. 907. pag. 117.* Et in hac parte optimum consilium est, ut non expectetur taliter, quod sit periculum, ut pœnitens moriatur sine indulgentia, quamvis excluso hoc periculo melius sit expectare quantum fieri potest, ut pœnitens plenariam remissionem accipiat. Peccator enim post datam Indulgentiam concessam ex vi indulgentiæ concessæ prius non obtinet remissionem peccatorum, quæ post commisit, sed aliunde pro illis debet satisfacere. Sed si indulgentia sit sententiæ latæ pro articulo mortis, hic articulus accipitur physice pro ipso puncto mortis, & pœnitens non obtinet Indulgentiam, nisi moriatur, quia Indulgentia data fuit sub mortis conditione. Suarez *d. sect. 1.* Cordub. *quæst. 36.* Trullench. *ubi supra num. 9.* Et sic tunc in ipso puncto mortis, quod est primum non esse vitæ, anima Indulgentiam consequitur.

QUÆSTIO XC.

Delegatus quis censendus sit, & ad concedendam Indulgentiam qua forma uti debeat.

SUMMARIUM.

659 *Confessarius non potest reservare indulgentiam pro articulo mortis vero, si illam concedit ex præsumpto.*
660 *Et tunc non est necesse quod hoc exprimat, si ex indulto eam reservare potest.*
661 *Si Confessor non tribuat Indulgentiam non acquiritur.*

662 *An*

662 *An Indulgentia dari debeat intra confessionem.*
663 *Confessio permittenda ex vi clausula &c.*
664 *A quibus pœnis liberetur is, cui datur Indulgentia à Confessario.*
Absolutio, & concessio indulgentia fieri debent eodem contextu.
665 *Delegatus ad hanc indulgentiam ex vi clausula &c. debet esse Sacerdos. & 666.*
667 *Sufficit tunc quilibet Sacerdos.*
668 *Non sufficit tunc sola contritio.*
669 *An Indulgentia possit concedi ab absente.*
670 *An quis pluries in articulo mortis possit lucrari indulgentiam.*
671 *Etiam non habentes reservata lucrantur indulgentiam.*
672 *Indulgentia in articulo mortis sæpè est sententia leta.*
673 *Diversitas inter formam, qua Pontifex utitur, & qua uti debet delegatus.*
674 *In delegato necessaria aliqua forma verborum.*
675 *Sufficit si Delegatus dicat, Concedo tibi &c.*
Delegatus totam indulgentiam sibi commissam debet concedere.
676 *Multa clausula non necessaria.*
677 *Qua verba sufficiant ad delegatam Indulgentiam. & 678.*
679 *Non est necesse quod absolvendus audiat vocem concedentis.*
680 *Potest concedi indulgentia ignoranti indultum.*
681 *Ad consequendam Indulgentiam non sufficit interpretativa voluntas.*

659. HÆc regula generalis circa utramque formam servanda est, ut diligenter verba concessionis inespiciantur. Et nunc loquendo de forma Indulgentiæ ferendæ, non nulla attendi debent. Solet enim multoties hujusmodi delegatio exprimi per hæc verba, aut similia. *Ut possint eligere Confessorem &c. & ab eo quorumcumque peccatorum &c. & plenariam Indulgentiam &c. semel in vita, & semel in mortis articulo obtinere.* Constat autem primo ex vi hujus concessionis absolutionem, & Indulgentiam semel tantum in vita, & semel tantum in morte obtineri posse. Trullench. *in Bulla Cruciata* §. *7. cap. 2. dub. 19. num. 2.* Ex quo sequitur, quod non benè Diana *par. 1. tract. 11. resol.* 106. dixit hanc esse praxim concedendi hanc Indulgentiam, ut concedens dicat, si verè obieris impertior tibi Indulgentiam, alioquin eam tibi servo ad instans mortis. Hoc idem vult Fernandez *in examin. par. 3. cap. 9. §. 9. num. 4.* Sed nisi id expresse sit concessum à Pontifice, ex vi præfatæ clausulæ, aut similium, illa praxis non valet, quia semel tantum potest pœnitenti concedi illa Indulgentia, quæ tunc effectum suum sortitur, cum confessarius, tanquam Delegatus illam concedit, nec potest Confessarius absolvere à futuris debitis, & pœnis, sed solùm ab illis, ad quas pœnitens tenetur tempore absolutionis. Trullench. *in Bulla Cœna §. cap. 2. dub. 19. num. 9.* Navar. *not. 30. num. 5.* Cordub. *quæst. 36.* Rodriq. *in Bulla Cœna §. 9. num. 56.*

660. Unde bene advertit Navar. quod qui in articulo mortis præsumpto absolvitur, & à Confessario ei conceditur Indulgentia, illam tunc consequitur, sed posteà si convalescat, & iterum in articulum mortis incidat, ea non potest uti amplius. Si verò in indulto sit expressum, ut in Indulgentia pro articulo mortis vero reservetur, si tunc infirmus non moritur, in eo casu pœnitens tunc non acquirit Indulgentiam, sed eam in vero mortis in articulo obtinebit. Quamvis vero in hoc casu D. Anton. *dicto §. 5.* & Fœlin. voluerint esse necesse, quod Confessarius voce exprimat, quod concedit Indulgentiam ea conditione, si ex ea ægritudine infirmus obierit, alioquin reservat illam pro vero mortis articulo, Navar. *dicto num. 5.* hoc non existimat necessarium, quia nullo jure Confessor ad id dicendum adstringitur, & expressio illius reservationis non potest mutare gratiam Papæ.

661. In præfata autem concessionis forma continetur, quod Indulgentia concedatur à Confessario. Et nihilominus si contingat, quod Confessarius nolit Indulgentiam illam concedere, quod nihilominus pœnitens, qui ideo confitetur, ut Indulgentiam consequatur illam obtineat dicunt Rodriq. *in Bulla Cruciata §. 9. num. 43.* Ferdand. *in exam. part. 3. cap. 9.* §. 10. *nu. 4.* Diana *par. 1. tract. 11. resol.* 106. Sed oppositum est dicendum, quia Pontifex non concedit immediatè illam Indulgentiam, sed illam commisit Confessario. Sicut vero, si Confessarius non absolvit à peccatis, pœnitens non est absolutus, ita non est illi remissa pœna per Indulgentiam, si eam Confessarius non tribuit Navar. *not. 30. num. 14. & 16.* Trullenc. *dicto dub. 19. num. 3.*

662. An vero ex vi prædictæ clausulæ Confessarius debeat impertiri indulgentiam intra sacramentum pœnitentiæ, dicunt necessarium esse si confessio actualis sit possibilis, Trullenc. *d. dub. 19. num. 4. & alii.* Sed si Confessario non sit possibilis ut in lethargico, phrænetico, vel amente, vel qui amisit sensum, itaut nullum signum contritionis possit dare, nihilominus poterit absolvi à censuris, & poterit ei impertiri Indulgentia. Navar. *not. 30. num. 13.* Diana *part. 1. tract. 11. resol. 108.* & apud eum Acosta *quæst. 1.* Card. *quæst. 136.* Trullench. *d. num. 4.* & apud eum Henriquez, Villalobos, & Ludovicus de Cruce.

663. Sed hujus dubii resolutio pendet ab alterius resolutione, an scilicet ex vi dictæ clausulæ confessio actualis sit requisita, ut conditio sub qua concedatur Indulgentia. Diana *part. 1. tract. 11. resol.* 107. negat confessionem ex vi illius clausulæ requiri, ut conditionem quia non dicitur facta confessione, vel quid simile ex quo colligatur necessitas actualis confessionis. Sed oppositum est verum. Nam cum ex vi dictæ clausulæ Indulgentia concedi debeat à Confessario, qui absolvat, supponitur præmitti debere confessionem. Quod confirmatur, quia cum in Bulla Cruciatæ contineatur similis clausula, ut Pontifex faveat etiam illis, qui sine confessione decedunt, eo quod non potuerunt confiteri, concedit ipse Indulgentiam, si sint contriti. At vero hæc extensio, & declaratio fuisset superflua, si ex vi præfatæ clausulæ, aut similis actualis, confessio non fuisset necessaria, sed fuisset sufficiens contritio. Et ideo, quod ex vi præfatæ clausulæ actualis confessio sit necessaria docuerunt D. Anton. *par. 1. t. t. 10. cap. 3. §. 5.* Acosta *in Bulla quæst. 14.* Palaus *in Bullam Cruciata tract. 25. part. 4. num. 4.* Quod quidem non, ut voluit Acosta, verificatur in eo, qui habet sola venialia, sed solum in eo, qui habet peccatum mortale non confessum, ut docent D. Anton. *loco citato* Diana *ubi supra*, & constat ex probatis supra *quæst. 28.*

664. Ex his ad præcedens dubium dicitur quod si adest aliud speciale indultum per quod concedatur, ut sufficiat contritio si non potest haberi actualis confessio, quale indultum pro decedentibus habetur in Bulla Cruciatæ, non est necessaria actualis confessio, in eo casu, in quo ex concessione sufficit contritio. Sed extra hunc casum, Indulgentia ex vi præfatæ clausulæ, non potest concedi, nisi actualiter confesso ei confessori, qui ad hunc effectum electus fuit, quia illi soli est delegata facultas concedendi Indulgentiam, si pœnitens habet conscientiam peccati mortalis nunquam confessi. Non tamen est necesse, quod confessarius hanc Indulgentiam concedat intra sacramentum pœnitentiæ, quia hoc non præcipitur per dictam clausulam. Unde Confessarius eam Indulgentiam concedere potest post auditam confessionem etiam omnibus audientibus, & palam, & etiam post aliquod breve tempus. Et credo, quod ex vi talis Indulgentiæ obtineat remissionem, nedum pœnæ debitæ pro peccatis tempore absolutionis sacramentalis, sed etiam pœnæ debitæ peccatis venialibus postea commissis, si tamen sint dimissa tempore, quo Confessarius plenariam indulgentiam impertitur. Si vero post confessionem ante concessionem Indulgentiæ contingat pœnitentem peccare mortaliter, quia ex vi dictæ clausulæ absolutio sacramentalis, & concessio Indulgentiæ fieri debet unico contextu, nec inter eos debet intercedere tantum tempus, quod discontinuet moraliter illas duas actiones, dici etiam potest, non esse tunc necessariam novam Confessionem, sed sufficere contritionem novi peccati, aut pœnitens plenam Indulgentiam consequatur.

665. Cum vero ex vi dictæ clausulæ delegatus ad hanc Indulgentiam concedendam sit Confessarius, conveniunt DD. communiter, quod extra articulum mortis, hic debeat esse Sacerdos approbatus ab Ordinario, talis scilicet, qui aliorum, vel pœnitentis illius possit confessionem audire, & eum à peccatis absolvere. Quod est manifestum ex illa copulativa. *Et* scilicet absolutionem peccatorum, & Indulgentiam obtinere, sensus enim manifestus est, quod ab eodem obtineri debet, & absolutio peccatorum, & indulgentia. Cum igitur solum à Sacerdote approbato ad confessiones possit obtineri absolutio, ab eo solo etiam potest concedi indulgentia.

666. Et ex hoc etiam probatur, quod supra *numer.* 671. dictum est, scilicet, quod absolutio, & Indulgentia debet dari unico contextu, quia utraque copulativè dari debet, hoc enim importat copulativa, *&* ut simul sint absolutio à culpa, & à pœna. Quod si quis vellet quod duæ istæ absolutiones possint esse discontinuæ quantum ad tempus, ad minus concedere debebit, quod per Indulgentiam posterius datam, & interpellatè, pœnitens non obtinet majorem Indulgentiam, seu pœnarum remissionem, quam obtinuisset, si sine interpellatione similium, absolutionem à culpa, & Indulgentiam obtinuisset. Non enim est verisimile, quod Pontifex voluerit concedere Indulgentiam pro peccatis futuris post absolutionem concessam, ita quod qui hodie ex vi indulti confitetur, post mensem, vel annum ex vi indulti ejusdem obtineat remissionem etiam peccatorum, quæ per menses, aut annum post absolutionem à peccatis commisit; sed veritas est, quod ex vi hujusmodi delegationis, Confessarius non potest Indulgentiam concedere, nisi eodem contextu, & tempore audit confessionem, & à peccatis absolvit pœnitentem, quia duæ istæ actiones conceduntur, ut connexæ.

667. At vero loquendo de articulo mortis pariter conveniunt DD. quod si potest haberi Sacerdos, qui audiat confessionem pœnitentis, ille debet eligi, ut det absolutionem & concedat Indulgentiam; sed si non possit haberi, quod tunc sufficiat quilibet Clericus, qui haberi possit, & quod in hoc casu, & quantum ad effectum concedendi Indulgentiam ille dicatur large Confessarius, affirmant Sylvest. *v. Indulgentiam nu.26. & 31.* Navar. *not.30. num.*8. Henriq. *lib.7. de Indulg. cap. 9. num.4. lit.Z.* Imo nedum hoc concedunt alii, sed addunt, quod in defectu Clerici etiam Laicus hanc indulgentiam moribundo concedere valeat, & pœnitentis peccata audire, licet ab eis non possit absolvere. Ita Navar. *not.30. num.9.* Diana 1. *p. tract.11. resol.106. & p.5. tract.3. resol. 134. & p.*10. *tract.16. resol.*10. Sed etiam in articulo mortis necessarium esse Sacerdotem confessarium asserunt Ludov. à Cruce *in Bull. Cruc. disp. cap.8. d. 14. num.2.* Trullench. *d. §.7. cap.2. dub.19. num.6.* Cotton. *lib.2. cont.11. num.83.* & ita procul dubio dicendum est. Non enim vocabulis abuti debemus, & ea impropriare, est vero abuti nomine Confessoris, si dicatur de non Sacerdote & præcipuè de laico. Et ex vi clausulæ præfatæ requiritur, qui vere possit absolvere, imo qui per prius absolvat, & postea Indulgentiam concedat. Et propterea etiam de mente S. Anton. *d. §. 5.* secundum clausulam præfatam qui, dat indulgentiam, debet esse Sacerdos, qui etiam possit absolvere.

668. Et ideo nisi aliud indultum concessum sit, per quod non sit necessaria confessio, sed sufficiat contritio, etiam qui laborat in articulo mortis non potest consequi hanc Indulgentiam, si non potest confiteri, & absolvi quia ut probatum fuit, impossibilitas ponendi confessionem non excusat, ubi illa est necessaria. Etiam vero ubi datur indultum, quod morienti sufficiat contritio, si non potest confiteri, adhuc si facultas concedendi indulgentiam est delegata Confessario, tunc quidem si non potest haberi Confessarius approbatus ab ordinario, sufficit quilibet Sacerdos, quia quilibet Sacerdos potest absolvere.

669. Sed iste Sacerdos debet esse præsens? Quod in casu aliquo Sacerdos etiam absens possit indulgentiam hanc concedere in articulo mortis sentiunt Trullench. *d. §.7. cap.2. dub.19. numer.7.* Diana *p.5 resol.134.* Cotton. *lib.2. contr.11. numer.79.* nimirum si Parochus post datam extremam unctionem oblitus fuerit concedere indulgentiam, potest è domo illam impartiri, etiam per litteras. Quia hæc non est absolutio sacramentali, nec dependet ab absolutione sacramentali taliter, ut non possit dari extra Sacramentum. Sed primo considerandum est Indulgentiam hujusmodi ex vi prædictæ clausulæ non posse concedi, nisi absoluto sacramentaliter. Sed attendi ulterius debet, quod dictum fuit, scilicet quod indulgentia ista debet concedi unico contextu cum absolutione. Cæterum per se loquendo, quia indulgentia non est nisi remissio pœnæ, si absentia non sit tanta, & tanta distantia temporis inter absolutionem, & concessionem Indulgentiæ, quæ discontinuet moraliter concessionem Indulgentiæ ab absolutione, vel ubi non sit necessaria absolutio sacramentalis, vel alia actio, quæ præsentiam requirat, non repugnat Indulgentiam concedi ab absente etiam per litteras.

670. Si vero in indulto Pontificio contineatur indefinitè, quod aliquis possit obtinere Indulgentiam in ar-

in articulo mortis, potest illam consequi in quolibet mortis articulo secundum Trullench. *d.dub.19. numer.* 10. Sed in contrarium obstat, quod sermo simpliciter prolatus in uno actu, & in una vice consumatur *l. dotis promissio ff. de jure dat. l. honest. §. hoc sermone ff. de verb. signif.* Panorm. *in cap. 2. ad tregua, & pace.* Si tamen pœnitens habet plura indulta id concedentia, poterit uti illis pluries, & pro pluribus mortis articulis juxta illorum indultorum numerum. Trullench. *d. dub. num. 17.*

671. Quamvis vero in superiori clausula detur potestas ad reservata, tamen Indulgentiam obtinent etiam non habentes reservata à quibus indigeant absolvi, sed sufficit, ut confiteantur alia, mortalia si habent, Trullench. *d. dub. 19. nu. 12.*

672. Si vero in indulto non delegatur concessio Indulgentiæ Confessario, aut non requiritur actualis confessio, tunc servanda est forma indulti, & sufficit contritio, & delegatus ejus conditionis, quam indultum requirit. Sed multoties Indulgentiæ istæ concessæ in articulo mortis sunt sententiæ latæ, nec est opus quod illas concedat Confessarius. Et talis est illa, quam in Bulla Consueverunt concedit Pius V. Confratribus Rosarii.

673. Qui vero delegatam indulgentiam exequitur, aliqua forma verborum, vel signorum uti debet, ut sensibiliter concessionem exequatur, & indulgentiam concedat. In multis tamen hæc concessionis forma distinguitur ab ea, qua Pontifex ipse Indulgentiam concedit. Hæc enim est conditionata & dicitur si hoc, vel illud feceris concedimus &c. sed concessio Delegati exequentis, quia supponit conditionem jam impletam est absoluta & dicitur concedo, & do tibi tot annos Indulgentiæ. Quamvis ad hujusmodi delegatam concessionem exequendam nulla sit necessaria determinata forma verborum, D. Anton. *p.1. tit.10. cap.7. §.5.* Navar. *nota.30.* Rodriq. *in Bullam Cruciata §.9. numer.40.* Trullench. *§.7. cap.2. dub.19. num.13.*

674. Et quamvis in litteris Apostolicis, quibus hujusmodi concessio Indulgentiæ delegatur, soleant apponi longissimæ formæ ad has Indulgentias concedendas, tamen non est necesse omnes illas proferre, ut omnes DD. docent. Nam de stylo Curiæ apponuntur magis ad instructionem, & compendiosam narrationem omnium gratiarum, quam ad usum absolutionis; ideo sufficit si Delegatus dicat: Concedo tibi Indulgentiam tot annorum, vel dierum, vel plenariam juxta tenorem concessionis sibi delegatæ Sylv. *verb. Indulgentia quæst 5.* Fœlin. *num.5.* Suarez *disp.55. sect 5.* Ideo etiam ubi viget Bulla Cruciatæ non est necesse uti forma à Commissario illius Bullæ præscripta. Trullench. *dict. §.7. cap.2. dub. 19. n. 93.* Imo quamvis bonum sit mentionem facere Auctoritatis Apostolicæ, dicendo *Auctoritate Apostolica &c.* tamen hoc non est necessarium addere. Quod enim concessio fiat Auctoritate Apostolica supponendum est, non vero est ex necessitate exprimendum.

675. Sed neque necesse est ut voluit D. Anton. *d. §.5.* addendo dicere absolvo te à peccatis exceptis illis, quæ in confidentia hujus Indulgentiæ commissisti, quia vel hoc ex natura rei subintelligitur, si indultum eam exceptionem habet, vel si non habet potest nocere Sylv. *qu.5.* Cord. *quæst.38.* Suarez *d. sect.5 num. 6.* Unde nec illud nec alia similia sunt addenda. Imo hic obiter advertendum delegatum non posse solum partem illius Indulgentiæ concedere, quæ in indulto est sibi commissa, sed totam concedere debet. Quamvis si partem solum concederet, valida esset concessio, ut quia Indulgentia per partem potest acquiri, & qui potest concedere totum potest concedere partem, quæ in toto continetur. Sic enim si Dominus servo committat, ut pauperi, det decem aureos, valida est collatio sex aureorum, quamvis ipse quatuor retineat, nec decem concedat.

676. Sufficit etiam si delegatus utatur verbo absolvo vel alio simili communi ad significandum absolutionem à culpa, & à pœna. Et unico verbo Confessor potest absolvere à peccatis, & concedere Indulgentiam. Quia verbum absolvo, & similia indifferentia sunt ad significandam tam remissionem pœnæ, qua culpæ. Hoc tamen negat Palaus *tract.24. p.4. nu.* 10. Sed sufficere dicunt Suarez *dicta sect.5.* Trullench. *d. dub.19. num.14.* Cotton. *lib.2. controv.11. nu.80.* Diana *p.1. tr.11. resol.116. & p.5. nu.3. resol.133.* quia verbum absolutio comprehendit liberationem a culpa, & etiam à pœna.

677. Est quidem necessarium quod verbum significet remissionem de præsenti per verbum indicativi modi, & circa determinatam personam scilicet dicendo *absolvo te*, ut hoc modo significatio formæ sit practice completa, practica enim respiciunt singularia. Cæterum sicut ex quo præmissa est confessio peccatorum sufficit ad absolutionem, si Confessor dicat absolvo te, ita supposito indulto, & petitione pœnitentis postulantis absolvi juxta facultatem indulti, sufficit, quod Delegatus dicat absolvo te, ex hoc enim satis humano modo, & practicè significat se exequi indultum, & juxta exigentiam indulti se operari. Unde nec est necesse quod verbis exprimat quantitatem Indulgentiæ.

678. Quia sufficit hanc esse determinatam in indulto, & quod Confessor, vel expressè verbis, vel facto ipso significet se absolvere juxta tenorem indulti; non vero est necesse, ut expressis verbis exprimat totum Indulgentiæ effectum. Unde si pœnitens petat, & dicat Confessario concede mihi Indulgentiam juxta tenorem hujus indulti, si Confessarius ex vera voluntate dicat *concedo.* & nihil aliud addat Indulgentia est concessa.

679. Imo quamvis omninò necesse sit, quod Delegatus sensibiliter proferat formam concessionis Indulgentiæ, non tamen est necesse, quod pœnitens absolvendus illam intelligat. Suarez *disp.56. sect.1. numer.7.* Diana *par.5. tract.5. resol.133.* Nam, & aliquando à peccatis, & censuris absolvuntur, qui non intelligunt verba absolventis. Imo licet adhoc, ut quis absolvatur à peccatis necessario debeat præcedere aliqua pœnitentis petitio, quia debet præcedere aliqua peccatorum confessio: hoc non est necesse per se in concessione Indulgentiæ, sed sufficit si constet de indulto, & de aliqua saltem virtuali voluntate Indulgentiæ, & non constet illum esse Indulgentiæ incapacem. Suarez *d. sect.1. numer.7.* Corduba *quæst.36.* Henriquez *lib.7. capit.6. & 4. lit. Q.* Diana *part. 5. tract. 133. & part.1. tract.11. resol. 108.* Cotton. *lib.2. controv.11. numer. 82.* Trullench. *ad Bullam Cruciata §.7. cap.2. dub.19. num. 5.*

680. Unde si detur, qui repente omnem usum rationis amiserit, & constitutus in mortis articulo nullum signum contritionis, vel confessionis dederit, quamvis non possit sacramentaliter absolvi, (si alià

actua-

actualis confessio non sit permittenda) poterit illi à delegato Indulgentia concedi, quia constat de indulto, & voluntas virtualis in eo præsumi debet, nec constat, quod non sit capax Indulgentiæ. Fœlin. & D. Anton. *ubi supra* Suarez *d. sect.*1. *num.*7. Cotton. *lib.*2. *contr.*11. *num.* 82. & alii DD. supracitati. Neque ex hoc imminet grave aliquod periculum sacrilegii aut irreverentiæ in sacramentum aliquod & potest concessio concipi conditionate: aliundè vero si contingat incertam esse absolutionem est res magni momenti.

681. Imo amplius valet hæc Delegati concessio facta per solita verba absolutionis sacramentalis, etiam si ipse ignoret indultum, si tamen Confessor habeat intentionem absolvendi à culpa, & ab omni pœna in quantum potest. Suarez *d. sect.*1. Hic tamen advertendum, quod nec ex parte sui, nec ex parte pœnitentis sufficit ad consequendum effectum interpretativa voluntas, & præsumpta, quæ non fundetur in rei veritate in aliqua actuali voluntate. Quamvis enim Diana *p.*5 *tract.*3. *resol.*133. Trullench. *d. dub.*19. *num.*5. Cotton. *d. contr.*11. *num.* 80. dicant interpretativam hanc intentionem sufficere, hoc non debet admitti. In foro enim Dei non statur præsumptionibus, qua fallaces sunt, sed rei veritati, ideo non consequitur Indulgentiam nisi qui actualem, vel virtualem voluntatem illam lucrandi habet, neque illam concedit, nisi qui vere voluntatem illam concedendi virtualem habet vel actualem. Suarez *d.*56. *§.*1. *num.*7. Rodriq. *tom.*2. *quæst.* 88. *art.*11.

QUÆSTIO XCI.

Per quam formam delegandi intelligatur alicui delegata facultas dandi Indulgentiam.

SUMMARIUM.

682 *Per generalem concessionem absolvendi non intelligitur concessa facultas indulgentiarum.*
683 *Nec ex eo quod conceditur facultas eligendi Confessorem.*
684 *Nec si conceditur electio Sacerdotis in articulo mortis.*
685 *Si Episcopus deleget facultatem concedendi indulgentiam, intelligitur concessa facultas ad illam quantitatem, quam potest Episcopus concedere.*
686 *Si Papa deleget facultatem indulgentiarum per verba generalia non censetur concedere facultatem ad indulgentias pro defunctis, nec ad plenariam.*
Sed ad eam quæ competit Episcopis.
687 *Quid si adsit dictio Universalis quascumque.*
688 *Dictio quæcumque universalissima.*
689 *Et non refertur ad numerum.*

682. PRima regula in hac parte observanda est, ut per concessionem generali exprimentem facultatem per verba communia tam absolutioni à culpa, quam à pœna, non intelligitur concessa facultas concedendi Indulgentias. Nam hic servandæ sunt regulæ illæ juris, ut in concessione generali non comprehendantur ea, quæ non esset quis verisimiliter concessurus, *cap.*3. *de offic. Vicar. & cap.*2. *de pœnit. & remiss. in* 6. & in illa alia. Quod in generali concessione jurisdictionis, aut administrationis non venit donatio libera nisi exprimatur. Concessio vero Indulgentiarum est libera donatio, & est speciale quid, de quo præsumi debet, quod Pontifex illud non esset concessurus. Ideo sensus communis DD. & Pastorum Ecclesiæ est, ut sub generali concessione facultatis absolvendi non veniat concessio indulgentiæ. Sic enim licet Christus dixerit Apostolis, Joann. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, non per hoc illis concessit facultatem ad Indulgentias concedendas, quia per illa verba intelligitur concessa facultas absolvendi à culpa, non verò extraordinaria, & specialissima facultas ad Indulgentias. Quod verò hanc facultatem intelligamus compræhensam in illis verbis Matth. 16. *Quodcumque ligaveris super terram*, colligitur non solùm ex illa universalissima dictione *quæcumque*, sed quia Christus præmiserat, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*, ideò sub illis verbis *quæcumque &c.* continetur omnis facultas, quæ est clavium, & per quam aperitur Regnum Cœlorum.

683. Hinc sequitur non esse concessam indulgentiam ex eo quod alicui Papa concedat, ut possit eligere Confessorem qui illum absolvat ab omnibus peccatis, & reatibus suis, nisi aliquid addat, quod eam facultatem compræhendat. Putant vero aliqui sufficere si Papa concedat facultatem eligendi confessorem, *qui eum absolvat à culpa, & pœna*; quia aliter illa dictio pœna esset superflua. Verum ratio non concludit, quia verba sæpe ad majorem expressionem multiplicantur, & sic ad exprimendum effectum totum absolutionis sacramentalis, qui est remissio culpæ, & pœnæ æternæ, & alicujus saltem pœnæ temporalis dici potuit, *qui absolvat à culpa, & pœna*. Potius forsan dicet aliquis, posse facultatem ad indulgentias significari si dicatur, qui absolvat à culpa, & omni pœna, quia regulariter absolutio sacramentalis non est ab omni pœna peccatis debita, sed Indulgentia illa est, quæ supposita absolutione sacramentali liberat ab omni pœna, si sit plenaria. Sed neque hoc tuto dicitur; quia confessarius si in foro sacramentali imponat pœnitentiam reatui portionatam liberat absolvendo ab omni culpa, & pœnitens implendo pœnitentiam talem sibi injunctam liberatur ab omni pœna.

684. Aliqui etiam arbitrantur concedi facultatem ad indulgentias, si concedatur facultas eligendi Confessorem in articulo mortis quia in ordine ad sacramentalem absolutionem in articulo mortis Confessor potest eligi sine privilegio. Sed hoc non est verum, quia si qui est in articulo mortis habeat commoditatem proprii sacerdotis, non potest eligere alium; Et hoc est, quod illi conceditur ex illo privilegio.

685. Secunda regula est, quod ubi generalis concessio est intra latitudinem indulgentiarum, si concessio fiat ab Episcopo intelligatur de tota Indulgentia, quam potest ille concedere, sed si fiat à Pontifice non intelligatur nec de indulgentia pro defunctis, nec de plenaria, nec de omni quantitate extra plenariam, sed de illa, quæ à jure est concessa Prælatis inferioribus. Hæc omnia explicantur, quia enim facultas Episcopi est ad certam quantitatem, & quidem valdè limi-

limitatam, ideo si Episcopus concedat alicui facultatem concedendi Indulgentias, intelligitur, ut concedat totam illam certam, & limitatam quantitatem, quam ipse potest, quia sub illa non est minor quantitas determinata, quæ regulariter soleat concedi. Ideo si Episcopus suo Vicario concedat, ut in die Dedicationis Ecclesiæ concedat indulgentiam, poterit concedere centum dies, quia id potest Episcopus. Solum potest hic considerari discrimen, si Episcopus utatur verbo Indulgentiam numeri singularis, vel verbo Indulgentias, quia in primo casu absque dubio censebitur concedere indulgentiam pro una vice tantum, nisi ex adiunctis aliud colligatur.

686. Sed potestas Pontificis est amplissima, & inter Indulgentias aliquæ sunt maximæ, & singularissimæ, & quarum facultas, si non exprimatur meritò non intelligitur concessa. Et inter ista communi consensu intelligitur esse facultas concedendi Indulgentiam pro defunctis, quia hæc est propria illius, & quam jure ordinario nec concessit Episcopis, unde declaratum dicitur indulgentias concessas nunquam extendi ad indulgentias pro defunctis, nisi id exprimatur. Eadem vero ratio militat de indulgentia plenaria, quæ est maxima, & propriissima Summi Pontificis, nec concessa est ejus facultas Episcopis, & olim rarissimæ concedebatur. Tandem verisimile est Pontificem per generalem concessionem non intendere concedere alicui majorem facultatem, quam de jure sit concessum Episcopis, & sic intrat regula, quæ vult clausulam privilegii interpretari debere secundum juris formam. Hac enim ratione si Papa alicui concedat potestatem audiendi confessiones, & absolvendi non intelligitur ei data major facultas, quam sit illa quam Parochi ordinarii habent.

687. Sed quid dicendum si addatur dictio distributiva universalis quæcumque? Suarez *d. disp. 55. sect. 1. num. 11.* existimat non concedi majorem indulgentiam, quia illa distributio optimè limitatur ad indulgentias jure ordinario concessas, & referri potest ad numerum seu multitudinem concessionis, non ad quantitatem Indulgentiæ. Sed hoc habet instantiam, quia dictio quæcumque non est superflua. Non enim est dictio, quæ ponatur ad majorem declarationem, quia habet proprium ejus significatum, alias vero superfluas esset, si nihil magis concederetur ex vi illius, quam sine illa conceditur.

688. Dictio enim quæcumque universalissima est, ita quod includat etiam impropriè dicta Dec. *cons. 599. num. 2. & 3.* Rota *dec. 793. part. 1. divers. num. 10.* Ubi quod tollit interpretationem restrictivam. Alex. *cons. 118. num. 5.* & quod comprehendit ea, quæ alias non comprehenderentur. Dec. *ubi supra* Ruin. *cons. 11. num. 29. l. 2.* Et quod dictio quæcumque etiam in materia stricta sit comprehensiva omnium dixit Penna *dec. 1579. numer. 5.* Eadem dixit de hac dictione quibuscumque Rota *dec. 368. num. 1. part. 1. divers.* Imo quod comprehendat etiam majora expressis, Fœlin. *in cap. sedes nu. 5. in 2. & 5 declaratione, de rescript.* quem sequitur Rota *decis. 680. num. 5. par. 2. recent.* Hujusmodi enim dictio sine limite omnia etiam imaginabilia ex quavis causa, & per impropriissimam significationem comprehendere, & quæ alias non comprehenderentur, includere, probat Rubeus *ad dec. 576. num. 53. par. 4. recentiorum.* Et quamvis *ibid. num. 63. & 64.* dicat, quod in materia odiosa illa dictio restringenda est ad ea, quæ sunt ejusdem speciei, & natura; per Bald. *in cons. 67. lib. 3.* & alios, quos ibi citat. Tamen considerandum est, quod ut probatur infra concessio Indulgentiarum etiam est favorabilis, & ulterius omnes Indulgentiæ pro vivis sunt ejusdem speciei, & naturæ, & plenaria Indulgentia ab aliis non distinguitur nisi secundum magis, & minùs, & accidentaliter. Et modo sæpius conceditur, unde non est unde dicatur non comprehendi sub concessione delegata facultatis concedendi quascumque Indulgentias, si Pontifex sub hac universalitate eam facultatem alicui concedat. Et eo magis, quod sicut concessio beneficiorum ad petitionem beneficiati sit odiosa, & strictissimæ interpretationis, tamen facultas concedendi beneficia est favorabilis, ita favorabilis, & latè interpretanda est concessio facultatis concedendi Indulgentias.

689. Nec vero dictio quascumque potest referre ad multitudinem concessionum, quia refertur, & afficit Indulgentias, & est nomen qualitatem importans ex sua propria significatione, non verò numerum. Ideò licet ubi Pontifex concedat facultatem ad quascumque indulgentias, non intelligitur concessa ad indulgentias pro defunctis, quia Indulgentia pro defunctis est alterius naturæ, & ideo hujusmodi facultas specialissima est, bene tamen potest intelligi concessa facultas ad plenarias, quæ modo sæpius conceduntur.

QUÆSTIO XCII.

Quæ sit forma Indulgentiæ ipso facto concessæ.

SUMMARIUM.

690 *Ubi Indulgentia conceditur ipso facto non est necessaria alia concessio.*
691 *Concessio Indulgentiæ sensibiliter fieri debet.*
692 *Concedi debet Indulgentia determinata.*
693 *Concessio Indulgentiæ regulariter est conditionata.*
694 *Nec semper omne quod conceditur cum Indulgentia injungitur ut conditio.*
Qui bona fide eligit sibi Confessorem, manet absolutus, etiam si posteà non lucretur Indulgentiam.
695 *Ubi favor aliquis conceditur sub conditione, non potest consequi conditione non impleta.*

690. QUando indulgentia est ipso jure concessa ad eam non requiri verborum formam, quia ipso jure acquiritur, dixerunt aliqui, & inter alios D. Antonin. *par. 1. tit. 10. cap. 3. §. 5.* qui tamen per hoc non voluerunt, nisi quod non requiritur nova forma absolutionis, nam ipsa indulgentiæ concessio est absolutio, quæ ipso jure effectum suum causat, absque eo quod aliquis Sacerdos, aut alius de novo absolvat.

691. In hac ergo indulgentiæ specie formæ locum obtinent verba, per quæ Indulgentia conceditur. Neque enim sola mente, & voluntate concedi potest indulgentia, quia ut dictum est Ecclesia visibilis non nisi visibiliter, & sensibiliter uti potest, & debet jurisdictione sua. Et cum indulgentia sit absolutio, debet

esse

esse talis, quæ sit etiam in foro Ecclesiæ, & de qua apud illam aliquo modo constare possit.

692. Debet verò hæc forma esse determinata, aliter inanis erit concessio, effectus enim non est de numero indeterminatorum, quia fieri est solum singularium, quæ sunt entia numero finita, & determinata. Ideo si diceretur, concedo tibi Indulgentiam, nisi aliunde colligeretur qualis Indulgentia determinatè esset concessa, nihil indulgentiæ esset concessum, vel ad summum non censebitur concessa nisi minima inter illas, quæ solent concedi. Ideo regulariter in forma Indulgentiæ exprimitur, vel quod sit plenaria, vel quod sit tot, vel tot annorum, aut quadragenarum.

693. Regulariter etiam hujusmodi forma est conditionata sub conditione alicujus operis injuncti. Neque enim est contra naturam hujus concessionis, quod sit conditionata conditione de futuro, quia non est absolutio sacramentalis, sed remissio pœnæ, quæ per modum cujusdam conventionis, & pacti conceditur; Unde non est de numero illorum actuum legitimorum, qui vel ex eorum natura, vel ex lege non possunt esse conditionati: de quibus sermo est *in cap. Actus legitimus, de regul. jur. in 6. & in l. Actus legitimus ff. de reg. jur.*

694. Neque tamen omne illud quod simul cum indulgentia vel injungitur, vel conceditur, injungitur ut conditio. Ideo hoc diligenter est considerandum. Itaque simul cum Indulgentia aliquando alii favores conceduntur, quod si fiat concomitanter tantum, ipsi nihil participant de Indulgentia, quia cum illa connexionem non habent, Sed si dantur intuitu indulgentiæ, vel dantur sub conditione indulgentiæ, jam obtentæ, ut si dicatur quicumq; indulgentiam consecutus fuerit possit non obstante interdicto sepeliri in loco sacro. Et in hoc casu, si quis etiam non ex culpa sua, sed ex impedimento non est consecutus indulgentiam, non potest favorem illum lucrari, quia non est impleta conditio. Aliquando vero favores conceduntur intuitu Indulgentiæ, ut conditiones necessariæ ad consecutionem indulgentiæ, & tunc Indulgentia, non acquiritur illis in effectu deficientibus, quia involvunt non implementum conditionis. Et nihilominus supposita bona fide illius, qui verè intendebat consequi Indulgentiam potest esse, quod sint validi. Quia enim absolutio à peccatis non potest dari sub conditione de futuro qui bona fide intendens consequi Jubilæum eligit sibi Confessorem, qui illum absolvit à reservatis, est vere absolutus, licet postea etiam ex malitia non perficiat ea, quæ sunt necessaria ad lucrandam Indulgentiam.

695. Sed hoc quoque considerandum, quod si favor concessus intuitu Indulgentiæ est conditionatus, nisi impleatur prius conditio sub qua est concessus, non potest obtineri. Sic si jejunanti conceditur ut possit postea ad effectum Indulgentiæ communicare in loco ininterdicto, qui non jejunavit non potest in eo loco communicare.

QUÆSTIO XCIII.

Utrum concessio Indulgentiæ, ejusque forma censenda sit odiosa, & strictè interpretanda, vel potius favorabilis.

SUMMARIUM.

696 *Variæ opiniones.* 697. 698.
699 *Rescriptum multipliciter causat damnum.*
700 *Per concessionem Indulgentiæ non fit prajudicium Sacramento pœnitentiæ.*
701 *Concessio indulgentiæ non est dispensatio, nec prajudicat alicui legi.*
702 *Dispensatio thesauri Ecclesiæ non est res odiosa.*
703 *Sola Indulgentia indiscreta fert prajudicium. In dubio an indulgentia sit indiscreta fieri debet stricta interpratatio.*
704 *Causa justa præsumi debet.*
705 *Ex regulis Cancellariæ habetur per locum á contrario sensu, quod concessio indulgentiarum latè interpretanda esset, nisi per illas regulas fieret restrictio.*
705 *Aliqua regulæ antiqua ablata.*
706 *Prima opinio est vera per se: concessio Indulgentiæ est favor late interpretandus.*
707 *Potestas concedendi Indulgentias, sicut & potestas dispensandi est favor.*

696. Esse enim favorabilem, & latè explicandum volunt Gloss. *in Clem. un. de reliq. & vener. SS. verb. confess.* Sylv. *verb. Indulgentia num.* 8. 20. & 22. Ang. *numer.* 2. Corduba *quæst.* 19. *dub.* 1. Bolcg. *de Indulg. num.* 97. Fœlin. *num.* 25. *R. P. D.* Fagnan. *in cap. quidem num.* 26. & 27. *de celebrat. missarum* Sylv. *in* 3. *par.* D. Thom. *quæst.* 25. *supplem. art.* 2. *quæst.* 2. Cotton. *lib.* 2. *contr.* 11. *num.* 86. Palaus *tract.* 24. *par.* 4. *num.* 5. Nugnus *in supplem quæst.* 27. *ar.* 4. *d.* 3. quia est beneficium Principis latissimè interpretandum, *cap. olim de verb. signif. & l. ult. ff. de constit. Princ.* Tum quia est opus misericordiæ afferens commodum ei, cui conceditur, & nulli inferens nocumentum, quia Deo fit integra solutio, & quidem, ex potestate data à Christo, & thesaurus Ecclesiæ non diminuitur, nec Ecclesia læditur, quæ imo per purior, & Deo gratior in membris suis per hanc remissionem redditur.

697. Sed alii concessionem Indulgentiarum inter odiosa numerandam esse dicunt Innoc. & Host. *in cap. licet de transl. Episc.* Nauar. *notab.* 7. *num.* 8. & 9. Palud. 4. *d.* 20. *quæst.* 4. *art.* 1. Bald. *in sua Margarita v. Indulgentia.* Tum quia in Concil. Lateranen. sub Innoc. III ut patet *cap. ex eo de pœnit. & remiss.* facta est magna Indulgentiarum restrictio, ex eo quia per indiscretas Indulgentias enervatur sacramentalis satisfactio, unde ob hanc causam indulgentiarum concessio inter odiosa debet numerari. Tum secundo ex praxi curiæ, quia Indulgentia concessa alicui Ecclesiæ singulis annis restringitur ad 20. annos juxta regulam 57. Imo ad duos, vel tres, aut quatuor annos juxta diversas formas respondendi Pontificum juxta regulam 59. & indulgentia concessas alicui loco de novo nulla est non

facta

facta mentione prioris juxta regulam 58. quæ omnia limitationem important, unde signum est praxim Curiæ esse, quod cum limitatione fieri debeat indulgentiarum interpretatio. Tum tertio quia in concessione indulgentiarum fit dispensatio in divino jure, dispensatio vero inter odiosa computari debet *cap. 1. & 2. de fil. Presbit.* Nam exorbitans est, & odiosum, quod pars à toto in observatione communis legis discordet. Et quia per dispensationem relaxatur jus, & sic paulatim remittitur rigor disciplinę, quod fieri de facili posse per indulgentias habetur *d. cap. ex eo.* Tum quia in indulgentia accipitur, vt sic dicam, æs alienum ad solvendum alterius debitum.

698. Alii vero distinguunt inter potestatem concedendi indulgentias, & actualem concessionem, & dicunt illam esse strictæ interpretationis, istam vero favorabilis. Nam potestas ista allegata est justæ causæ etiam quantum ad sui valorem unde ex natura sua petet restringi ad mensuram justæ causę. Item quia potestas dispensandi in jure divino ex communi regula restringenda est, ut patet in dispensatione votorum, & iuramentorum, & rituum sacramentorum. Unde Episcopis hæc potestas cum maxima limitatione est concessa. Tum quia habens hanc potestatem ea uti debet cum maxima moderatione, & potius inclinando ad rigorem, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina relaxetur. Conc. Trid. *sess. 25. in decreto de Indul.* Sed actualis concessio Indulgentiæ inter favorabilia numerari debet, quia ubi de concedentis potestate non est dubium, si spectemus indulgentiam, ut est à voluntate favor est, & gratia, & ideo amplianda, & extendenda quantum patitur significatio verborum.

699. Respondetur omnes has opiniones ex parte veras esse, sciendum enim quod rescriptorum quædam sunt simpliciter odiosa quia sunt illativa pœnæ alicujus. Ad quæ etiam reduci possunt quæ concedunt id, quod alias sapit aliquid mali, sicuti sunt rescripta concedentia pluralitatem beneficiorum, quæ in jure valde odiosa, & strictissimè intelligenda censentur, quia pluralitas beneficiorum sapit ambitionem, & avaritiam. Alia vero sunt, quæ sunt mixta, quia concedunt, quod est honestum, & utile ei cui conceditur, sed illud habet adjunctum aliquod præjudicium tertii, sive illud tertium sit persona privata, sive sit bonum universitatis, sive sit lex. Sic enim dispensatio est bona, & bonum concedit, sed præjudicat legi, quam relaxat. Sic si aliquid concedatur sine mensura, ubi mensura causæ justæ est servanda, fit præjudicium legi imponenti mensuram. Sic etiam si conceditur aliquid non servatis circumstantiis, & præcipuè tunc, cum potest esse occasio data alicuius mali, ex mala circumstantia fit præjudicium bono communitatis.

700. Sic igitur concessio indulgentiæ non est odiosa, quia inferat pœnam, quin imò pœnam remittit, nec quia concedat id, quod sapit malum quia est honestissimæ rei, scilicet pœnarum remissionis liberalis concessio. Nulli verò personæ fit præjudicium, quia remissio pœnæ personalis unius non præjudicat alteri. Nec verò proprie fit præjudicium sacramento pœnitentiæ, aut satisfactioni in eo injunctæ, quia ei satis fit per æquipollens. Nec ex vi institutionis illius sacramenti est, ut satisfactio in eo injuncta non possit per superiorem, & specialem concessionem Christi suppleri per æquipollens. Nec præceptum Confessoris est adeo absolutum ex natura sua, ut excludat indulgentiam. Unde in hac parte nulla lex relaxatur, vel in aliqua dispensatur, quia præceptum, & lex sacramenti pœnitentiæ non compræhendit seu prohibet hunc casum.

701. Dicunt fieri præjudicium legi non admittenti satisfactionem novi peccati ex alienis præteritis satisfactionibus. Sed non probatur dari legem positivam prohibentem hujusmodi modum satisfaciendi, quamvis non adsit lex naturæ, quæ hoc positivè concedat, & si concessit Christus hanc potestatem satisfaciendi ex thesauro similium satisfactionum fuit hoc favor, & concessio, non vero fuit, dispensatio in aliqua lege. Et dato quod fuisset dispensatio, hæc fuisset jam facta, & indulgentia non esset ex hoc dispensatio, sed usus dispensationis jam factæ, exercitium gratiæ jam concessæ, quæ gratia si esset dispensatio jam attulisset contra legem, quam relaxaret, præjudicium indivisibile, nec habens latitudinem, & quod ferret quælibet indulgentia, unde illud præjudicium non potest præbere materiam strictioris interpretationis, quia per maiorem indulgentiam non magis relaxaretur illa lex quam per minimam, cum quælibet indulgentia sit absolutio facta ex vi thesauri alienarum, & præteritarum satisfactionum, quod dicitur esse illa lege prohibitum, & in ordine ad quam legem materialiter & per accidens se habet, quod remissio facta ex dicti thesauri dispensatione sit parvæ, vel magnæ pœnæ. Sed neque fit præjudicium bono communi Ecclesię, cuius thesaurus dispensatur.

702. Nam pręter quam quod thesaurus est immensus exhauriri, aut diminui non potest, dicitur quod dispensatio thesauri ex justa causa redundat in maximam Ecclesiæ utilitatem, quę ex hoc in membris suis est purior, & Deo magis grata, nec præjudicium fit, sed utile affertur dum ad finem ad quem thesaurus est collectus, idem thesaurus dispensatur. Unde est, quod neque dici debet, quod per indulgentiam, fit satisfactio Deo de alieno, quia hic thesaurus constans ex meritis Christi capitis, & Sanctorum, qui sunt de Ecclesia non est bonum omnino alienum, sed est bonum commune, & sic, jam satisfactio fit de communi bono, ex juxta causa dispensato, quod nullam habet deformitatem, aut odii saporem, nam imo justum prorsus, & æquum est, ut quando adest justa causa membra communitatis bonis fruantur communibus ad hunc finem collectis, & ordinatis.

703. Ex duplici ergo causa solum potest esse quod indulgentia possit ferre præjudicium legi, & Ecclesiæ, ex qua indulgentia est indiscreta, scilicet vel quia sit concessa sine causa iusta, & proportionata, vel quia alias ex aliqua circumstantia est alicuius abusus, aut mali occasio, unde imprudenter concessa. Sed primo modo jam indulgentia non est indulgentia, quia deficiente causa justa indulgentia est invalida, & sic jam non est vera, sed falsa indulgentia, & sic est indulgentia indiscretissima, & inanis. Secunda verò causa accidit indulgentiæ, malitia enim, quæ in actu est ex circumstantiis, accidit actui, nec facit, quod actus secundùm se sit præjudicialis, sed solum per accidens est indiscreta. Sola ergò indulgentia indiscreta fert præjudicium Ecclesiæ, & legi. Ideo hic distingui debet, quia vel est dubium, an indulgentia possit esse indiscreta, & tunc stricta debet fieri interpretatio, ut excludatur quantum fieri potest illius indiscretio. Et sic quia Indulgentia data non ex causa proportionata adhuc est valida pro ea parte, pro qua est ex causa propor-

portionata, in dubio an causa sit proportionata ad totum intelligenda erit indulgentia strictè, & ut sit vera ex parte.

704. Quamvis hic aliud sit advertendum, nimirum quod causa justa, & proportionata debet presumi, quia non debet præsumi, quod Papa agat injustè, & invalidè, undè stricta interpretatio non habebit locum nisi in casu valde, difficili, in quo adsit motivum pugnans contrà dictam præsumptionem, & illam infirmans taliter, ut dubium adhuc remaneat, an Indulgentia sit ex causa proportionata. Et tunc adhuc Indulgentia non erit censenda invalida quoad totum positivè, quia potest esse, quod sit ex parte valida, cum causa illius sit dubia. Sed non habenda erit ut valida quoad totum, quia non constat, quod quoad totum causa sit proportionata. Si autem Indulgentia est indiscreta solum per accidens, quia imprudenter concessa, aut quia de facto esset alicuius mali occasio nihilominus si constaret de scientia concedentis, Indulgentia, & esset valida, & non esset restringenda per interpretationem privatam, cum non restricta manasset ex scientia, & voluntate concedentis, sed tunc fidelium esset ea non abuti, & concedentis illam revocare, aut moderari, prout necesse esset ad vitandum malum, & præjudicium.

705. Sic ergo motiva secundæ sententiæ manent soluta, quia sola Indulgentia indiscreta est perniciosa, ut expresse habetur ex *d. cap. ex eo*, & ex Concil. Trid. *loco citato*. Et ideo Ecclesia limitatam facultatem concessit Episcopis ad concedendum Indulgentias, & Pontifices regulas tradiderunt Cancellariæ restringentes usum concessionis indulgentiarum ad fugiendum periculum indiscretionis in concedendis indulgentiis. Et nihilominus ex hoc per locum à contrario sensu colligitur, concessionem indulgentiarum non petere strictam intelligentiam, quia nisi Pontifices restrictivam posuissent, communis intelligentia locum habuisset. Imo advertendum, quod regulæ illæ Cancellariæ 57. & 59. ad minus à tempore Gregorii XIII. ablatæ sunt, & reductæ ad duas, per quas decernitur, ut fieri debeat mentio prioris Indulgentiæ, si aliqua ab eodem Pontifice concessa fuit, & quod non dentur Indulgentiæ ad instar nisi specificentur. Sic enim habetur in Regulis Cancellariæ, sub Gregorio XIII. & sub Sixto V. & sub Alexandro VII. & sub B. Papa Clemente IX. & sub Sanctiss. D. N. Clemente X. quas apud me habeo.

706. Et sic prima opinio absolutè vera est, secunda vero deficit, quia non distinxit inter Indulgentiam indiscretam, & discretam, & non consideravit, quod accidit Indulgentiæ indiscretio, & taliter quod indiscretio vel indulgentiam tollit, vel illi omnino accidit, & ideo per se Indulgentia est favor, nulli ferens præjudicium, quod petat strictiorem interpretationem.

707. Tertia etiam opinio bene distinxit inter potestatem, & actualem concessionem, & non benè asseruit potestatem concedendi Indulgentias esse strictè interpætandam. Nam imò indubitatum est, quod potestas concedendi Indulgentias, sicut etiam potestas dispensandi est favor, quod nulli fert præjudicium, sed imò est quid vel necessarium, vel valdè utile Ecclesiæ, quod non est ex hoc per se odiosum, quia possit quis abuti illa potestate, quia hoc valde accidentarium est illi. Solus igitur abusus potestatis, & sic in proposito actualis concessio Indulgentiæ potest esse perniciosa, & strictè intelligenda, si ferat præjudicium. Sed actualis concessio Indulgentiæ hoc non fert ex se, sed solum si ex accidenti sit indiscreta. Et propterea jura non nisi contra indiscretas Indulgentias clamant.

QUÆSTIO XCIV.

Vtrum forma Indulgentiæ tantum valeat, quantum sonat.

SUMMARIUM.

708 *Variæ opiniones*. 709. 710.
711 *Non est infallibile, quod omnis Indulgentia sit ex iusta causa.*
712 *Excessus aliquorum contra valorem indulgentiæ.*
713 *Clave non errante indulgentiæ tantum valent quantum sonant.*
714 *Præsumi debet indulgentias dari clave non errante.*

708. HOc absolute negarunt aliqui dicentes, Indulgentia, non tantum valere quantum pronunciantur, sed pro mensura devotionis, & fidei unusquisque, Ecclesiam vero ad hoc ita pronunciare, ut pia fraude homines ad benefaciendum alliciat. Hanc vero sententiam rejecit D. Thom. *4. dist. 20. quæst. 1. art. quæst. 2.* & communiter improbabilis, & omninò falsa judicatur. Nihil enim infidelitatis, aut fraudis admitti debet in prædicatione Ecclesiæ, aliter periret prorsus Ecclesiæ authoritas, ut de Sacræ Scripturæ authoritate, quod periret, si in ea aliqua fraus, aut infidelitas reperiretur, conclusit S. August. *Epist. 2.* ad Hieron.

709. Alii nihilominus negarunt Indulgentias tantum valere, quantum pronunciantur, volentes eas valere secundum justam prudentis æstimationem. Sed hanc quoq; opinionem reiicit D. Thom. & cum eo DD. quia fundatur in falso principio, quod scilicet Indulgentia non valeat ad remissionem pœnæ, sed solum ad quamdam pœnæ commutationem factam secundum justum valorem operis injuncti cum tamen Indulgentia sit pœnæ remissio facta secundum proportionem ad satisfactionem Christi, & Sanctorum, quæ de thesauro Ecclesiæ dispensatur. Et prætereà non evitaretur mendacium, & infidelitas Ecclesiæ concedentis v. g. Indulgentiam centum annorum, si totum hoc concessum clave non errante non obtineretur.

710. Propterea alii, ut hæc inconvenientia vitarent, dixerunt semper, & infallibiliter obtineri totum id, quod per verba significatur concedi, quia putant vel ad valorem Indulgentiæ non esse necessariam causam, vel existimant illam infallibiliter semper adesse, quando Pontifex absolutè concedit Indulgentiam, quia aliter Pontifices deciperent absolutè promittentes id, quod non nisi sub occulta & tacita conditione potest obtineri. Sed, & ipsi errant, quia quando conditio est ex natura rei per se necessaria, non est necesse illam exprimere, sed semper subintelligitur, etiam si promissio, aut concessio absolutè proponatur. Neque per hoc promittens, aut absolutè concedens est infidelis, aut decipit, quia promissio quamuis in verbis absoluta intelligenda semper est ut conditionata ea conditione, quæ ex lege, & natura rei est ad valorem

rem promissionis necessaria. Sic in Sacramento Pœnitentiæ absolutio absolute prolata remanet sine effectu, ex defectu dispositionis in pœnitente. Sic in sermone communi millies accidit, quod promissiones absolutæ frustrentur effectu, quia deficit aliqua subintellecta conditio.

711. Modo cum ad valorem Indulgentiæ requiratur pia causa, & proportionata hæc in facto potest deesse ex concedentis errore. Neque enim est infallibile judicium Pontificis inarbitranda in particulari causa necessaria ad valorem Indulgentiæ prout latè probant Caiet. *tom.* 1. *opus tract.* 9. *quæst.* 2. Suarez *disp.* 56. *sect.* 3. *numer.* 2. *&* 6. Cordub. *quæst.* 22. Quia tale arbitrium non est de pertinentibus ad fidem, sed est de quodam facto particulari spectante ad prudentiam in quo Pontifex non habet infallibilem assistentiam Spiritus Sancti sed in his tantum, quæ ad doctrinam fidei, & morum pertinent juxta illud Luc. 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*. Non est igitur infallibile, quod Indulgentia totum effectum suum efficiat, quem significat, quia potest esse, quod non adsit causa proportionata ad totius illius effectus assecutionem.

712. Ideo alii hoc considerantes de facto multas Indulgentias concessas à Pontificibus damnant, ut indiscretas, easque inanes judicant, Ex quibus aliqui, quos refert Suarez *disp.* 56. *sect.* 53. *num* 4. dixerunt, quod solus Christus potest illam tot dierum, & annorum mille millium Indulgentiam concedere, qualis postea reperitur in diversis concessionibus Summorum Pontificum, vel aliorum sub variis temporibus, locis, & causis. Sed isti excedunt, & procul dubio rejiciendi sunt, neque enim fas est negare id posse fieri à Pontificibus quod ex illorum usu fit, & nihilominus additur, multas ex his Indulgentiis esse apochrifas, & falsas, nec verè à Pontificibus concessas. Et ut tales à S. Congregatione S. Officii declaratæ fuerunt.

713. Dicitur igitur quod clave non errante infallibile prorsus est Indulgentiam ex se tantum valere quantum pronunciatur D. Thom. 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. Albert. *eadem dist. art.* 17. Innoc. Quintus *quæst.* 3. *art.* 3. Durand. *quæst.* 4. *num.* 39. Palud. *quæst.* 4. D. Anton. *par.* 1. *tit.* 10. *cap.* 3. *§.* 3. Turrecrem. *§. item in Levitico de pœnit. dist.* 1. *art.* 4. *numer.* 23. Bologn. *de indulg. numer.* 78. Panorm. *cap. quod autem num.* 8. *de pœnit. & remiss.* R. P. D. Fagnan. *cap. quidam numer.* 28. *de celebrat. missar.* Suarez *disp.* 56. *sect.* 3. Cord. *quæst.* 22. Palaus *tract.* 24. *par.* 4. *num.* 8. Nugnus *in supplem. quæst.* 27. *art.* 1. *diff.* 3. & cæteri Doctores communiter. Et hoc est indubitatum, quia clave non errante non deficit in concedente, vel potestas, vel voluntas ad infallibilem valorem totius illius, quod per verba conceditur, igitur ex parte sua Indulgentia tantum valet, quia tantum valet quantum concedens potest, & vult, ut valeat, quantum significat eam valere. Neque per hoc sequitur, quod Pontifex possit fideles omnes liberare ab omni obligatione satisfaciendi, vel omnes animas Purgatorii ab illis pœnis eripere, quia non datur causa sufficiens ad hujusmodi universales remissiones, quæ causa si fingatur, admittitur quod ea causa data possit Pontifex universales hujusmodi remissiones facere.

714. Dicitur secundo præsumi non posse, nec debere, quod Indulgentia data sit clave errante, ut quod vel desit justa causa, vel voluntas concedendi, quod concedi significatur. Quia superioris factum, & maximæ Summi Pontificis semper præsumendum est legitimum, cui à Deo conceditur specialius auxilium ad Ecclesiam gubernandam *cap. qui autem* 17. *quæst.* 4. ubi Gloss. *& in cap. Nonnos* 40. *dist. & in cap. par.* 93. *dist.* Tum quia vix contingere potest, quod Indulgentia concedatur sine respectu ad causam piam, quia oppositum nequit fieri sine magna vel malitia, vel ignorantia, quæ in Pontifice præsumi non possunt, & sic semper Indulgentia erit quantum ad aliquid valida. At vero ulterius difficile est velle judicare, an causa sit proportionata, quia in concessione non exprimitur tota causa, quæ sæpius attenditur ex speciali respectu ad bonum commune, qui non exprimitur, unde privati homines non possunt judicare de proportione causæ ad Indulgentiam concessam, sed eam præsumere debent. Eo magis, quod ad valorem Indulgentiæ non requiritur nisi causæ proportionata secundum prudens arbitrium concedentis, unde dato quod arbitrium concedentis esset materialiter deficiens, non tolleretur valor Indulgentiæ, non est vero præsumendum imprudens arbitrium in Pontifice.

QUÆSTIO XCV.

Quomodo intelligi debeant clausulæ aliquæ, quæ ponuntur in literis Indulgentiarum.

SUMMARIUM.

715 *Quodnam sit tempus, quod incipit à primis vesperis.*
716 *Quodnam sit tempus occasus Solis.*
717 *Oratio 40. horarum qualiter debeat esse non interpollata.*
718 *Nihil potest dari pro Indulgentiis & 719.*
720 *Debet fieri mentio Indulgentiæ priùs concessæ.*
Litera data ante elapsum tempus primi septennii non valent.
721 *Sufficit si per ipsum concedentem nulla alia Indulgentia sit concessa.*
Nisi aliud exprimatur.

715. DUm conceditur Indulgentia pro alicujus festi celebratione solet apponi clausula. *A primis Vesperis usque ad occasum Solis*, per quam significatur, quod tempus, in quo acquiri potest Indulgentia, seu operari ad illius consecutionem incipit à primis vesperis in vigilia festivitatis, durat usque ad occasum Solis ipsius festi. Terminus igitur, à quo est tempus primarum vesperarum. Hoc autem necessario non est tempus, quo vesperæ sint cantatæ, vel etiam sint inchoatæ, vel ad eas cantandas sit pulsata campana, sed est tempus, quo ex probato usu solent, aut possunt in illo loco, quo datur Indulgentia cantari vesperæ. Quintanad. *in append. tract.* 3. *dub.* 3. *tom.* 1. Tobat. *tract. de Iubil. cap.* 22. *numer.* 650. quos sequuntur Diana *par.* 10. *res.* 4. Cotton. *lib.* 2. *contr.* 11. *num.* 84. Addit verò Diana ex Gobat. quod tempore quadragesimæ hujusmodi vesperarum tempus incipit ante meridiem hora nona, aut media decima ante meridiem.

716. Terminus vero, ad quem est occasus Solis. Voluit tamen Quintanad. *ubi supra dist.* 4. quod indulgentia concessa usque ad occasum Solis terminetur finito completorio. Sed dicendum est cùm Gobat. Diana, & Cotton. quod terminatur in puncto in quo horizon planus (neque enim montium habenda est ratio) solem secat, aut statim post quàm sol totus plenè occubuit.

717. Quando etiam conceditur indulgentia pro oratione quadraginta horarum, aliquando ponitur clausula, dummodo oratio non sit interpollata, sed continua. Ad hoc vero sufficit, quod unus saltem sit, qui oret quia non requiritur comprecatio, sed oratio. Et quod intervallum sextæ unius horæ non discontinuet moraliter orationem, imò, quod nec physicè discontinuetur oratio, si continuò in Ecclesia genuflexi modestè aliqui maneant, etiam si vel non orent, vel distractius voluntariè orent, quoniam secundum usum loquendi oratio quadraginta horarum dicitur durare, quamdiu aliquis est in templo per modum supplicantis, & religiosum cultum exhibentis Deo, qualis cultus est genuflexio ut dixit Gobat. in Thesacor. *p. 2. cap. 37. quæst. 95.* & *in tract. de Iubileo cap. 22. quæst. 60. numer. 150.* Et ex eo Diana *d. tract. 16. resol.* 4. & Cotton. *lib. 3. cont.* 10. *n.* 4.

718. In litteris etiam indulgentiarum, quæ quotidie expediuntur, solet poni hæc, vel similis clausula. *Volumus autem, quod si pro præsentatione, admissione, vel publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, vel sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint eo ipso*. In hac verò clausula deficit unum verbum, quod solet poni, scilicet *pro impetratione, &c.* Hac vero clausula non obstante Notatiis, Abbreviatoribus, Referendariis, vel aliis officialibus qui sine ulla mora, & alacriter præsentarunt, expedierunt, aut publicarunt Pontificium indultum, posse aliquid dari tum ratione gratitudinis, tum titulo laboris, tum ratione sustentationis, tum titulo redimendæ vexationis, dixit Quantanad. *tract. 2.* Append. *dub. 5. num. 5.* apud Dianam *part. 9. tract. 2. resol. 28.* qui relata in contrarium sententia Duallii *in par. 2.* D. Thomæ *tract. de indulgentia quæstion. unica capit. 8.* dixit esse cogitandum.

719. Sed simpliciter dicendum est non licere ex aliquo ex prædictis titulis, aut alio dare præfatis ministris aliquid pro supradictis actionibus. Nam mens Pontificis satis est manifesta, & aperta, ut nihil detur, & nihil etiam sponte oblatum recipiatur, unde etiam qualibet liberalis donatio, aut datio prohibetur ad vitandum quemcumque simoniæ effectum, aut speciem, cum alias etiam hujusmodi ministri sua habeant stipendia, unde etiam scripturam, & papyrum Pontifex gratis dari vult. Sed prætereà adest ulterius constitutio Sanctissimi D. N. Alexandri Septimi de datis, & acceptis, per quam Ministris, & officialibus Curiæ Romanæ prohibetur dare, vel accipere, pro gratia, & justitia in ea Curia obtinenda, & per quam expresse prohibetur dare, & recipere etiam ex præfatis titulis Cotton. *lib. 2. contr. 11. num. 31.* ubi *num. 92.* advertit non comprehendi Procuratores, qui negotium suplicantium gerunt. His enim ordinarium, & debitum stipendium dare non est prohibitum. In hujusmodi etiam in literis aliquando apposita fuit hæc alia clausula. *Volumus autem si alias à Christi fidelibus etiam Ecclesiam visitantibus aliquam aliam indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, præsentes nullæ sit.* Est autem hic primò difficultas, an clausula ista intelligi debeat de quacumque alia Indulgentia, vel potius solum de alia simili, quæ scilicet sit data pro eodem die, & festo, quia dictio alia est repetitiva similium, ut dixerunt Lezana *verb. clausula num. 25.* Naldus *eodem verb.* Gavant. *in manual. Episc. verb. Indulgentia num.* 7. Gobat. *part. 2. cap. 6. num.* 317. Diana *p. 6. tract. 8. resol. 31.* Quintanad. *in Append. tract. 2. d. 4. num.* 4. Martinus de S. Joseph *in moni. Confess. tom. 1. lib. 2. tract.* 10. *numer.* 10. Jordanus *tom. 1. lib. 5. tit. 6. numer.* 71. Pax Jordan. *tom. 1. lib. 5. tit. 16. numer.* 71. Sed certe in hoc verba literarum Apostolicarum inspici debent. Nam sub Vrbano Octavo posita fuit hæc alia clausula. *Volumus autem si alias Christi fidelibus in quocumque Anni die dictam Ecclesiam, seu Cappellam, aut Altare in ea situm visitantibus aliquam aliam Indulgentiam etiam dissimilem perpetuo vel ad tempus &c.* Et propterea Diana *p. 10. tract. 16. resol. 11.* ex Sylvio in variis resolut. *p. 2. verb. Indulgentia* existimat omnem Indulgentiam includi, & Indulgentiam de novo concessam esse irritam, si pro quocumque ullo alio die Indulgentia fuit concessa. Sed regula Cancellariæ 54. Sanctiss. D. N. Clementis X. tollit difficultatem istam. Hæc enim est regula. *Item voluit, quod in litteris Indulgentiarum ponatur, quod si Ecclesia, vel Cappella aut aliàs aliqua Indulgentia fuerit per ipsum concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit, hujusmodi litera sint nulla.* Hic enim non est dictio *alia*, sed *aliqua* quæ est præcisa, & omnia comprehendit Aymon. *cons. 294. num.* 4. Rota *decis. 357. num. 5. p. 1. divers.* Et ideo sensus est, quod si alias quæcumque Indulgentia concessa fuit ab eodem Pontifice eidem Ecclesiæ, vel Altari, posterior concessa, non facta prioris mentione sit nulla.

720. Alia difficultas est, an si ante elapsum tempus concessæ prioris Indulgentiæ impetretur alia, sit nulla impetratio, verbi gratia si Indulgentia concessa ad septennium, qui novam Indulgentiam impetret non completo septennio, an hæc nova concessio dicenda sit irrita. Negat Diana in simili loquens de Altari privilegiato *p. 9. tract. 2. resol.* 10. Cotton. vero *lib. 2. controv. 11. numer.* 95. hoc temperat, ut sit verum, si non multo, sed parvo tempore anticipetur nova impetratio considerata distantia loci, ut non sit irrita nova impetratio pro Altari privilegiato, si impetretur ante tempus, itaut litteræ per mensem ante perveniant ad locum, quam sit finitum primum septennium, vel si pro festo die impetratæ sint literæ ante ultimam festivitatem. Zipeus autem *tom. 2. lib. 5. tit. de pœnit. & remiss. resp. 5. num.* 4. dubitat, & rem securam, non putat. Sed dicitur absolute, quod literæ sunt subreptitiæ, & nullæ. In rescriptis enim Apostolicis dies datæ attendi debet, & ideo si tempore datæ non est expletum tempus primi septennii, & de hoc non fit mentio in literis posterioribus, deficit conditio, sub qua literæ expediuntur, & ideo literæ non valent.

721. Tertia difficultas est de verbo *concesserimus*, an sit personale. Tale enim esse, & significare personam concedentis, non verò Sedem Apostolicam, ideoque ad valorem novæ Indulgentiæ sufficere, si alia Indulgentia eidem Ecclesiæ ab eodem Pontifice non fuit concessa, nonobstante, quod aliqua fuerit concessa ab Antecessore tenent Palaus *tract. 24. p. 4. numer. 13.* Bonac. *disp. 16. quæst. 1. part. 7. circa finem*, & Palaus censet *idem* dicendum esse de ista clausula

si ali-

si aliqua indulgentia fuit concessa, secus vero si dicatur si aliqua indulgentia fuit per Sanctam Sedem concessa. Cotton. *lib. 2. contr. 11. num. 96.* putat vitiari novam indulgentiam, si alia similis fuit concessa ab Antecessore sed ex regula moderna Cancellariæ super relata tollitur difficultas considerata illa particula, *aliqua indulgentia fuerit per ipsum concessa*. Dictio enim *ipsum* est personalissima & significat personam immediatam Soccin. sen. *in l. Gallus §. instituens. num. 5. ff. de liber. & Phosch.* Menoch. *cons. 215.* Rota *decis. 707. nu. 9. p. 2. recent.* & sic pro conditione requiritur solum, quod per personam concedentis novam indulgentiam aliqua alia non fuerit concessa, Verum attendi debent literæ Apostolicæ, & diligenter considerandæ. Nam vidi literas Apostolicas datas cum hac clausula. *Volumus autem si alias vobis, & aliis pñ. dictam Cappellam, seu Oratorium, aut Altare hujusmodi visitantibus in aliquo alio anni die aliqua alia indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duratura, etiam in erectione, & quocumque alio modo quantumlibet privilegium concessa fuerit. Vel si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquod vel minimum detur, aut etiam sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint*. Ex cujus clausulæ vi nullæ sunt literæ de novo concessæ, si aliqua alia indulgentia Altari illi sit etiam ab aliis Pontificibus concessa.

QUÆSTIO XCVI.

Quid sit Indulgentia ad instar.

SUMMARIUM.

722 *Privilegium ad instar quale sit.*
723 *Privilegium ad instar multis modis conceditur.*
724 *Privilegium ad instar non cessat aut minuitur cessante, aut diminuto exemplari.*
725 *Privilegium triplici modo communicatur, quod fit per extensionem duplici modo.*
726 *Privilegium communicatum per novam concessionem est privilegium ad instar.*
727 *Quæ, & quotuplex est indulgentia ad instar.*
728 *Qualiter indulgentia ad instar cesset, vel non cesset.*
729 *Regula Cancellariæ.*
730 *An sit exorbitans à jure.*
731 *Sæpè expendiuntur literæ communicationis indulgentiarum sine prorsus specifica expressione.*
132 *Regula illa non est de dandis.*
733 *Cancellaria concedens indulgentias ad instar sine specificatione derogat regulæ Cancellariæ.*
734 *Difficultas proponitur.*
735 *Indulgentia Iubilei non est remissio, nisi pœnarum iniunctarum, vel iniungendarum.*
736 *Indulgentia ad instar jubilei non continet alios favores, nisi exprimantur & 737.*
738 *Particula ad instar jubilei ponitur ad majorem expressionem.*
739 *Indulgentiæ ad instar data per solam extensionem cessant cessante originali.*

722. DE hujusmodi indulgentia loquitur moderna regula Cancellariæ 54. Ex iis vero, quæ dicuntur de privilegio ad instar potest explicari, quid sit indulgentia ad instar. Dictio vero ad instar importat similitudinem, sed non qualemcumque, sed exemplari ad exemplar, & sic imago Petri dicitur picta ad instar Petri. Unde privilegium ad instar unum supponit, & aliud importat, supponit enim, quod alicui alteri sit concessum privilegium, sed importat communicationem factam alteri sed exemplatam à privilegio alteri competenti. Itaque privilegium ad instar est privilegium concessum alteri ad similitudinem, & imo ad æqualitatem privilegj concessi alteri. Et ita quod omnem extensionem, & limitationem, quam habet alterius privilegium, puta privilegium Petri, habeat etiam Privilegium ad instar privilegii Petri concessum Paulo, aliter privilegium ad instar non esset perfectum, sed imperfectum, & secundum quid, si non adesset inter hujusmodi privilegia similitudo, & perfecta æqualitas. Novar. *de Iubil. not. 26.* Mardol. *de privil. ad instar. quæst. 4.* Suarez *de leg. lib. 8. cap. 15. num. 2.* Bartol. *in l. omnia C. de Episc. & Cleric.* Bonac. *disp. 1. quæst. 3. p. 7. num. 20.* Paulus *tract. 3. disp. 4. par. 2. §. 8. numer. 1.* Tambur. *de jur. Abb. disp. 17. quæst. 5.* Peyr. *ad constit.* Pyrrhi *5. 11. num. 2.* Donatus *p. 1. tract. 3. quæst. 1.*

723. Sed hoc privilegium ad instar potest concedi vel per verba generalia reconcessa non specificata, vt si dicatur concedo tibi, vt ad instar Petri fruaris ejus privilegio, vel per verba expressa, & significata vt si dicatur concedo tibi facultatem commutandi vota &c. ad instar illius, quam habet Petrus, privilegium priori modo concessum dependet in sui valore à veritate privilegii Petri, quia cum nihil in specie concedatur, nisi similitudo ad id, quod competit Petro, quia similitudo non est cessante termino, ideo nihil conceditur, si in Petro nullum est privilegium, ad cujus instar alter sit privilegiatus. Nam & alias privilegium debet esse de re certa, & determinata *l. si sic legatum §. si mihi ff. de leg. 1.* Suarez *d. cap. 15. num. 6.* Bonacc. *d. numer. 20.* Palaus *d. §. 8. numer. 2.* Imo privilegium ad instar, quod per verba generalia datur, & refert se super eo, de quo in privilegio concedentis per se clare non constat, est nullum, nec valet nisi illa relatio declaretur per illud, ad quod fit relatio *l. si sic §. 1.* & ibi per Dym. & Bart. *ff. de legat.* & in *l. legavit ff. de lib. leg.* ubi habetur, quod si concedo tibi quidquid juris habeo in tali loco, si non apparet, quid juris ibi habeam, nihil tibi est concessum. Felin. *cap. ex parte l. 1. numer. 11. de rescript.* quæ tamen in sensu expresso suprà intelligi debent, non quia hoc privilegium, sic per verba generalia datum sit ipso jure nullum, sed quia ut nullum est habendum, nisi constet, & probetur de privilegio, ad cujus instar aliud privilegium conceditur. Sed si datur privilegium in forma expressa, etiam si nullum sit privilegium v. g. in Petro, valet concessio facta Paulo ad instar privilegii, quod supponitur esse, & non est in Petro, quia privilegium esse in Petro non accipitur, vt conditio sub qua concedatur privilegium Paulo, sed enunciatur gratia exempli Felin. *in cap. Quoniam* Abb. *de offic. Delegati num. 11.* Horat. *Mand. de privil. ad instar. quæst. 5.* Suarez *d. c. 15. num. 7.* Bonac. *d. num. 20.* Palaus *d. §. 8. nu. 4.* Donatus *d. tr. 3. q. 4.*

724. Inde est quod privilegium ad instar, si semel

eius exemplar fuit verum, nihilominus in sui duratione, aut consistentia, & immutata permanentia non pendet ab exemplari, sed esto is, ad cujus instar est alteri concessum privilegium minuatur, aut etiam augeatur, nihilominus privilegium ad instar immutatum manet, quia in suo conservari non pendet ab exemplari Arg. *l. 2. ff. de condit. & demonstrat.* Mandos. *quæst. 6. & 9.* Suarez *d. cap. 15. num. 3. & cap. 16. num. 17.* Bonac. *d. num. 20.* Rodriq. *tom. 1. quæst. 9. artic. 9.* Peyr. *d. §. 11. num. 2.* Paulus *d. §. 8. numer. 4.* Tambur. *dicta quæst. 5. num. 3.* Donatus *d. tr. 3. quæst. 2. & 3.* Panorm. *cap. ult. de Cleric. vel Monach.* Bald. *in l. omnia quæst. 2. C. de Episcop. & Cleric.* Quod tamen est verum nisi, Princeps concedens privilegium simul expresse vellet, quod privilegium ad instar mensuraretur in sui valore, & perseverantia ab exemplari.

725. Cum privilegio verò ad instar coincidere potest privilegium communicatum. Sed advertendum est, quod tribus modis communicari privilegium. Primo modo per extensionem ejusdem privilegii ad plures personas, ita quod non sit nova concessio privilegii directè, & ex intentione Principis, sed sit ejusdem privilegii extensio ad alias personas æquè, & principaliter. Hic enim non fit nova concessio privilegii, sed aggregatio plurium personarum ad ejusdem privilegii communicationem. Et hoc modo aucto, vel diminuto privilegio in illis, quibus primo concessum fuit, augetur etiam, aut diminuitur in illis, ad quos fuit extensum; Secundo modo fuit comunicatio privilegii pariter per extensionem ad alias personas, sed secundariò, & necessariò, sicut multa Mendicantium privilegia extensa sunt ad ejus familiares consanguineos, & servientes. Et quia naturam principalis sequitur accessorium, ideo cessante privilegio in principali, vel aucto vel diminuto, cessat etiam, aut augetur, seu diminuitur in illis, ad quos accessoriè fuit extensa.

726. Tertio communicatur privilegium non per solam extensionem, sed per novam concessionem; hoc enim privilegium dicitur communicari, quia uni conceditur ad similitudinem alterius. Et hoc modo unius Religionis privilegia communicata sunt aliis. Et privilegium hoc modo per novam concessionem æquè principaliter factam est propriè idem quod privilegium ad instar, & de eo verificantur, quæ de privilegio ad instar dicta sunt, vt docent Suarez *d. l. 8. cap. 16.* Peyer. *dicto §. 11. num. 2.* Palaus *dicto punc. 7. §. 9. num. 1.*

727. Ex iis colligitur quid sit indulgentia ad instar, est enim indulgentia aliquibus concessa ad instar, & similitudinem alterius. Sicut indulgentia stationum concessa alicui alteri Ecclesiæ, in qua non sunt stationes. Sed considerandum est, quod sicut privilegium communicatur per extensionem ad alias personas, aut loca, & præcipuè quando communicatur, & extenditur aliis minus principaliter, & accessoriè, & iterum communicatur per novam concessionem, hoc secundo modo indulgentia propriè, & simpliciter est ad instar, quia in omnibus reperitur æque principaliter facultas ad eamdem Indulgentiam.

728. Unde indulgentia concessa hoc modo non cessat etiam dato quod vel per destructionem Ecclesiæ, vel revocationem, aut alio modo cessaret indulgentia in exemplari, quia indulgentia hoc modo est æquè principaliter, & per propriam concessionem concessa exemplato, etiam independenter ab indulgentia concessa exemplari. Et sic etiam diminuta, aut aucta indulgentia concessa exemplari non minuitur, aut augetur concessa exemplato. Sicut dictum est de privilegio. Secus verò est in indulgentia communicata per solam extensionem ad alias personas, aut loca, quia hæc est veluti eadem indulgentia, quæ si deficit in principali, aut primo cui fuit concessa, deficit in totum, & licet hæc etiam dici possit indulgentia ad instar, quia est extensa ad instar ejus, cui primo fuit concessa, est tamen in hoc genere imperfecta secundum modum concessionis, quia non communicata per novam concessionem, sed per solam extensionem, & maximè si minus principaliter, & accessoriè sit concessa.

729. De his igitur indulgentiis ad instar adest regula Cancellariæ 54. in qua decernitur quod literæ super indulgentiis non expediantur ad instar, nisi specificentur. Circa quam regulam advertendum, quod Navar. *not. 26. num. 3.* existimat, quod exorbitet à jure, quoniam ex Extravag. *quemadmodum de pœnit. & remiss.* habetur indulgentiam plenariam etiam ad instar Jubilei fuisse concessam, sine indulgentiæ jubileorum specificatione. Et quidem si ex vi dictæ regulæ esset necessaria expressa, & prorsus specifica mentio Indulgentiarum, quæ conceduntur ad instar aliarum prius concessarum, dicendum esset contra eam regulam fuisse multoties expeditas literas, & de facto expediri, Quod manifestum est in concessione Indulgentiarum Stationum Urbis, vt videbimus *quæst. 97. & 99.* & in concessione indulgentiarum Altarium Sancti Petri de Urbe, quæ uti habetur in libello impresso in Typographia Camerali, cujus titulus *Indulgenze concesse da Sommi Pontefici alli Sette Altari privilegiati nella Basilica di S. Pietro di Roma &c.* communicatæ fuerunt pluribus aliis Ecclesiis, scilicet, S. Mariæ Majoris, S. Mariæ de Populo, S. Mariæ super Minervam, S. Pauli, S. Laurentii, S. Sebastiani, & pluribus aliis, & quidem cum clausula generali hujusmodi vel simili, ut illas omnes indulgentias consequerentur, quas consequerentur, si septem Altaria in Basilica Principis Apostolorum principaliter visitarent.

730. Sed etiam aliud habetur exemplum hujusmodi communicationis indulgentiarum ad instar ex Bonifacio IX. in quo indulgentiam illam, quam fideles visitantes Ecclesia S. Mariæ de Portiuncula extra muros Assisinat. primo, & secundo diebus Augusti quomodolibet consequuntur, communicavit, & concessit visitantibus Ecclesiam Conventus Ordin. Præd. in quo Capitulum Provinciale celebratur, ut videre est in Bulla etiam de novo impressa Romæ in Camerali Typograph. *Anno 1667.* quæ incipit *Licet is, de cujus munere &c.* & data fuit 12. Kal. Maii Pontificatus ejus Anno Duodecimo.

731. Advertit vero ulterius Navar. quod *secundum Gloss. dicta regula* non est de dandis, quia solam expeditionem literarum respicit, iuxtà doctrinam Franc. Pavini *in prælud. extrau.* lo. 22. *col. 2.* Fœlin. *cap. ex parte nu. 1. de rescript.* Et Ludou. *quæst. 2. in fin. in prohemio regul. Cancell.* Ex quo colligit, quod si contingat literas indulgentiarum ad instar expediri non specificatis indulgentiis, literæ valent, & Indulgentiæ in eis contentæ sunt efficaces, licet ut advertit loco citato Pavin. peti possit earum correctio. Et

nihilo-

nihilominus hæc petitio cessaret, quando literæ per Cameram expedirentur, quia regulæ expeditionem Cancellariæ respiciunt, & per Cameram expediuntur multa, quæ per Cancellariam non expedirentur. Sed & ulterius est advertendum, an literæ concessionis indulgentiarum ad instar datæ sint antè editionem illius regulæ Cancellariæ. Et præterea etiam adverti debet, quod cum illius Regulæ non possit præsumi ignorantia in Sede Apostolica, nec pariter præsumi possit, quod Sedes Apostolica scienter velit inutiliter disponere, ex hoc censetur illi regulæ derogare, quod contra illam sine specificatione indulgentiarum concessit indulgentias ad instar. Et ideo hujusmodi concessiones sine dubio validæ sunt.

732. Video tamen quod hodiè ubi conceduntur indulgentiæ ad instar illis non expressis derogatur expresse regulæ præfatæ. Nam cùm Paulus III. concessisset *omnibus, & singulis utriusq; sexus Christi fidelibus in Regnis Hispaniarum degentibus, qui Rosarium, seu Psalterium Beatæ Mariæ Virginis integrum devotè recitassent, ut omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes coronam eiusdem Beatæ Mariæ Virginis recitandibus concessas consequerentur*. Sanctissimus Dominus Noster Clemens Nonus hanc gratiam communicavit, & extendit ad Confraternitates Rosarii in Regnis Indiarum Catholico Regi subjectis sub his verbis. *Omnibus, & singulis Confratribus, & Consororibus Confraternitatum Sanctissimi Rosarii hujusmodi in Indiis dicto Carolo Regi subiectis Beatæ Mariæ Virginis integrum recitaverint, ut eas omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur Christi fideles in Regnis Hispaniarum degentes, qui coronam ejusdem Beatæ Mariæ Virginis recitant, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus: Non obstante nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentijs ad instar &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 22. Februarii 1668. Pontificatus nostri Anno primo.* In concessione etiam indulgentiarum concessarum visitantibus septem Altaria in Basilica Sancti Petri, facta ab Vrbano Octavo pro Ecclesia Capucinorum Vrbis expressè derogatum fuit præfatæ Regulæ Cancellariæ.

733. Cum vero in dicta *extravag. quemadmodum de pœnit. & remiss.* distingui videatur indulgentia plenaria per modum Jubilæi, videtur hoc habere difficultatem. Nam cum supra *quæstion. 12.* cum communissima Doctorum sententia dictum sit, indulgentiam plenariam esse plenissimam, & in remissione pœnæ non distingui ab indulgentia Jubilei, sed distingui solum quantum ad multos extrinsecos favores, qui in iubileo conceduntur, non apparet quid sit indulgentia plenaria ad instar iubilei, seu quid addat illa dictio ad instar iubilei, si in iubileo non conceditur major indulgentia, quam sit indulgentia plenaria.

734. Propterea Pasqual. *de iubileo quæst. 6.* arbitratur, indulgentiam per modum iubilei etiam quantum ad remissionem pœnæ esse maiorem, eo quia indulgentia plenaria sit remissio pœnarum Purgatorii respondentium pœnitentiis injunctis, & injungendis in foro confessionis juxta antiquas Ecclesiasticas regulas, indulgentia vero iubilei sit remissio plenissima omnium pœnarum, quæ quocumque modo sunt debitæ Deo ratione peccatorum, sive in hac vita, sive in alia solvendæ.

735. Sed huic expositioni repugnat, quod indulgentia est actus potestatis clavium, quæ est potestas ligandi, & solvendi, & quæ non se extendit nisi ad pœnas ex potestate eadem injungendas vel injunctas in foro pœnitentiæ, ut sepius est probatum, ideò neque indulgentia iubilei se extendit, nisi quantum claves extendi possunt, ut idem Bonifacius teste Gloss. *in extrav. antiquorum de pœnit. & remiss.* in Consistorio declaravit, claves vero non se extendunt nisi ut pœnas imponant pro peccatis, & à pœnis impositis, aut imponendis absolvant.

736. Posset igitur aliquis dicere, quod indulgentia ad instar iubilei sit indulgentia habens alios favores annexos, & quod ex vi dictæ particulæ intelligatur concessa facultas eligendi Confessorem, qui etiam à peccatis, & censuris absolvat, & vota commutet, quia hæc solent concedi in iubileo. Sed hoc prorsus reicjitur, nisi in Bulla talis indulgentiæ præfata facultas exprimatur. Trullench. *in Bull. Cruciatæ §. 1. dub. 13. num. 16.* Illa enim facultas est quid extraneum, quod licet soleat concedi in iubileis, ad hoc ut fideles per pœnitentiam ad Deum redeant, & sic ad indulgentiam etiam se disponant, tamen non venit sub nomine indulgentiæ, unde non intelligitur, nec intelligi potest ut concessa ex hoc quod conceditur indulgentia ad instar iubilei. Et ideo quidquid in contrarium dixerit Trullench. *d. num. 16.*

737. Nec hujusmodi facultas eligendi Confessorem ut supra, vel alii accidentales, & extrinseci favores, qui in iubileo conceduntur intelligi possunt ut concessi, etiam si in literis diceretur concedi talem indulgentiam qualis conceditur in iubileo, dictio enim *talem* non repetit qualitates extrinsecas, accidentales, & alterius generis, aut speciei, sed solum qualitates rei, quæ illam in suo genere specificant, vel determinant, ideo dictio *talem* adjuncta indulgentiæ non repetit facultatem eligendi Confessorem, aut alios favores indulgentiæ extraneos, sed repetit plenitudinem, quæ est qualitas competens indulgentiæ ex suo genere. Ideo licet in Bulla Cruciatæ concessa sit indulgentia plenaria ad instar iubilei, quod tamen ex vi præcisa talis concessionis non sint concessi favores præfati, qui solent concedi in iubileis docet Suarez *disp. 54. sect. 4. num. 8.* Serio *in Bullam Cruciata disp. 1. diff. 1. §. 1. q. 6. num. 4.*

738. Dicendum igitur est, particulam *ad instar Iubilei* addi ad indulgentiam plenariam aliquando ad maiorem explicationem, quoniam enim non defuerunt DD. qui dicerent indulgentiam plenariam non esse plenissimam, quia indulgentiam plenam dixerunt; quæ est remissio pœnæ injunctæ pro læthalibus confessis, vel injungendæ, & pleniorem, quæ est remissio pœnæ injunctæ vel injugendæ pro lethalibus confessis, & oblitis, & plenissimam, quæ est remissio pœnæ debitæ pro confessis, & non confessis etiam venialibus, & hanc plenissimam in solo iubileo concedi, & hanc concedi etiam dum conceditur indulgentia per modum iubilei, ut voluit Navar. *not. 9 & 26.* Et alii quoque diversimodè distinxerunt inter indulgentiam plenam, pleniorem, & plenissimam, ut Palud. 4. *dist. 20. quæst. 4. in fine*, & alii, quos recenset Cord. *quæst. 11.* ideo ad omnes istas ambiguitates tollendas aliquando Pontifices explicare volentes se concedere indulgentiam plenissimam, dicunt se concedere plenariam

ad instar Jubilei. Cum tamen modo ex praxi & usu Curiæ indulgentia plenaria in ratione remissioni sit plenissima, ut probatum est supra quæst. 12.

739. Sed in his indulgentiis ad instar hoc maximè considerandum est, an indulgentia ad instar concedatur ex nova concessione æquè principaliter, vel potius solùm extendatur. Nam ubi communicatio fit per solam extensionem, sicut v.g. facta est concessio Stationum Urbis iis, quibus hoc concessum est, ut orantes in hac vel illa Ecclesia consequantur indulgentias stationum, mutata statione, seu revocata, cessat illius indulgentiæ revocatæ communicatio, quæ non habet propterea vires, nisi pro indulgentiis stationum existentibus.

QUÆSTIO XCVII.

Vtrum sub concessione Indulgentiarum Stationum Vrbis comprahendantur omnes, & singulæ Indulgentiæ, quæ in quolibet die cuiuscumque mensis concessæ sunt vni vel pluribus Ecclesiis intra, vel extra muros Vrbis.

SUMMARIUM.

740 *Opinio aliquorum.*
741 *Stationes non sunt, nisi in aliquibus Ecclesiis Romæ, & in diebus aliquibus determinatis.*
742 *Nomen statio desumptum à verbo Statuo. Vel à stando.*
743 *Quid apud Romanos antiquos.*
744 *Nomen Stationis ab antiquo Stationum Romanorum nomine desumptum.*
745 *Desumpta ex statione militari.*
746 *Vel etiam à statione maritima.*
747 *A quo propriè desumptum.*
748 *Significare Processiones quidam volunt.*
749 *Qui ritus servabantur in stationibus.*
750 *Statio est conventus fidelium ad certas Ecclesias.*
751 *Statio potest significare locum, sed melius dicitur, quod significat conventum in loco.*
752 *De formali importat determinationem loci, & temporis.*
753 *S. Gregor. disposuit Stationes.*
754 *Quid sit Statio Ecclesiastica.*
755 *Non omnis Sacer Conventus ad Ecclesias est statio legalis.*
756 *Bulla Bonifacij Octavi de stationibus.*
757 *Stationes sunt etiam extra Quadragesimam.*
758 *Quæ sint stationes.*
759 *Catalogus stationum.*
760 *Indulgentia stationales quæ.*
761 *Ex vi concessionis stationum non sunt concessa indulgentia omnium Ecclesiarum Vrbis, nec omnes indulgentia, quæ sunt in Ecclesiis stationarijs* 762.
763 *Quando Pontifices has volunt concedere exprimunt.*
764 *Ponderantur verba Bulla Cruciata.*
765 *Epilogus dictorum.*
766 *Non sunt quotidie stationes in Basilica S. Petri licet sint indulgentia.*

740. Rodriquez *tom. 2. quæst. 89.* tractans de indulgentiis stationum Vrbis, declarat *in primo art.* quærens quot indulgentiæ in stationibus lucrentur, innumeras refert, quæ Ecclesiis Vrbis concessæ sunt, & illas ait acquiri per Regulares. Successivè verò *quæst. 90.* numerat indulgentias concessas septem principalioribus Ecclesiis Romæ, *& quæst. 91.* quærens de indulgentiis, quæ habentur in diebus stationum, per 12. articulos numerat indulgentias, quæ in hoc vel illo die cujuslibet mensis concessæ sunt huic, vel altari Ecclesiæ Romæ; Et sic apud ipsum idem videtur esse indulgentia stationum, quod indulgentia concessa alicui Ecclesiæ existenti intra, vel extra mænia Romæ. Sic indulgentia Ecclesiarum Vrbis cum indulgentiis stationum, confundit Antonius à Spiritu Sancto *in Director Regularium tract. 2. disp. 5. num. 34. & 35.* propter quod notat, quod dixerat Rodriq. *quæst. 89. art. 2.* scilicet quod Romæ quotidie acquiruntur septem indulgentiæ plenariæ, & liberatur una Anima à Purgatorio à quolibet visitante. Eadem indistinctio conspicitur in aliquibus ex illis, qui collegerunt indulgentias concessas Confraternitati Sanctissimi Rosarii. Cum enim Leo Decimus dictæ Confraternitati concesserit, ut Confratres visitantes quinque Altaria lucrentur indulgentias stationus Vrbis, quæ concessio fuit postea confirmata per Clementem Septimum in Bulla *& si temporalium*, data 8. Idus Maii Anno ejus Vndecimo, & posteà per Paulum Tertium publicata, & approbata in Bulla *Rationi congruit* data die 3. Novembris 1534. illi collegerunt tanquam concessas ex vi concessionis stationum, omnes indulgentias Romanis Ecclesiis concessas in quocumque die anni, & in quocumq; festo sive mobili, sive imobili. Quod expressè docuit quidam auctor apud Trullench. *d. §. 6. dub. 1. n. 7.* ita tenuit qui, scilicet, quod singulis anni diebus visitantes quinque Altaria ex vi Bullæ Cruciatæ possunt consequi indulgentiam plenariam, quia ut refert Sorbo *in compend. privil. in Ecclesia B. Petri Romæ sect. 7.* Altaria inter alia in quibus per totum annum integrum sunt stationes. At vero in Bulla Cruciatæ visitantibus quinque Altaria conceditur indulgentia stationum Almæ Vrbis. Sic ergò hæc sententia vult, quod in quolibet die Romæ sit aliqua statio, & ideò quod in quolibet die possit, qui habet privilegium stationum illam consequi.

741. Sed confusionem hanc bene abstulerunt, & distinxerunt Casarubias *in compend. privileg. verb. Indulgentia stationum notab. 2. pag. mihi 89. & in explicat. Bulla Cruciata* idem Rodriquez *§. 8. num. 1.* Trullench. *lib. 1. §. 9. dub. 1. nu. 6.* Palaus *tract. 25. p. 5. nu. 8.* & apud eum Villalobos *clauf. 8. num. 1.* Serio *in Bullam Cruciata §. 8. num. 3.* Item Lezana *p. 4. verb. indulgentia num. 9. & 21.* & hoc supponit Diana *p. 5. tr. 12. ref. 2.* Qui advertunt per concessionem stationum non acquiri indulgentias, quæ Romæ sunt singulis diebus, sed quæ ad stationes pertinent, nimirum quæ concessæ sunt Ecclesiis Vrbis in diebus stationum, qui sunt dies signati, & ad certum numerum determinati. Quæquidem est sententia eorum qui de stationibus Vrbis tractant, & qui licet non omnino conveniant vel in numero Ecclesiarum, in quibus sunt collocatæ stationes, vel numero stationum, quia eodem die contingit stationem esse in pluribus Ecclesiis, omnes tamen conveniunt, quod nec in omni Ecclesia Romæ sit, statio & quod nec in singulis diebus sit statio in aliqua Ecclesia, sed statio solum sit in certis, & determina-

tis

tis Ecclesiis, & numeratis, & non in singulis diebus, sed in certis, & publica lege Pontificia sub nomine stationis determinatis. Sic enim expresse docent Onuphrius Panvin. *tract. de stationibus*, & Pompeus Vgonius *in historia Stationum Urbis in praeambulo discursu* & apud Trullench. *loc. cit.* Perez de Lara *in libro trium gratiarum à pag. 20.* & Franciscus Cabrera Morales in libello, cui titulus *De las Iglesias de Roma &c.* & ex praxi Curiæ Romanæ est notorium, cum in quolibet anno imprimatur, & publicetur ordo, & numerus stationum pro certis Ecclesiis, & diebus determinatis.

742. Ad cujus evidentiam inquirendum est, quid propriè sit statio Ecclesiastica, de qua nunc loquimur. Isidorus apud Pompeum Vgonium *de Station. Ubis in probrem.* voluit, quod hoc nomen statio sit desumptum à verbo statuto, & significet diem statutum, in quo sensu 1. *Reg. 1.* dicitur de Elcana. *Et ascendebat Vir illa de Civitate statutis diebus, ut adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo.* Et in eodem sensu de Anna ferrente filio Samueli tunicam dicitur, *quam afferebat statutis diebus ascendens &c.* Et propterea Polidorus Virgilius *in l. 8. invent. cap. 1.* ea ratione dixit stationes nuncupatas fuisse, quasi statas, quia certis statutis diebus habebantur, sic enim antiquitus, ut placet festo Pompeo statæ ceremoniæ vocabantur sacrificia, quæ certis statutis diebus celebrabantur.

743. Alii arbitrantur, quod hoc nomen statio sit desumptum à verbo sto stas, propriè enim statio dicitur ipse standi actus, unde omnes stationis significationes effluxerunt, Panvinus de stationibus Vrbis. Propterea loquendo de Ecclesiarum stationibus, alii voluerunt sic vocatas fuisse, quia ubi plures in nomine Christi Domini congregati sunt, & ipsi in Domino stant, & Dominus in medio illorum stat, juxta illud Lucæ 24. *Stetit Iesus in medio Discipulorum suorum*, ut quod tunc factum fuit corporaliter, & sensibiliter, intelligatur fieri spiritualiter, quando fideles simul in Dei cultum adunantur. Alii ex hoc Stationum nomen sumptum dicunt, quod in diebus stationum Pontifex, aut alius, qui concionem habebat staret. Sic enim, & Christus Dominus *Ioan. 7.* & alias stando docebat, & sic etiam *act. 2.* Petrus stans concionem habuit, & sic dicunt consuetum fuisse, quod Pontifices in Ecclesiis in diebus stationum conciones haberent, ut ex homiliis à S. Gregorio habitis in diebus stationum est manifestum. Et quia stando conciones habebantur inde nomen stationum fuit acceptum. Alii ex eo quod in stationibus populus stando oraret, credunt hoc nomen acceptum. Quia enim in Sacris Congregationibus, quæ in Ecclesiis, aut Cæmeteriis à fidelibus habebantur, ut publice orarent, & Deum depræcarentur populus stando orabat, ideo hujusmodi Congregationes stationes dictæ fuerunt. Et hæc fuit opinio Panvini in tract. de stationibus, *Qui actus*, inquit, *statio appellata est à significatione, quam Cicero lib. 6. ad Atticum usurpavit, pro temporaria videlicet habitatione, vel etiam à stando, quod in his accedentes Populi starent.*

744. Sed alii considerantes, quod hoc nomen statio præcessit Religionem Christianam, fuit enim in usu etiam apud gentiles, apud quos triplicem habuit significationem. Nam aliquando significavit locum in litore sinuosum, in quo naves ad tempus possunt consistere, minus tamen tuto, quam in portu juxta illud Virginius *2. Eneid. Hunc tantum sinus, & statio malè fida carinis*, & lib. 12. *Frangere nec tali pupim statione recuso* sed, & in hoc sensu Gen. 49. dixit Jacob. *Zabulon. in litore maris habitabit, & in statione navium pertingens usque ad Sidonem*, sed & in jure civili in hoc sensu accipitur statio in *l. 1. §. stationem ff. de flum.* & in *l. Potius ff. de verb. signific.* Aliquando significavit loca in quibus milites considebant, quæ, & stativa dicebantur, & præsidia. In quo sensu dixit Corbus. Explorantes stationes hostium locum fuerant ingressi. Et in hoc sensu 1. *Reg. 10. 13. 14.* & 2. *Reg. 23.* locus, in quo milites Philistinorum congregabantur in prælium, seu congregatio eorum in loco electo, ut præsidio dicta est statio Philistinorum. Et sic statio dicitur præsidium, & propugnaculum salutis, unde dicitur præsidium stationum Cic. 12. *Philiph.* Hæc mea vigilia, hoc præsidium stationum. Inde speciali ratione statio dicta fuit locus assignatus, seu designata habitatio, & statio militibus ad excubias agendas, quod eo quia milites subsistere cogantur in loco designato, neque eum sine pravi noxa possunt relinquere. Sic Virg. 9. Eneid. *Vigiles simul excitat, illi succedunt, seruntque vices statione relicta.* Sic enim, & custodes Principum stationes suas habent, alii ad fores palatii, alii antè ipsum cubiculum. Sic dicti sunt stationarii milites, qui ad custodiam Civitatis in stationibus vigilant qui, & præsidiarii dicuntur, & in locis hostium finitimis stationes agitare solent, de quibus in *l. Simenarchæ ff. de servis fugitivis, & de militibus ad custodiam deputatis*, adest *textus in l. 1. §. penult. ff. de offic. Praefecti Vrbis.* Sed & tertio statio dictus fuit locus Judicii, in quo jus dicebatur sic enim Gell. *l. 13. cap. 13.* dixit, in plerisque Romæ stationibus jus publicè dicentium.

745. Quod igitur nomen stationum Ecclesiasticarum sit desumptum à nomine stationis antiquo, ut erat nomen militare, & importabat locum, in quo milites conveniebant, ut vel aggrederentur hostes, vel ab eis se defenderent, vel etiam excubias haberent, existimaverunt Prosper Vgonius *lib. de stat. Vrbis* Rodriq. *quæst. regul. quæst. 8.* & post Henriquez *lib. 7. de indulg. c. 19. num. 13. lit. O. & P.* Trullench. *in Bullam Cruciatæ lib. 1. §. 6. d. 1. num. 2.* Covar. *lib. 4. var. cap. 19. post num. 9.* Sed fuit hæc sententia Sancti Ambrosii *serm. post Dom. 5. Quadrag.* seu *serm. 21.* ibi. *Denique stationes vocantur, quod stantes, & commorantes in eis inimicos insidiantes repellamus*, & Tertull. lib. de orat. *Si statio de militari exemplo nomen accepit, nam & militia Dei sumus, utique nulla lætitia, sive tristitia adveniens castris stationes militum respondit*, & libro de jejunio adversus physicos. *Nam & milites nunquam immemores Sacramenti magis stationibus parent.* Et in eumdem sensum loquimur, *lib. de corona militis* & *l. 2. ad uxorem.* Vbi Rhenanus etiam advertit nomen stationis tractum à Romana militia in usu Christianorom hæsisse.

746. Sed non desunt, qui ethimologiam nominis stationis desumant ab alia significatione, à statione nimirum, ut dicit Navium tutum locum. Sic enim eam desumpsit Quintilianus Mandosius *de signat. gratia*, ut sicut navigantes ad stationes, & portus confugiunt, ut ubi securi esse possint, ita Christiani ad Ecclesias, ut ad stationes recurrunt, in quibus sunt tuti.

747. Ego existimo, quod nomen statio prout est Ecclesiastica metaphora sumptum sit, & juxta ethimologiam Isidori à verbo statuo, & juxta antiquam Romanorum significationem à statione nautica, & à militari, & sic ut significat temporariam habitationem statutam, vel ut præsidium contra maris

maris impetus, vel ad defensam contra hostes, vel ad vigiliam, & custodiam contra insurgentes hostium conatus, advertendo quod licet finis stationis sit securitas vel à fluctibus, vel ab hostibus, tamen forma stationis in hoc consistit, quod sit quid statutum, & sic dicit temporariam habitationem statutam in loco, & tempore.

748. Sed viso à quo desumptum fuit nomen stationis Ecclesiasticæ diligentius inquirendum est, ad quid significandum ex antiqua Ecclesiæ ordinatione fuerit institutum. Trullench. *ubi supra* ex Gulielmo Duranti *lib. 7. ration. divin. offic. cap.* 1. existimat nomen stationum significare processiones deductas ad aliquam Ecclesiam, ad solvendum Deo gratias pro acceptis beneficiis. Addit vero quod differt statio à Litaniis, quia statio fit propter præterita pericula, vel in Sancti observantiam, sed Litaniæ, quæ rogationes interpretantur fiunt pro periculis evitandis. Verum contra hujusmodi interpretationem obstat, quod nomen stationis erat in usu apud Ecclesiam, antequam in ea posset esse usus publicus processionem, nimirum ante S. Sylvestrum, & Constantinum tempore in quo vigebat paganismus, nec erat permissus Christianis publicus cultus. Nam Tertullianus, qui & floruit sub Severo, & Antonino Imperatoribus, & sub Zeferino Papa circa finem secundi sæculi, & initium tertii locis citatis, & etiam *lib. de Corona militis, & lib. de fuga in persec.* mentionem fecit stationum, tunc vero sub gentilibus. Imperatoribus Christianos persequentibus publicus processionum usus non erat permissus. Sed quod sacrarium stationum consuetudo temporibus Apostolorum fuerit in Ecclesia testatur Sixtus Quintus *in Constitutione vigesima tertia.*

749. Sed hic pernotandus est ritus sacer, qui in stationibus servabatur. Præmitti enim solebat jejunium, ut habetur ex Tertull. *lib. de jejun. contr. Physicos, & lib. de fug. in persecut.* Unde advertit Panvinus; quod Tertull. perpetuo ferre stationibus jejunia adjungit. Sed Petrus Mallius in l. historiæ sacræ paucis ritum stationum descripsit, dicens de S. Gregorio, quod ordinavit stationes propter pœnitentes, quas cum Primicerio, Cantoribus, Regionatiis, Acolitiis, Cruce stationaria præcedente faciebat; statuit quoque antiphonas speciales, quæ in quatuor anni temporibus, in stationum Processionibus voluit decantari. Voluit quoque ut in Urbe unaquæque Ecclesia stationalis vicinam quoque aliam ædem sacram haberet, in qua Populus die stationis colligebatur, & ibi dicebatur collecta super populum collectum, & exinde omnes simul processionaliter ad Ecclesiam, in qua erat statio, accedebant, solemnique Missarum sacrificio, & concioni intererant. Itaque ex his habetur, quod stationes à sui institutione adjuncta habebant jejunium, & ubi id fieri poterat, solemnem processionem, cantum, & antiphonas proprias, Missæ solemnitatem, concionem Pontificis, & Cleri assistentiam.

750. Dicendum igitur est, quod statio diceretur congregatio, seu conventus fidelium ad Ecclesiam, ut ibi in persecutionibus, & tribulationibus auxilium à Deo impetrarent. Sic enim Auctor vitæ S. Damasi Papæ dixit, quod Populus Romanus timens Deum, multisque persecutionibus fatigatus per cœmeteria martyrum stationes sine Clericis celebrabat. Et Sixtus V. *in Constit. 23.* inquit, quod usque ad tempora Apostolorum fuit sacrarum stationum consuetudo; In quibus populus ad Apostolorum sepulchra, & fortissimorum martyrum memorias conveniens Deum laudabat, & placabat, & adversus multiplices antiqui hostis oppugnationes, tanquam in castris Dei statione tutissima consistebat. Videtur igitur, quod statio Ecclesiastica fuerit, & sic concursus, confluentia, & consistentia fidelium ad Dei cultum, & ad auxilium obtinendum, & securitatem, & defensam contra hostes.

751. Verum his obstare videtur, quod ut supra vidimus, nomen Ecclesiasticæ stationis desumptum est à stationibus antiquissimis, & apud Romanos visitatis, statio vero ut erat in usu Romanorum, significat locum, vel in quo Naves securitatem habebant, vel milites conveniebant ad bellum, vel excubias habebant, vel jus habebatur prout latius declarant Mandosius *de signat. Gratia tit. de Indulg.* Panv. & Ugonius *de station.* videtur igitur quod nomen statio accipi debeat potius, ut significet Ecclesiam, ad quam Populi confugiunt tanquam navigantes ad portum, velut milites ad castra. Sed parum interest quod nam ex his duobus dicatur. Nam, & hoc nomen statio, etiam ut fuit in usu apud Romanos potest accipi ut significaret locum, & temporaneam habitationem, & consistentiam, vel navium, vel militum in loco, imo potius in hoc sensu accipiebatur, & ut advertit Panvinus, *nomen statio* apud Ciceronem *lib. 6. ad Atticum* temporariam habitationem significabat, ut patet ex illis verbis *Athenis statio mea nunc placet*, & sic etiam navium statio impottat consistentiam illarum in aliquo maris sinu tuto, & statio militum est eorum coadunatio, seu temporaria consistentia in aliquo loco tuto, & apto vel ad defensam, vel ad custodiam. Sic ergo statio Ecclesiastica est temporalis, & sacer conventus fidelium.

752. Sed hoc est formale, & principale in statione Ecclesiastica, quod quantum ad tempus, & quantum ad locum sit quid dispositum, & determinatum per Summum Pontificem. Sic enim, & militares stationes à Duce militiæ determinationem habent, & quantum ad locum, in quo milites convenire debent, & quantum ad tempus, in quo ibi debent permanere. Eodem modo statio Ecclesiastica, quæ per analogiam ad militarem desumpta est, importat conventum fidelium, & consistentiam quantum ad diem, & locum lege publica Summi Pontificis determinatam, & ordinatam.

753. Quamvis vero ante S. Gregorium stationes ex lege perpetuam non essent determinatæ sed secundum quod Pontifici videbatur modo apud unam, modo apud aliam Ecclesiam collocarentur, ut advertit Pompeus Ugonius post Panvinum tamen postea S. Greg. hujusmodi stationes lege perpetua apud certas, & determinatas Ecclesias distribuit, & determinavit ut refert Jo: Diaconus *lib. 2. cap. 18.* Sic referens: *Stationes per Basilicas, vel Sanctorum martyrum cœmeteria secundum quod hactenus plebs Romana quasi eo vivente certatim discurrit, solicitus ordinavit; per quas & ipse simul discurrens, dum adhuc eloqui prævaleret, viginti homilias Evangelii coram Ecclesia diverso tempore declamavit; reliquas vero ejusdem numeri dictavit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo, aliis pronunciandas commisit.* Et ita stationes ut à Sancto Pontifice ordinatas cognoscunt D. Anton. Chron. *p. 2. cap. 3. tit. 12. §. 6.* Petrus Manlinus *in Historia Sacra* D. Thom. 4 *dist.* 20. *quæst. 1. art. 3. quæst.* 2. *c.* Turrecremata §. *in Levitico art.* 4. Onophrius Panvinus *de Stationibus*, & Pompeus Ugonius *in simili tractatu.* Et quam-

quamvis successores Pontifices aliquam mutationem aliquando fecerint, & quantum ad numerum, & quantum ad Ecclesias stationum, totum tamen factum fuit ad formam institutionis S. Gregorii, & per ordinationes, & institutiones de se perpetuo duraturas. Et licet quantum ad solemnitatem nunc in usu non sit solemnis Processio in singulis diebus stationum, adhuc tamen quolibet anno Summus Pontifex, si non sit impeditus, cum Eminentissimorum Collegio accedit ad Ecclesiam S. Sabinæ, apud quam est prima statio in primo die Quadragesimæ, & si Summus Pontifex sit impeditus, accedit nihilominus Eminentissimorum Collegium, & concurrit Populus in maximo numero ad illam stationem, & ad alias, quæ successivè pro toto tempore Quadragesimæ institutæ sunt.

754. Quamobrem diffiniendo stationem Canonicam, & legalem dicendum est, quod sit sacer religiosus, & solemnis conventus, seu consistentia Populi fidelis utriusque sexus ad certam, seu in certa, & determinata Ecclesia, & in certo, & determinato die anni primum à S. Greg. dispositus, seu disposita, & à Successoribus Pontificibus in perpetuum approbatus, seu approbata, totius Vrbis praxi usque ad hæc tempora accedente, & summa devotione hujusmodi stationes celebrante.

755. Et quamvis multæ aliæ sint occasiones, & tituli, ob quos Populus Romanus accedit ad Ecclesias Vrbis pro Dei cultu, & sanctorum reverentia, & honore, & ut in tribulationibus Dei auxilium per intercessionem Gloriosissimæ Dei Matris, & Sanctorum imploret, tamen hujusmodi concursus neque ex praxi, seu de facto, nec de jure, dicuntur stationes, quia vel sunt privati, vel non habent eam legalem, & publicam solemnitatem, quam ex institutione sua, & legali successione, ex relatione ad antiquam S. Gregorii dispositionem habet concursus iste in diebus lege publica determinatis, & ad Ecclesias à Summo Pontifice determinatas habitus. Cui Conventui soli propterea, & ex lege Pontificia, & ex praxi, & usu nomen stationis est appropriatum. Quod quidem manifestum fit ex illis verbis Sixti V. *in Constit. Egregia Populi Romani 23. in princ.* ibi *Inter quæ vetus admodum est ab Apostolicis usque ducta temporibus sacrarum stationum consuetudo, in quibus fidelium multitudo ad Apostolorum sepulchra, & fortissimorum martyrum memorias conveniens hymnis, & Canticis spiritualibus Deum in Sanctis suis mirabilem laudabat, & salutaribus immaculatæ hostiæ sacrificiis placabat, & adversis multiplices antiqui hostis oppugnationes, tanquam in Castris Dei statione tutissima consistebat*. Hic igitur solus fidelium sacer, & solemnis conventus, seu hæc sacra, & solemnis fidelium consistentias, etiam nunc ex antiqua consuetudine, & Pontificia institutione durans, unde fideles ad certas, & determinatas Ecclesias, & in diebus determinatis initium dante Summo Pontifice, & Eminentissimorum Collegio conveniunt, & in eis ut in statione tutissima consistunt, nomine stationis significatur.

756. Sed ad horum, & dicendorum majorem confirmationem ponitur hic per extensum Bulla Bonifacii Octavi cujus particulam refert Vgonius, sed eam integrè habet Panvinus, & quæ hujus tenoris est.

Bonifacius VIII. Papa, omnes Stationum Indulgentias à prædecessoribus suis concessas confirmavit, ut ex hoc ejus diplomate constat.

BONIFACIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sublimi Sedis Apostolicæ solio divina disponente clementia præsidentes. Et si de cunctis orbis Ecclesiis, juxta nostri officii debitum indefesso solicitudinis studio cogitemus ad earum statum votivum, & prosperum intendendo: de illis tamen, quæ alma Urbis latitudo sinuosa complectitur, eo propensius cogitare nos convenit, & ad status, & honoris earum incrementa felicia, opem, & operam efficacius impartiri, quo nostris humeris illarum cura dignoscitur specialius imminere, & principalius. Sanè frequenti considerationis indagine perlustramus, & infra claustra pectoris solicita meditatione discutimus, qualiter Doctor optimus Ecclesiæ sanctæ lumen, B. Gregorius dum adhuc in terris gereret vices Christi, Patriarcalibus, & quam pluribus aliis ejusdem Urbis Ecclesiis, primo prout tradit antiquitas, & alii postmodum Romani Pontifices prædecessores nostri, ad honorem Dei, & salutem animarum fidelium, quorum ad urbem ipsam de universis fere orbis provinciis innumera confluit multitudo, de Apostolicæ Sedis liberalitate munifica diversorum tenorum Stationarias Indulgentias concesserunt. Nos igitur prædecessorum ipsorum vestigiis præ sollicitudinis studio inhærentes, & crebrius revolventes in intimis, quod in eadem Urbe non sine superna dispositionis arbitrio gloriosorum Principum orbis terræ, ac aliorum innumerabilia Sanctorum veneranda corpora requiescant: Et propterea non indigne volentes, ob divinam, & Principum, ac Sanctorum reverentiam prædictorum, Ecclesias pias, nec non, & eandem Urbem, ut potè ipsius Romana Ecclesia filiam spiritualem, & ad ejus beneplacita exequenda dispositam, quam infra sacrarium pectoris gerimus prædilectam honoribus condignis afficere, uberius prosequi gratiis, & præcipuis favoribus confovere, ac animarum fidelium providere profectibus eorumdem, universas stationarias Indulgentias supradictas eisdem Ecclesiis sub quacumque forma, continentia, sive modo eis à prædecessoribus ipsis concessas auctoritate Apostolica, & ex certa scientia confirmamus, easque obtinere volumus perpetui roboris firmitatem, & ut paternæ dilectionis affectum, quem ad Urbem gerimus prælibatam, per effectum operis evidentius ostendamus; ac ipsam, & easdem Ecclesias honoris, & gratiæ potioris impendio prosequamur, & saluti provideamus uberius fidelium prædictorum. Nos de omnipotentis Dei misericordia, & eorumdem Principum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui ad prædictas Ecclesias à die Cinerum, usque ad festum Resurrectionis Dominicæ inclusivè ex tunc proxime sequenturum, venerabiliter visitaverint, annuatim unum annum, & quadraginta dies, ac illis etiam qui in statu hujusmodi existentes ad recipiendū benedictionis munus per Summum Pontificem qui pro tempore fuerit à prædicto die Cinerum, usque ad festum ipsius similiter inclusive super peregrinos pro ut moris esse dignoscitur, facienda, devote accesserint, seu alias illi contingerit interesse,

præter

prater alias Indulgentias consuetas, centum dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostra confirmationis, & relaxationis infringere, vel ei casu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum prædictorum se noverit incursurum. Datum Laterani 8. Idus Aprilis Pontificatus Nostri Anno III.

757. Quamvis vero Bonifacius Octavus in his litteris solum stationum Quadragesimalium mentionem faciat, nihilominus etiam extra tempus Quadragesimæ in aliquibus diebus, & solemnitatibus stationes sunt, quod fatetur etiam Sixtus V. in citata Bulla 23. §. *Quem morem à majoribus accetum nunc etiam Roma antiquissimis Urbis Basilicis, & martyrum Ecclesiis visitandis statis Dominicis, aliisque solemnibus diebus, in primis vero Sacro Adventus Domini, & Quadragesima tempore magna Populi frequentia anniversaria celebritate devote celebrat.* Sic igitur etiam extra Quadragesimam sunt stationes.

758. Cum tamen stationes habeant determinationem, & in diebus, & in Ecclesiis apud quas sunt stationes, & quidem dies sint 90. nimirum à primo die Quadragesimæ usque ad Dominicam in Albis inclusive dies 54. Et post Pasca in die Ascensionis, & in vigilia Dominica, & octava Pentecostes 9. Et in Dominicis Adventus, Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ, & Nocte, & Aurora, & die Nativitatis, & in festis S. Stephani, Jo: Evangelistæ, Innocentium, & Circumcisionis, & Epiphaniæ 15. & in quatuor temporibus 12. unde in totum sunt 90. Tamen quia v. g. in eodem die Nativitatis Domini statio est apud S. Mariam Majorem pro Missa, quæ cantatur media nocte, & apud S. Anastasiam pro Missa in Auroram, pro eodem die apud eamdem S. Mariam Majorem, & multoties eadem die statio est apud duas Ecclesias, & in diversis diebus statio est apud eamdem Ecclesiam, ideo numerus stationum, & Ecclesiarum non respondet numero dierum. Et ut hoc manifestum fiat iis, qui extra Romam sunt, pono hic tabellam, quæ Romæ authoritate Eminentiss. Cardinalis Vicarii publicatur, & in Typographia Camerali impressa distribuitur in lingua vulgari sequentis tenoris.

STATIONI DELLE CHIESE DI ROMA
Con le solite Indulgenze per tutto l'anno.

759 ***Stationi della Quaresima.***

S.Sabina.	Mercordì primo Giorno.
S. Giorgio.	Giovedì.
† S.Gio:e Paolo,& S.Gregorio.	Venerdì.
† S. Trifone,e S.Agostino.	Sabbato.
S. Giovanni in Laterano.	Domenica prima.
S. Pietro in Vincola.	Lunedì.
S. Anastasia.	Martedì.
S. Maria Maggiore.	Mercordì.
S.Lorenzo in Panisperna.	Giovedì.
SS. Apostoli.	Venerdì.
S. Pietro.	Sabbato.
† S.M.della Navicella,e S.M.Mag.	Dom.Seconda.
S.Clemente.	Lunedì.
S. Balbina.	Martedì.
S.Cecilia.	Mercordì.
S.Maria in Trastevere.	Giovedì.
S.Vitale.	Venerdì.
SS.Pietro,e Marcellino.	Sabbato.
S.Lorenzo fuor della mura.	Domenica Terza.
S.Marco.	Lunedì.
S.Potentiana.	Martedì.
†S.Sisto,e SS.Nero,& Achileo.	Mercordì.
SS.Cosmo,e Damiano.	Giovedì.
S.Lorenzo in Lucina.	Venerdì.
†S.Caio,S.Susãna,e S.M.degl'Ang.	Sabbato.
S.Croce in Gierusalem.	Domenica Quarta.
SS.Quattro Coronati.	Lunedì.
S. Lorenzo in Damaso.	Martedì.
S.Paolo.	Mercordì.
†S.Martino de' Monti. e S. Silvestro.	Giovedì.
† S.Eusebio, e S.Bibiana.	Venerdì.
S. Nicolò in Carcere.	Sabbato.
S.Pietro.	Domenica di Passione.
S.Grisogano.	Lunedì.
† S.Quirico,e S.Ciriaco in S.M. in Via Lata.	Martedì.
S. Marcello.	Mercordì.
S. Apollinare.	Giovedì.
S.Stefano Rotondo.	Venerdì.
S.Gio:ante portam Latinam.	Sabbato.
S.Gio:in Laterano.	Domenica dell'Oliva.
S. Prassede.	Lunedì Santo.
S. Prisca.	Martedì.
S.Maria Maggiore.	Mercordì.
S.Giovanni in Laterano.	Giovedì.
S.Croce in Gierusalem.	Venerdì.
S.Giovanni in Laterano.	Sabbato.
S. Maria Maggiore.	Domenica di Resurretione.
† S.Pietro,& S.Honofrio.	Lunedì.
S.Paolo.	Martedì.
S.Lorenzo fuori delle mura.	Mercordì.
SS. Apostoli.	Giovedì.
† S.M.Rotonda,e S. Maria sopra Minerva.	Venerdì.
S.Giovanni in Laterano.	Sabbato.
S.Pancratio.	Domenica in Albis.

Stationi dopò l'Ottava di Pasqua.

S. Pietro.	Giorno dell'Asc.
S.Giovanni in Laterano.	Vig.della Pentec.
S.Pietro.	Giorno della Pent.
S.Pietro in Vincola.	Lunedì.
S. Anastasia.	Martedì.
S.Maria Maggiore.	Mercordì.
S.Lorenzo fuor delle mura.	Giovedì.
SS.Apostoli.	Venerdì.
S.Pietro.	Sabbato.

Stationi dell' Advento sin[illegible]n Quinquagesima.

S.Maria Maggiore.	Domenica prima.
S.Croce in Gierusalem.	Domenica seconda.
S.Pietro.	Domenica terza.
SS.Apostoli.	Domenica quarta.
S.M.Maggiore al Presepio.	Notte della N.del S.
S.Anastasia.	La Messa in aurora.
S.Maria Maggiore.	Giorno della Nativ.
S.Stefano Rotondo.	S. Stefano.
S. Maria Maggiore.	S.Giovanni.
S. Paolo.	SS. Innocenti.
S.Maria in Transtevere.	Circoncis.del Sig.
S.Pietro.	Epifania.
S.Lorenzo fuori delle mura.	Domen.in Septuag.
S. Paolo.	Domen. in Sessages.
S. Pietro.	Domen.in Quinq.

Per le Quattro Tempora.

S.Maria Maggiore.	Mercordì.
SS. Apostoli.	Venerdì.
S. Pietro.	Sabbato.

¶ *Ne i giorni,dove sono scritte più Chiese notate con questo segnò † col visitarne una sola si acquista la Statione.*

Ex

760. Ex his habemus, quod indulgentiæ stationum sunt illæ, quæ intuitu stationum concessæ sunt Ecclesiis, apud quas stationes institutæ sunt, & quæ in suprascripto cathalogo numeratæ sunt, & quæ etiam dicuntur Indulgentiæ stationales, & in supra relata Bulla Bonifacii Octavi.

761. Ad quæstionem igitur his præmissis respondetur, quod ex vi concessionis indulgentiarum Stationum Vrbis non conceduntur Indulgentiæ quarum libet Ecclesiarum Vrbis, nec pro qualibet die Anni, sed solum conceduntur indulgentiæ stationales, seu quæ concessæ sunt Ecclesiis, apud quas sunt stationes, & pro illis solis diebus, in quibus stationes sunt institutæ. Probatur hæc assertio ex forma, qua Summi Pontifices utuntur in harum indulgentiarum communicatione Paulus Quintus in *Constit. 21. quest. 11.* sic habet ad favorem Religiosorum: *Præterea iidem Religiosi intra claustra viventes, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, & ut prafertur oraverint, consequantur easdem indulgentias, quas visitantes Ecclesias Urbis, & extra eam diebus stationum consequuntur, in omnibus diebus perinde, ac si ipsas Vrbis Ecclesias personaliter visitarent.* Hic patet quod non conceduntur indulgentiæ, quæ extra dies stationum visitantibus Vrbis Ecclesias concessæ sunt, & sic nec conceduntur indulgentiæ aliarum Ecclesiarum, sed illæ solæ, quæ in diebus stationum consequi possunt. Julius II. in Constitutione *Dudum ad Sacrum Ordinem* 10. §. 41. ad favorem Minimorum ita loquitur. *Ac quidquies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam recitando, omnes, & singulas indulgentias, quas diebus indulgentiarum omnium Ecclesiarum dicta Vrbis, & extra illius muros pro stationibus deputatarum consequuntur Ecclesias Vrbis, & extra muros hujusmodi visitantes, plenè ac integrè consequantur, & consequi possint, ac si indulgentiarum hujusmodi, diebus Ecclesias Vrbis, & extra muros hujusmodi, & earum quamlibet visitarent.* Manifestum vero est, quod hic neque conceduntur nisi indulgentiæ Ecclesiarum stationalium, & quæ pro solis diebus stationum consequi possunt. Et in eadem Constitutione Julius Secundus indulgentias stationum tanquam concessas eidem ordini ab Alexandro Sexto refert §. 11. sub hac forma. *Ac etiam concessit, & indulsit, quod omnes, & singuli Ordinis Minimorum hujusmodi fratres præsentes, & futuri, qui singulis quadragesimæ, & aliis cujuslibet anni stationum temporibus, aliquam ipsorum Ecclesiam, vel aliam, in qua eos pro tempore cum obedientia merito fore contingeret, visitarent & inibi ante illius Altare majus, quinquies orationem dominicam, & toties salutationem Angelicam devotè recitarent, omnes, & singulas indulgentias consequerentur, & consequi possent, quas temporibus hujusmodi consequuntur, visitantes Ecclesias stationum Vrbis, & alias pro Stationibus deputatas, quasque fratres ipsi consequerentur, consequi possent, sic Ecclesias Stationum hujusmodi temporibus personaliter visitarent.* Per quam verborum seriem est manifestum, quod ex concessione stationum non conceduntur nisi indulgentiæ stationales, quæ scilicet concessæ sunt & quidem solum pro certis quibusdam, & determinatis diebus. Particula etiam Bullæ Cruciatæ apud Trullench. sub hac forma concedit indulgentias.

762. *Item qui dicto Anno durante sic singulis diebus stationum Almæ Vrbis quinque Ecclesias, seu Altaria, seu illorum defectum quinquies unum Altare devote visitarent &c. omnes, & singulas indulgentias stationum intra, & extra muros prædictæ Vrbis, tam per se, quam per modum suffragii pro defunctis, pro quibus visitaverint, consequantur.* In hac concessionis forma clausula illa in singulis diebus stationum discretiva est, sicut & illa alia omnes, & singulas indulgentias stationum, & discernit dies, & indulgentias stationum à non diebus, & non indulgentiis stationum, & supponit, & indicat, quod de jure est, & est Romæ notorium tam de jure, quam de facto, scilicet quod solum certi dies anni sunt dies stationum, & solum certæ indulgentiæ ad certos particulares dies, & Ecclesias sunt indulgentiæ stationum & hæ solæ ex vi præfatæ concessionis donantur à Pontifice. Nam alias si Romæ singulis omnino diebus essent stationes, & omnes, & singulæ indulgentiæ Ecclesiarum Vrbis essent indulgentiæ stationum, cur Pontifex non dixisset in singulis diebus anni, & omnes indulgentias Ecclesiarum Vrbis.

763. Nam certe quando hujusmodi universalem communicationem Pontifices concedere voluerunt, universalitatem expresserunt sic Greg. XIII. in Bulla *Cum sicut* data 20. *Decemb.* 1579. ad favorem Societatis, in Bullario ejusdem Societatis *pag. mihi* 195. usus est hac forma. *Omnes, & singulas indulgentias etiam plenarias, & peccatorum remissiones consequantur quas scilicet consequerentur, si indulgentiarum ipsarum diebus Ecclesias &c. visitarent,* & Leo Decimus in oraculo quodam vivæ vocis pro Minoribus apud Rodriq. inter oracula Leonis Decimi num. 24. *lucretur Stationes, indulgentias, remissiones tam Vrbis, quam etiam Portiunculæ &c.* Et in concessione Sixti IV. pro Carthus apud Rodriq. *tom. 2. q. 88. art. 8. Easdem, prorsus indulgentias, & peccatorum remissiones, etiam plenarias consequantur quas consequerentur &c. si ea die, qua id fecerint, Basilicam, seu aliam, aut alias Ecclesiam, vel Ecclesias consistentes in Vrbe &c. personaliter visitassent &c.* Et apud Casarub. *in Compend. privilegiorum tit. indulgentia stationum quoad fratres n. 1.* ex Pio II. quod concesserit, ut fratres Minores certas Cappellas, & loca devota in suis Ecclesiis, & Oratoriis contenta visitando illas, & easdem indulgentias promereri valeant, quas personaliter visitando Ecclesias, Oratoria, Cappellas, & Altaria in Alma Vrbe consistentia (etiam in diebus stationum) promereri possent. Et similia habentur idem *num. 3. & 7.* Et notanda est illa clausula etiam in diebus stationum. Cum enim dictio etiam sit ampliativa, & soleat implicare majora, & distincta ab expressis Rota *decis. 721. numer. 6. & 7.* & *dec. 222. num. 3. par. 2. recent.* dum dicitur *etiam in diebus stationum* significatur, quod hujusmodi indulgentiæ stationum sunt distinctæ ab indulgentiis aliis Ecclesiarum Romæ, & imo majoris ponderis, & dignæ speciali expressione. Sic etiam Eugenius Quartus in Constit. *Et si ex debito in Bullar. Casinen. 58. §. 13.* habet hæc verba *Indulgemus per præsentes, quod si diebus illis, quibus habetur accessus ad Stationes Ecclesiarum in Vrbe pro indulgentiis, si quinque altaria seu loci &c. similem seu tantam indulgentiam, qualem, & quantum hi, qui in Vrbe dictas Ecclesias Vrbis in die Stationum visitant, consequantur.* Et eadem habentur in alia Constitutione Eugenii IV. quæ est 63. *in eodem Bull.* §. 4. ut manifestum prorsus sit indulgentias stationum certis solis diebus, & determinatis Ecclesiis affixas longe diversas esse ab illis, quæ in aliis diebus eisdem, vel aliis Ecclesiis sunt concessæ.

763. Sic igitur, quando etiam Leo Decimus, & postea Clemens Septimus in Bulla, *& si temporalium* con-

concessit Confratribus Rosarii indulgentias stationum Urbis, & dixit: *Et quia Leo Decimus ordinando instituit, & benignè concessit, quod quilibet ex dictis fratribus ubicumque existentibus visitando quinque altaria &c. easdem Indulgentias integraliter consequeretur, ac si omnes Almæ Vrbis stationes peregrinando circumiret*, non dixit ac si omnes almæ Urbis Ecclesias, sed stationes, unde ex hoc solùm indulgentias stationarias concessit.

764. Et est hoc conforme Bullæ Cruciatæ ut ponderat Trullench. *§.6. dub.1.* Nam in ejus fine ponuntur hæc verba, quæ refert Trull. ubi supra. *Addit is etiam nominatim pro singulorum notitia diebus stationum totius anni intra, & extra muros hujus Almæ Vrbis*. Si enim quotidie in aliqua Ecclesia Urbis esset statio, frustra Pontifex horum dierum assignationem Commissario præfato committeret, & non esset cur Papa diceret in singulis diebus stationum, sed dicere deberet in singulis diebus anni.

765. Manifestum igitur est ex dictis, quod Romæ nec in quolibet anni die sunt stationes, sed solum in certis, & numeratis diebus, & quod indulgentiæ, quæ sunt concessæ aliis Ecclesiis, quam Ecclesiis stationalibus, vel eisdem Ecclesiis in aliis diebus non sunt Indulgentiæ stationum, neque ex vi concessionis stationum intelliguntur concessæ.

766. Ad argumentum in oppositum dicitur, quod id, quod asseritur de indulgentia stationum septem Altarium Ecclesiæ S. Petri fundamentum non habet. Nam Casarubias qui *v. Indulgentia septem Ecclesiarum in Ecclesia S. Petri num. 2.* hoc refert quod apud septem Altaria Ecclesiæ S. Petri sunt stationes per totum annum, ubi id acceperit non ostendit, & sibi non constat, quia ibidem *num. 1.* refert certos dies, in quibus sunt stationes in Ecclesia S. Petri, & Rodriquez, qui *quæst. 91. art. 2.* has easdem Ecclesiæ S. Petri, & septem ejus Altarium recenset, nullam stationum mentionem facit. Verum est, quod visitantibus Ecclesiam S. Petri sunt concessæ plures indulgentiæ perpetuæ, & D. Thom. *4. dist. 20. qu. 1. art. 3. quæst. 2. ad 4.* dixit, quod in Ecclesia S. Petri est perpetua indulgentia quadraginta dierum, & quàm plures concessiones septem Altaribus privilegiatis in dicta Basilica recensentur, de quibus videri possunt Laurentius Pedrini, Attilius Soranus, Honuphrius Pãvinus, Pompeus Vgonius in statione S. Grisogoni, Camillus Beria, Arcnangelus Ballottini, Hervandus de Salaxar, Petrus Fulvius, & alii, qui recensentur in libello impresso Romæ in Camerali Typographia cujus titulus est *Indulgenze concesse da Sommi Pontefici alli sette Altari privilegiati nella Basilica di S. Pietro*. Quamobrem cum verum sit, quod quotidie visitantibus præfata Altaria concessæ sint indulgentiæ hujusmodi tamen non sunt stationales, sed solum in certis aliquibus diebus supra in præfato Catalogo stationum numeratis, prout etiam advertit Panvinus de stationibus, sunt stationes apud S. Petrum.

QVÆSTIO XCVIII.

Quæ sint Indulgentiæ Stationum.

SUMMARIUM.

767 *Dicitur S. Greg. pro Stationibus concessisse septem annos indulgentiæ.*
768 *Et ab aliis indulgentias septem Ecclesiarum Vrbis.*
769 *Bonifacius Octavus addidit unum annum indulgentiæ.*
770 *Incertum quantæ, & quales sint indulgentiæ Stationales.*
771 *Non adest indulgentia plenaria.*
772 *An dici possit quod ex tacito Papæ consensu pro Stationibus sit concessa indulgentia.*

767. ET quidem S. Gregorium in institutione, & dispositione stationum concessæ pro singulis diebus stationum annos septem indulgentiæ asserit D. Thom. *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. c. & ex eo* referunt Turrecremata *§. item in Levitico art. 4. num. 22.* Casarubias *in compend. privil.* post indulgentias septem Ecclesiarum Vrbis *notab. 1. pag. mihi 288.* Suarez *tom. 4. in 3. part. dub. 44. sect. 2. num. 12.* Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 3. num. 2.* & *in Bullam Cruciatæ* Emanuel. Rodriq. *§. 8. num. 2.* Trullench. *lib. 1. §. 6. dub. 1. num. 3.* Castro Palaus *tract. 25. p. 5. num. 9.* Serio *disp. 1. diffic. 9. in §. 7. num. 4. pag. mihi 131.*

668. Sed successores Pontifices plures alias indulgentias concessisse pro diebus stationum, plures affirmant. Et in specie quod concessæ sint pro stationibus indulgentiæ omnes septem Ecclesiarum Vrbis, nimirum Ecclesiarum Lateranensis, Sancti Petri, S. Pauli, S. Mariæ Majoris, S. Crucis in Hierusalem, S. Laurentii, & S. Sebastiani referunt Trullench. *loco citato d. num. 3.* Castro Palaus *d. num. 9.* Serio *d. n. 4.* Diana *p. 5. tract. 12. resol. 2.* Et quod visitantes septem Ecclesias Vrbis consequantur indulgentiam plenariam, illamque propterea lucrentur fideles in die stationum visitantes Ecclesias pro stationibus deputatas, supponunt DD. quos referam ques, sequenti quærentes an vi concessionis indulgentiarum stationum intelligantur concessæ indulgentiæ plenariæ.

769. Hoc mihi certum videtur, quod tempore Bonifacii Octavi pro stationibus non erat concessa indulgentia plenaria, quia ut constat ex ejus Bulla recensita *q. super num. 762.* nedum non fit aliqua mentio istius Indulgentiæ, sed pro stationibus quadragesimalibus conceditur, & superadditur indulgentia unius anni, quod non fieret procul dubio, si prius pro eisdem stationibus indulgentia plenaria concessa fuisset, quia superfluum, & inane esset post remissionem plenariam, unius anni remissionem superaddere.

770. An vero hæc plenaria indulgentia concessa fuerit post Bonifacium Octavum adhuc non potui reperire. Et quando, & à quo Pontifice pro stationibus concessa fuerit communicatio indulgentiarum septem Basilicarum Vrbis, DD. qui id asserunt, non indicant. Et ego licet hic Romæ consuluerim peritissimos ministros Curiæ, & Viros eruditissimos nihil aliud potui invenire nisi quod incertum sit, quantæ, & quales sint hujusmodi stationales indulgentiæ concessæ stationum intuitu, sicut & incertum est quantæ & quales sint indulgentiæ concessæ septem Altaribus privilegiatis in Basilica Sancti Petri, cum tamen certum sit plures fuisse concessas, quas etiam Pontifices aliquando aliis Ecclesiis communicarunt, & de facto communicant ut dictum est supra, & probatum per plura exempla, & ex citato libello in superiori quæstione habetur. Sic enim Ecclesiæ Capuccinorum Vrbis ut in dicta Ecclesia est notatum

Urban. VIII. fidelibus feptem Altaria nimirum Majus S. Bonaventuræ, S. Antonii, Pietatis, Transfigurationis Domini, S. Michaelis, & Sancti Pauli visitantibus, & orantibus pro Christianorum Principum concordia &c. concessit omnes illas Indulgentias, quas consequerentur, si septem Altaria in Basilica Principis Apostolorum visitarent principaliter.

771. Nisi igitur ostendatur expressa concessio Indulgentiæ plenariæ pro stationibus non debet dici, illam acquiri à visitantibus Ecclesias stationales; Et eo magis quod ad hoc asserendum non sufficeret communicatio generalis Indulgentiarum concessarum vel septem Basilicis Urbis, vel septem Altaribus S. Petri, ut dicitur *quæst. seq.*

772. Juxta etiam dicta superius *quæst. 87.* ex eo quod DD. plures testantur Indulgentiam plenariam concessam fuisse pro stationibus, si alias verè hæc Indulgentia non sit concessa, non potest dici ex tacita scientia, & approbatione Summi Pontificis acquisita, aut concessa. Quia nec Pontifices hoc approbant, sed cum incertum sit, quales, & quantæ sint Indulgentiæ stationum, relinquitur Dei judicio determinare quantas unusquisque recipiat dum Ecclesias stationales visitat, ita tamen quod unusquisque implens digne visitationem injunctam omnes lucratur, quæ pro illa concessæ sunt.

QUÆSTIO XCIX.

Utrùm ex vi concessionis Indulgentiarum stationum, aut Indulgentiarum Urbis intelligantur concessæ Indulgentiæ plenariæ.

SUMMARIUM.

773 *Sensus quæstionis.*
774 *Opiniones diversæ.*
775 *Sub concessione Indulgentiarum indefinita non venit plenaria.*
776 *Secus sub universali.*
777 *Regulæ Cancellariæ non obstant.*
778 *Qualiter Indulgentiæ stationum concessæ pro altera Ecclesia communicantur.*
779 *Quid considerandum in simili communicatione.*
780 *Non tamen communicantur Indulgentiæ pro defunctis.*
781 *Indulgentiæ stationum non possunt commodè specificari nisi per signa universalia.*

773. SUpponit quæstio, quod Visitantibus Ecclesias Urbis apud quas sunt stationes, sint concessæ plures Indulgentiæ, nimirum, nedum partiales antiquas certorum annorum, aut dierum, sed ulterius Indulgentiæ plenariæ. Et hoc supposito quæritur, an ex quo Pontifex concedit, ut visitantes aliquam aliam Ecclesiam etiam extrà Romam, lucrentur Indulgentias stationum, ex hoc censeantur concessæ nedum Indulgentiæ partiales, sed etiam plenariæ.

774. Negant enim Navarr. *not. 9. num. 16.* Henriquez *lib. 7. cap. 10. num. 2.* Corduba *quæst. 41.* Ludovicus à Cruce *in Bull. Cruc. disp. 1. cap. 8. d. 2. num. 3.* Leo *de Iubilæo par. 1. quæst. 6. numer. 229.* Granadus *in 3. part. tract. 6. disp. 2. numer. 4. & 7.* Lezana *part. 4. verb. Indulgent. numer. 8. & 21. & verb. Bulla Cruciata num. 18.* Cafarubias *in compend. privileg. verb. Indulg. station. not. 2.* Suarez *disput. 52. sect. 8. numer. 12.* Molfes. *part. 1. tract. 7. cap. 26. numer. 92.* Ratio hujus sententiæ est, tum primo quia Indulgentiæ plenariæ ob earum plenitudinem, & perfectionem sunt dignæ speciali expressione, in generali vero concessione non veniunt ea, quæ superior in specie non esset concessurus *cap. 3. de offic. Vicarii in 6.* Tum secundo ex stylo Curiæ, & Regula Cancellariæ, qui stylus est, ut per generalem concessionem Indulgentiarum non veniant Indulgentiæ plenariæ. Tum tertio quia stylus Curiæ est, ut Indulgentia plenaria non concedatur nisi pro contritis confessis, & communicatis. Neque enim pro concedenda Indulgentia plenaria videtur sufficiens causa recitatio Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ etiam repetita aliquoties, sicut fit in visitatione Ecclesiarum pro consequendis Indulgentiis stationum. Alii nihilominus arbitrantur quod sub concessione stationum veniant etiam Indulgentiæ plenariæ. Sic Rodriquez *quæst. 189. art. 2.* Lopez *2. part. instruct. cap. 1.* ubi *de Bulla Cruc.* idem Emanuel Rodriq. *in Bull. Cruciata §. 8. num. 6.* Villalobos *tract. 27. claus. 8. num. 3.* Trullench. *lib. 1. §. 6. dub. 1. num. 5.* Gamica *§. item si concede* Palaus *tract. 25. part. 5. numer. 9.* Diana *part. 5. tract. 12. ref. 2.* Machado *tract. 4. docum. 5. num. 2.* Quintanad. *tom. 1. sing. in append. tract. 5. de Pœnit. disput. 14. quæst. 171.* Serio *in Bull. Cruciata disp. 1. difficult. 9. num. 4. pag. mihi 131.* Quia Pontifex satis Indulgentiam plenariam expressit, dum dixit se concedere Indulgentias, quas lucrantur visitantes Ecclesias in diebus stationum: eo amplius ubi in concessione ponuntur termini universales, ut sunt isti omnes, & singulas: & eo magis, quod secundum Innoc. Jo: Andr. & Gloss. *in Clem. un. de reliq. & venerat. Sanctorum in verb. concessio,* & Sylv. *verb. Indulgentia quæst. 6. dict. 3. & quæst. 8. dicto 4.* & Angel. *in princ.* non decet Indulgentias avare interpretari.

775. Ad hanc quæstionem mihi primo dicendum videtur eam esse de subiecto non supponente. Sic enim ex DD. secundæ sententiæ plures supponunt ex vi concessionis Indulgentiarum stationum concedi etiam Indulgentias non stationales, imo omnes Indulgentias Ecclesiarum Urbis, quod in præcedentibus satis est improbatum, Quæstio etiam supponit inter indulgentias stationales aliquas esse plenarias, quod est incertum, & imo cum non ostendatur aliquod hujus asserti fundamentum, neque allegetur aliqua Bulla Pontificia, per quam in diebus stationum, & stationum intuitu alicui Ecclesiæ concessa sit Indulgentia plenaria, talem Indulgentiam esse concessam non est asserendum, neque confundi debent Indulgentiæ stationales, cum non stationalibus. Nihilominus quia etiam quod non est, potest supponi sub conditione si sit, vel esset: Et quia hæc quæstio continet aliam universaliorem, an scilicet per concessionem, & communicationem generalem alicujus Ecclesiæ intelligantur communicatæ Indulgentiæ plenariæ, ideo diligentius ponderandæ sunt rationes primæ sententiæ, & veritas examinanda.

776. Fundatur ergo illa sententia primo in hoc quod Indulgentia plenaria ob sui plenitudinem, & excellentiam requirit specialem expressionem, & mentionem, & ideo sub generali concessione non comprætenditur. Et quidem si generalis indulgentiarum con-

concessio sit inde finita, doctrina ista rationabiliter procedit. Ideo si in concessione nullum adsit signum uniuersale, sed dicatur v. g. visitantibus Ecclesiam talem conceduntur indulgentiæ alterius talis Ecclesiæ. Ad hujus enim indeffinitæ verificationem sufficit, quod sint communicatæ indulgentiæ ordinariæ, & quæ regulariter conceduntur non prærequisita confessione, & communione, & sic non est necesse, ut ui talis concessionis intelligantur concessæ indulgentiæ plenariæ, quæ difficilius conceduntur. Sed ubi concessio generalis non est indefinita, sed universalis per dictiones omnes, & singulas, sed plene, & integraliter, aut alias similes, iam concessio non est merè generalis, sed specifica, & expressa, quia dictiones universales distribuunt universale in quæcumque contenta sub universali: Sic enim quod dictio *qualibet* distribuat pro singulis contentis sub verbo cui apponitur dixit Rota *decis.125. num.5.p.1. recent.* sic quoque dictio *omnis* neminem excludit *l. 1. ff. de legat.*1. Et idem operatur ac si de singulis facta esset mentio specialis Bart. *in l. 2. ff. de novat.* Rota *decis. 179. num.10. par. 6. recent.* Nam si aliquid esset sub illa dictione non inclusum, & non sufficienter expressum, non esset verum dicere, quod sub ea omnia veniunt, & sunt. Surd. *consil.73. num. 62.* Rota *decis.157. nu.20. par. 6. recent.* De quo videantur etiam *supra allegata quæst. 91. numer. 693.* Quomodo enim verum erit dicere concessas esse omnes, & singulas Indulgentias, vel omnes, & quascumque indulgentias, vel visitantem Ecclesiam plenè, & integraliter consequi alterius indulgentias, ac si illam alteram personaliter visitaret, si aliqua indulgentia datur quam ille non consequitur? Itaque concessio ista indulgentiarum facta per dictiones universales æquivalet specificæ, quia non potest dici quod concessio sit falsa de mente Pontificis concedentis, & tamen talis concessio non potest esse vera, si indulgentia plenaria excluditur. Adde quod Pontifices non casu, & impræmeditatè, aut superfluè concessionem generalem indulgentiarum non exprimunt indefinite, sed universaliter per dictiones universales; dicendum igitur est, quod concessio universalizata sit extensior, quam indefinita; cum vero indefinita comprætendat indulgentias partiales; concessio igitur universalizata debet comprehendere plenarias, aliter superfluè imo falso appositæ essent dictiones universales. Sic rationabiliter non dicitur, quod Pontifex non esset concessurus indulgentias plenarias, si uni Ecclesiæ actu concedit omnes & singulas indulgentias plenè, & integraliter quia imo sub hac concessione non possunt non intelligi concessæ etiam plenariæ.

777. Secundum motivum non distinguit. Primo enim contra 54. reg. Cancell. est, si conceduntur indulgentiæ ad instar, nisi indulgentiæ specificentur, sed non est contra illam regulam, aut contra stylum Curiæ, quod concessio hujusmodi facta sine specificatione sit nulla, & invalida, sed imo hujusmodi concessio valet vt probatum est supra *quæst.96. num.729.* Præterea contra regulam, & stylum est, si sine specificatione concedantur indulgentiæ ad instar per concessionem indefinitam, non vero si concedantur per concessionem universalem positis dictionibus universaliter pro omnibus, & singulis indulgentiis concessionem distribuentibus, quia ut probatum est hujusmodi concessio æquivalet specificæ. Imo superflua esset specificatio, quid enim opus est specificare, si concessio non unam, uel alteram indulgentiam, sed omnes, & singulas comprætendit? solum ad majorem declarationem, & ad tollendas opiniones non fundatas, & expositiones restringentes universalitatem, quæ restringi vere de jure non debet, utile est specificare, & dicere etiam plenarias, vt fecit Gregorius XIII. dum Patribus Societatis visitantibus Ecclesias Societatis concessit indulgentias aliarum Ecclesiarum, ut in Brevi, quod incipit *Cum sicut accepimus* dato 23. Decembris 1579. patet, vel dum concedendo universaliter hujusmodi indulgentias Pontifices derogarint aliquando regulæ 54. Cancellariæ, ut dictum est supra *quæst.36.* Hujusmodi enim expressam derogationem non esse necessariam dictum est etiam eadem quæstione.

778. Superest tertium motivum, quod majorem videtur continere difficultatem, quia verè praxis Curiæ est regulariter non concedere indulgentiam plenariam, nisi sub onere confessionis, aut etiam communionis, quod onus non est impositum illis, pro quibus concessa est communicatio indulgentiarum stationum. Sed hoc motivum probat, quod pro stationibus non sit concessa indulgentia plenaria, quia pro illis non est impositum onus confessionis, & communionis, & ideo dicendum est, quod indulgentiæ stationales non sint plenariæ. Sed si semel admittatur, quod Indulgentiæ stationales sint plenariæ, cum simul constet ex praxi Romana, quod pro illis consequendis non est necesse præmittere confessionem, & communionem, si hoc non est necessarium in exemplari, non est cur dicatur esse necessarium in exemplato, cui universaliter, & sine limitatione conceduntur omnes indulgentiæ exemplaris nimirum omnes indulgentiæ stationum, ac si visitarentur Ecclesiæ stationales. Cum igitur Confratribus Rosarii per Leonem Decimum, & Clementem Septimum visitantibus quinque Altaria sint concessæ indulgentiæ stationum, *ita ut easdem indulgentias integraliter consequantur*, ac si Ecclesias stationales personaliter visitarent. Vel ita ut easdem indulgentiis *plenè, & integre* consequantur, ut à Julio Secundo fuit concessum PP. Minimis. Vel *ut omnes, & singulas* lucrentur, ut continetur in Bulla Cruciatæ. Vel ut per similes clausulas universales indulgentiæ stationum obtineantur: Sicut sine necessitate præmittendi confessionem, & communionem indulgentias stationales etiam plenarias si tales sunt concessæ consequuntur, qui Ecclesias stationales visitant; ità easdem etiam plenarias obtinent visitantes alias Ecclesias in casibus, in quibus eas visitantibus omnes, & singulæ indulgentiæ stationales concessæ sunt.

779. Et idem dicendum est de aliis concessionibus indulgentiarum ad instar, quando in exemplari pro consecutione Indulgentiæ etiam plenariæ non est necessaria actualis confessio, & communio. Sed quando juxta stylum in exemplari pro obtinenda indulgentia plenaria est necessaria confessio actualis, & communio, quæstio est magis dubia. Et nihilominus considerandum est, quod licet opera iniuncta pro consecutione indulgentiæ pertineant ad integrandam causam justam concedendi indulgentias tamen, quia ad hanc justam causam habendam opera iniuncta non sunt necessaria, ut probatum est quæstione 29. Et de facto in proposito habemus exemplum in concessione supra relata Gregorius XIII. pro Ecclesijs Societatis in qua sine impositione confessionis, & communionis communicavit indulgentias aliarum Ecclesiarum etiam plenarias. Ideo considerandum erit an in communicatione universali indulgentiarum ad

instar, sine onere confessionis, & communionis subsistat justa causa talis communicationis: hac enim subsistente non video, cur non sint communicatæ etiam indulgentiæ plenariæ, cum verba concessionis etiam plenarias compræhendere possint, & ad sit justa causa concessionis universalis. Secus si non adest justa causa. In dubio autem potius præsumi debet justam causam adesse, sed Dei erit videre, an in rei veritate adsit sufficiens causa, vel non adsit.

780. Et non est eadem ratio de indulgentia pro defunctis, quæ non acquiritur illi cui iniungitur opus, sed alii aplicatur, unde regula generalis est, quod non intelligitur concessa facultas applicandi aliis indulgentias, nisi id exprimatur. Et eo magis respectu defunctorum, pro quibus non conceditur indulgentia, nisi per modum suffragii, quæ indulgentia, ut videbitur infra est indulgentia analogicè, & alterius naturæ, & sic indulgentia pro defunctis, nisi exprimatur, & quia pro aliis, & quia pro defunctis, non compræhenditur sub verbis, & forma concedendi indulgentias illis, & pro illis, qui Ecclesias visitaverint, vel hoc, aut aliud fecerint.

781. Et hæc amplius confirmantur, quia cum non sit manifestum, quales, & quantæ indulgentiæ concessæ sint pro stationibus, concessio omnium illarum non potest melius explicari, & specificari, quam per verba universalia omnes indulgentias stationum compræhendere valentia.

QUÆSTIO C.

An per concessionem Indulgentiarum stationum Urbis intelligantur concessæ omnes Indulgentiæ, quæ sunt Romæ in Ecclesia stationali die stationis.

SUMMARIUM.

782 *Eidem Ecclesiæ præter indulgentias stationales aliæ possunt esse concessæ.*
783 *Omnes indulgentias stationales consequitur qui habet communicationem stationum.*
784 *Sed solas stationales lucratur.*

782. DAri indulgentias stationales habetur ex Bulla Bonifacii Octavi posita supra *quæst. 97.* Procul dubio autem istæ sunt illæ, quæ Ecclesiæ, in quibus est statio, concessæ sunt intuitu, & causa stationum, & pro stationibus diei. Sed præter has potest esse quod eidem Ecclesiæ concessa sit alia indulgentia pro illo die, vel ex accidenti, vt quia v. g. pro festo Annunciationis B. Virginis est illi Ecclesiæ concessa indulgentia, & contingit in aliquo anno, quod statio in illa Ecclesia concurrat in eodem Sacro Annunciationis die, vel per se, & de facto, quia Ecclesiæ sit ex alia causa concessa aliqua indulgentia perpetua, sivè partialis, sive plenaria, & præter illam in die stationis sit concessa indulgentia stationalis. Quo stante quæritur, an ex vi communicationis indulgentiarum stationum; intelligantur concessæ nedum omnes indulgentiæ stationales sed etiam aliæ non stationales.

783. Affirmativam partem videtur tenuisse Lezana *ver. indulgentia num. 21.* Ubi vult, quod quia Septem Ecclesiis Urbis sunt concessæ quam plures Indulgentiæ, ex vi concessionis stationum factæ pro Regularibus à Paulò Quinto, regulares suas Ecclesias visitantes lucrentur etiam illas septem Ecclesiarum indulgentias. Sed Lezana non loquitur in terminis hujus quæstionis, sed in sensu longe diverso, & solum exemplariter adducit indulgentias septem Ecclesiarum, & bene docet, & vult, quod sub communicatione indulgentiarum, stationum veniunt nedum indulgentiæ concessæ à S. Gregorio Papa pro stationibus, sed etiam aliæ; quæ pro eisdem stationibus concessæ sunt ab aliis Pontificibus. Et ideo in suppositione, quod indulgentiæ septem Ecclesiarum sint concessæ pro stationibus Ecclesiis in die stationis, & sic quod hujusmodi indulgentiæ per communicationem sint stationales, illas consequantur Religiosi suas Ecclesias visitantes in terminis concessionis Pauli Quinti quod est verissimum, & id supponunt DD. *quæst. super citats.* Quamvis eorum aliqui inter quos Lezana *d. num. 21.* limitent hanc concessionem, ut non se extendat ad indulgentias plenarias, sed solum ad partiales.

784. Dicendum igitur, quod ex vi communicationis indulgentiarum stationum non communicantur nisi indulgentiæ, quas Bonifacius Octavus vocavit stationales, illæ scilicet, quæ causa, & intuitu stationis concessæ sunt Ecclesijs Urbis pro die stationum, non vero aliæ, quæ aliundè, & ex alia causa Ecclesiis illis fuerunt concessæ. Ita sensit Trullench. *in Bullam Cruciatæ* §. *6. dub. 1. numer. 7.* Palaus *tract. 25. p. 5. num. 8.* Rodriq. *in Bull. Cruciatæ* §. *8. numer. 1.* Casarub. *in compend. verb. Indulgentia stationum not. 2.* Et ratio est, quia indulgentiæ concessæ Ecclesiis ex alia causa, quam ex causa stationum, non sunt indulgentiæ stationum. Pontifices vero solum communicant indulgentias stationum, ut patet ex verbis literarum Apostolicarum *supra q. 97.* relatis, ponderatis illis verbis, *in diebus Stationum seu Ecclesiarum, pro stationibus deputatarum, seu stationum temporibus, seu Ecclesias Stationum Urbis, seu singulas indulgentias stationum, seu omnes Almæ Urbis stationes.* Per hæc enim verba manifestum est, mentem Pontificum esse, ut communicentur solæ indulgentiæ stationales, quæ scilicet sunt indulgentiæ stationum, & hæ sunt solæ illæ, quæ causa, & intuitu stationum concessæ sunt.

QUÆSTIO CI.

An illi, quibus concessum est, ut visitando aliquam Ecclesiam consequantur indulgentias stationum, possint quotidie hujusmodi indulgentias lucrari.

SUMMARIUM.

785 *Inquisitores Cruce signati possunt concedere stationum indulgentias pro singulis anni diebus.*
786 *An Regulares visitando suas Ecclesias quotidie lucrentur stationes Urbis.*
787 *An sit ex vi Bullæ Cruciatæ.*

788 *Quid*

788 Quid de Confratribus Rosarii.
789 An sint indulgentiæ stationales eædem in singulis Ecclesiis Urbis.

785. PRoponitur hæc difficultas ob differentiam, quæ in literis communicationis stationum reperitur, nam indultum concessum inquisitoribus totius Italiæ per Clementem Septimum in Bulla, quæ incipit, *Cum sicut ex relatione*, & fuit *data 15. Ianuarii* 1530. & quæ habetur in Bullario Prædicatorum in authenticam formam redato per Franciscum Alberinum Aud. Cam. *fol.* 201. In eo enim ita loquitur. *Eisque* (scilicet Cruce signatis) *ut singulis diebus anni quinque Altaria Ecclesiæ* (*si tot ibi fuerint*) *aut unum loci, in quo eos esse contigerit, psalmum unum genibus flexis recitando, vel quinquies orationem Dominicam, & totius Salutationem Angelicam in quolibet Altari indulgentias stationum Urbis consequi valeant, etiam concedendi, & largiendi authoritate Apostolica tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus.* Hic vero expresse non tantum pro illis diebus, in quibus Romæ sunt stationes, sed pro singulis diebus anni inquisitoribus concedendi indulgentias stationum datur facultas.

786. Nihilominus dicitur, quod hæc est specialis concessio non extendenda, nisi ubi id fuerint expressum. Fuisse vero hoc satis expressum in concessione stationum facta Regularibus per Paulum Quintum colligi videtur, ponderando quod absolute dicit, Religiosi, *qui suam Ecclesiam devote visitaverint*, absque aliqua dierum designatione, & postea expresse concludit, quod ipsi consequantur indulgentias stationum *in omnibus diebus perinde ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent.* Et sic in omnibus diebus possunt Religiosi has lucrari indulgentias. Nihilominus Peyer. *ad Bull.* 8. *Pauli V. num.* 3. contrarium tenet, quia quando Pontifex vult, quod quis possit lucrari stationes singulis diebus hoc explicat. Sed dici posset id explicatum per illis verba *omnibus diebus*. At replicari posset verba illa intelligi de omnibus diebus stationum, non vero de omnibus, & singulis diebus anni. Res ergo est incerta.

787. Non sic loquuntur literæ Bullæ Cruciatæ apud Trullench. § 8. Nam dicitur ibi *Qui dicto anno durante in singulis diebus stationum Almæ Urbis quinque Ecclesias &c.* limitata enim est hæc concessio ad dies stationum, & concessa indulgentia illis solum, qui in diebus stationum Urbis Ecclesias &c. visitant, & prout opus est orant. Et hoc modo etiam limitatæ sunt concessiones factæ, ab Eugenio Quarto pro Cassinen. & ab Alexando Sexto pro Minimis, quas supra recensuimus *quæst.* 97.

788. Concessio autem Leonis Decimi Clementi Septimi, & Pauli Tertii pro Confratribus Rosarii universalis videtur esse pro omnibus diebus, quia absolutè dicitur, absque diei alicujus determinatione, *quod quilibet ex dictis fratribus ubicumque existentibus, visitando quinque Altaria cujuscumque Ecclesiæ, vel unum aut duo quinquies, si quinque defuerint, easdem Indulgentias integraliter consequeretur, ac si omnes Almæ Urbis stationes peregrinando circumiret.* Et sic ista concessio licet ex parte indulgentiarum sit limitata ad stationales, ex parte tamen consequentium illas, & tempus easdem lucrandi nulla est posita limitatio, & determinatio: Sed replicari potest; & hæc verba intelligenda esse de diebus stationum. Nam Pontifex voluit quidem extendere indulgentias stationales ad alias Ecclesias ad favorem dictorum confratrum, sed non apparet, quod voluerit multiplicare dies stationum, seu extendere indulgentias stationales ad singulos dies. Sic ergo, & hoc est dubium.

789. Hoc unum valde advertendum, quod ex præfatis formis concedendi indulgentias stationum potius colligi videtur, quod illæ sint ædem, & uniformes in omnibus, & singulis Ecclesiis stationalibus, quamvis contingat, quod in una ex istis Ecclesiis sint majores indulgentiæ non stationales quam in alia. De indulgentiis enim stationum præfatæ literæ loquuntur, ut de re una, & omnibus Ecclesiis stationalibus communi, verum aliter potest esse, quia scilicet uni Ecclesiæ pro die stationis concessa sit specialis indulgentia.

QUÆSTIO CII.

Utrum Indulgentiæ concessæ uni Ecclesiæ Regularium ex vi communicationis privilegiorum competant Ecclesiis aliorum Regularium habentium privilegium communicationis.

SUMMARIUM.

790 *Indulgentiæ localis communicatur multoties.*
791 *Sensus quæstionis.*
792 *Opiniones DD.*
793 *Privilegia indicata.*
794 *Concessio Innocentii Octavi.*
Communicantur indulgentiæ pro personis religiosis.
795 *Ex vi communicationis privilegiorum non communicantur indulgentiæ.*
Indulgentia non est propriè privilegium.
Privilegium est contra jus.
In communicatione privilegiorum privilegium non sumitur large ex usu Curiæ.
796 *Indulgentia non est indultum, nec sub nomine indulti venit.*
797 *Ex vi communicationis immunitatum, facultatum, gratiarum &c. non venit indulgentia.*
798 *Ex vi clausulæ Bullæ Leonis X. non communicatur nisi indulgentia pro Regularibus.*
799 *Decretum Leonis Decimi quantum ad vim directivam universale.*
800 *Communicatio indulgentiarum inter regulares pro secularibus odiosa, & non comprahensa sub verbis generalibus.*
801 *Altaria privilegiata non communicantur.*
Quæ non veniunt sub generali communicatione privilegiorum.

790. INdulgentiarum localium communicatio satis in usu est ex pluribus Summi Pontificis concessionibus. Sic enim pluribus concessæ fuerunt indulgentiæ stationum Urbis. Ita etiam septem Altaribus existentibus in Ecclesia Sancti Petri Romæ concessas fuisse indulgentias septem Ecclesiarum Urbis habetur ex tabella instructionis Peregrinorum veteris Basilicæ Sancti Petri cujus fidem fecit Io: Baptista Hordonus sub Archivista Sancti Petri, & notatur in parvo libello

libello impresso supra sæpe relato indulgentiæ quoque horum septem Altarium Privilegiatorum Ecclesiæ S. Petri pluribus aliis Ecclesiis communicatæ fuerunt, ut supra dictum fuit.

791. Quæritur propterea, an indulgentiæ concessæ uni Ecclesiæ Regularium unius ordinis ex vi communicationis Privilegiorum, sint etiam concessæ Ecclesiis omnibus aliorum Ordinum. Et non est sermo modo de Indulgentiis concessis pro personis Regularibus, quia de istis erit sermo infrà, sed est sermo de concessis pro secularibus Ecclesias Regularium visitantibus, an scilicet indulgentiæ concessæ secularibus visitantibus Ecclesias unius Ordinis sint concessæ Ecclesiis aliorum Ordinum ex vi communicationis privilegiorum.

792. Negat absolute Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Regularium *tract. 2. disp. 5. num. 72. & 73.* & refert pro eadem sententia Quintanad. *tract. 14. in append. dub. 8. nu. 6.* Et idem docuerat prius Portell. *verb. Indulgentia num. 2.* & *in addit. num. 2.* & *verb. privilegium num. 10. de indulgentia portiunculæ*, existimans, quod virtute privilegiorum non sit communis nec etiam Fratribus ejusdem Ordinis. Quia talis communicatio indulgentiarum abhorret, & secundo quia ita servat consuetudo, & tertio quia non est verisimile, quod virtute communicationis indulgentias concessas Ecclesiæ Minorum in die S. Bonaventuræ, lucrentur fideles in die S. Hiacinti visitantes Ecclesiam Prædicatorum. Et ad objectionem fundatam in quodam privilegio Iulii Secundi, cui initium Rodriquez, respondetur Julium Secundum loqui de indulgentiis respectu personarum Regularium, quas dicunt communicari, & sub nomine regularium comprehendi etiam indulgentias concessas, oblatis famulis, Procuratoribus, & Parentibus Regularium, secus vero de concessis Ecclesiis pro secularibus. Eamdem sententiam tenuit Peyrin. *ad constit. 2.* Leonis Decimi, & pro ea refert Casarubiam, & quandam Bullam Sixti Quarti, quæ incipit *Solet Sedes Apostolica*. Et potest confirmari hæc opinio *ex Constit.* Leonis Decimi 25. apud eumdem Peirinum, in qua decernit, quod indulgentiæ Ecclesiæ S. Mariæ de Populo ex vi communicationis privilegiorum, & indulgentiarum à se factæ sunt quidem communes aliis ordinibus pro personis Regularium, sed non pro secularibus, & prohibet ne Regulares prædicent, aut publicè, vel privatè denuncient eas esse comunes secularibus alias Regularium Ecclesias visitantibus.

793. Sed è contrà, quod sub communicationis privilegio comprehendantur etiam indulgentiæ concessæ Ecclesiis Regularium pro sæcularibus tenent Casarubias malè à Peyrino citatus pro opposita sententia *v. indulgentia quoad seculares 3. num. 12.* vbi *num. 11.* ait citatam Bullam Sixti Quarti nullibi se potuisse reperire Io: à Cruce *l. 2. c. 4. §. ex dictis sequitur*. Martin. à S. Ioseph. *lib. 2. tract. 20. de indulg. num. 1.* apud Martinez de Prado *loco citando* Lezana *p. 4. verb. indulg. num. 8. &* 14. & in Mari magno servitarum *num. 178. & 179.* Palaus *tract. 3. disp. 5. p. 2. §. 9. num. 5.* Donatus *part. 1. tr. 7. quæst. 15.* & favet Suarez *l. 8. de leg. cap. 17. num. 7.* Martinez de Prado *Theol. moral. cap. 5. quæst. 3. §. 5. nu. 25.* & apud eum Quaresmi in Hierusalem illustrata *tom. 1. lib. 2. cap. 1. aub. 5. §. Alterum*, Hieron. Garzia *tract. 8. diff. 8. 1. dub. 4. n. 9. &* 10. Hi tamen DD. limitant hanc sententiam, ut infra dicetur. Et hoc idem sentiunt, qui loquentes de revocatione indulgentiarum ex vi Bullæ Cruciatæ, ex quo in dicta Bulla reservantur privilegia Mendicantium, sub nomine privilegiorum comprehendentes etiam indulgentias deducunt non esse suspensas indulgentias, & imo Altaria privilegiata nedum Mendicantium, sed non Mendicantium ex vi communicationis privilegiorum. Ita sentiunt Cotton. *libr. 2. controv. 12. num. 100.* & apud eum Diana *par. 1. tract. 11. resolut. 88. & 89.* Et posset hæc sententia probari ex privilegio Leonis Decimi quod incipit *Cum inter cæteros*; & datum fuit 21. *Iunij 1518.* Pontificatus Anno Sexto dato ad favorem Ord. Prædicatorum, & aliis, quæ infrà referuntur, in quibus expresse conceduntur aliquorum Religiosorum Ecclesiis indulgentiæ Ecclesiarum aliorum Regularium. Quod amplius confirmatur. Nam Innocentius Octavus *in mari magno Servitarum* apud Lezanam §. 16. expresse communicavit eidem ordini indulgentias omnes tam in genere, quam in specie concessas visitantibus Ecclesias Ordinis Eremitarum S. Augustini & §. 7. communicans eidem Ordini privilegia aliorum quatuor Ordinum Mendicantium, numerat etiam indulgentias.

794. In hac quæstione mihi certum videtur, quòd ex vi communicationis indulgentiæ concessæ uni Ordini pro illius Religiosis sunt communes aliis Ordinibus privilegium communicationis indulgentiarum habentibus quantum tamen spectat ad ipsas Regularium personas, dummodo hujusmodi indulgentiæ non sint revocatæ. Hoc habetur primo ex supra relata Bulla Leonis Decimi 25. apud Peyrinum, in qua Pontifex hoc expresse decernit de Ordinibus Mendicantium, quibus etiam pro ipsorum personis voluit esse communes indulgentias Ecclesiæ S. Mariæ de Populo Romæ. Hoc etiam habetur ex relatis Bullis Leonis Decimi pro Prædicatoribus, & Innocentii Octavi pro Servitis S. Gregorii etiam XIV. in Bulla, quæ incipit *Ex iniuncto*, & data fuit *die 24. Septembris 1591.* quæ est *in Bullar. Cassinen.* sub *numer. 377.* in quo Pontifex Indulgentias aliorum Ordinum etiam plenarias concessit Ordini Camaldul. sed & prius eidem Ordini omnes, & singulas indulgentias aliis, & quibuscumque ordinibus concessas communicaverat Paulus Tertius in Bulla *1. in Bullar. Rom. §. 20.* Sed & Gregorius XIII. in Brevi *Cum sicut*, dato *die 23. Decembris 1579.* in Bulla Societatis *pag. mihi 195.* eidem Societati, & ejus filiis proprias Ecclesias visitantibus concessit quarumcumque aliarum Ecclesiarum indulgentias. Hanc eamdem communicationem indulgentiarum ad favorem Carmelitarum fuisse factam post Sixtum IV. Leonem X. à Clementem VII. refert Lezana *p. 4. verb. Indulg. num. 8.* Et plura ex his habentur apud Casarubiam *in verb. Communicatio privilegiorum*. Unde non video quod de hoc possit dubitari. Dictum tamen est, dummodo alias hujusmodi indulgentiæ non sint revocatæ, propter Bullam Pauli V. revocatoriam indulgentiarum Regularium, de qua erit sermo infra.

795. Dicitur nihilominus secundo, quod sub nomine privilegiorum non veniunt indulgentiæ, & sic quod præcise ex vi communicationis privilegiorum non communicantur indulgentiæ. Oppositum hujus tenuit Cotton. *lib. 2. controu. 12. cap. 5. num. 100.* Citatur etiam Diana *p. 11. tract. 11. resol. 88.* qui id non dicit, imo necibi verbum habet de privilegiis sed de facultatibus, & in tantum intentum suum probat, scilicet, quod non sint revocatæ indulgentiæ Regularium per Bullam Cruciata, in quantum clausula præservativa non est extendenda ad solas facultates, sed ad omnia præcedentia, inter quæ sunt etiam indulgentiæ. Idem quoque

quoque sensit Donatus *part. 1. tract. 7. qu. 15. num. 7.* quia omnis gratia Principis privilegium dicatur, per Jo: Andr. *in cap. olim de verb. signific.* & Bald. *in prælud. feudorum nu. 11.* sed & illi, qui existimant, quod de ratione privilegii non sit, quod privilegium sit contrà jus, sed sufficiat privilegio, quod sit concessio alicujus specialis favorabilis, sicuti tenent Suarez *l. 8. de leg. cap. 1.* Palaus *tract. 3. disp. 4. p. 1.* dicendum erit, quod indulgentia sit privilegium, & sit quod ex communicatione privilegiorum intelligantur communicatæ etiam Indulgentiæ, sed hæc opinio est contra communem DD. & non distinguit gratiam, & favorem à privilegio. Ut igitur asserit communis sententia DD. licet concessio gratiæ contra jus commune, & sic est relaxatio juris per gloss. *in rubr. de rescriptis in 6.* & allegato *cap. Privilegia dist. 4. & cap. Abbate de verb. signif.* DD. omnes in rubricam de rescriptis ut testatur ibi Barb. *numer. 3.* Panorm. *in cap. olim num. 7. de verb. signif.* Sylvest. *verb. privilegium quæst. 3.* Bald. ubi supra *n.* 18. Azor. *p. 1. lib. 1. cap. 21. quæst. 3.* Et quod ex communi usu non comprehendatur sub nomine privilegii, in rescriptis Pontificiis Indulgentia bene advertit Martinez de Prado ubi supra *num. 31.* Quod enim conceditur præter jus commune, & sine alicujus præjudicio beneficium est, aut gratia, non vero privilegium Gonzal. *in regul. 8. Cancell. gloss. 31. num. 5.* Tuscus *litera P. concl. 727.* At vero Indulgentia nihil continet contrarius, & licet non fiat nisi quia dispensatur thesaurus Ecclesiæ ex justa causa, tamen hoc non est contra jus, sed est maxime juri conforme; Indulgentia igitur proprie non est privilegium; Non est vero unde dicatur, quod in communicatione privilegiorum summi debeat privilegium largè, & communiter sumptum. Tum quia hoc est contra praxim Pontificum, qui in hujusmodi communicationibus distinguunt privilegium ab immunitate, exemptione, facultate, favore, indulto, concessione, & etiam ab Indulgentia, & peccatorum remissione, & dum hæc communicare intendunt, illa exprimunt, ut legenti Bullas communicationum est manifestum. Tum quia communicatio Indulgentiarum, per quam dispensatur thesaurus Christi, & quæ valide nequit fieri sine justa causa est concessio specialissima, & digna speciali expressione; & quæ non potest intelligi comprehensa sub generalissima mentione privilegii latissime sumpti maxime tunc, cum Indulgentiæ communicatio potest esse præjudicialis alicui *cap. si propter de rescript. in 6.*

796. Dicitur tertio quod Indulgentia nec propriè est indultum, & ideo ex vi communicationis indultorum etiam spiritualium non communicatur Indulgentiæ. Indultum enim non est aliud, quam facultas agendi, quæ datur tollendo impedimenta, & veluti solvendo manus, ut quis operari possit ut explicant Monac. *in cap. cum aliquibus de rescript. in 6.* & ibi Reverendissimus Fagnan. *cap. sicut venire num. 46. de excess. Prælat.* Indultum enim solum tollit obstaculum, & nihil de novo dat Mohed. *decis. 1. num. 2. & decis. 8. de privil.* Cassad. *decis. 8. num. 5. &* 10. *de præbend.* Et quod indultum non ampliat, sed tantum præservat jurisdictionem Ordinarii Cassad. *decis. 3. de privil. numer. 2.* Puteus *l. 2. decis. 190. num. 2.* At vero Indulgentia non datur ad agendum nec ut tollat impedimenta agendi, sed est absolutio à pena, seu pœnæ remissio, unde concessio Indulgentiæ nullum indultum est.

797. Dicitur propterea quarto, quod Indulgentiæ communicatio non venit sub communi ratione exemptionum, immunitatum & facultatum, imò nec sub nomine gratiarum aut favorum, sed solum sub nomine Indulgentiæ, aut remissionis peccatorum. Indulgentia enim non est immunitas, aut exemptio, per Indulgentiam enim fideles à nullius superioris jurisdictione eximuntur. Et licet remittatur eis debitum pœnæ, & liberentur ab obligatione implendi pœnitentiam impositam à confessario, hoc non fit per viam exemptionis, sed per viam solutionis, per quam Deo datur æquivalens, & sic fideles tantum ab est quod eximantur à debiti solutione, quod in Indulgentia integre solvunt, quod debent. Pariter vero Indulgentia non est facultas aliquid agendi, sed est pœnæ remissio, quæ fidelibus conceditur sub conditione operum. Quamvis sepe Indulgentiis sit annexa facultas eligendi Confessorem, qui absolvat à reservatis, vel etiam commutet vota, vel alius favor consimilis. Nomen autem favoris, & gratiæ nimis generale est sub nomine vero generalissimo, nisi exprimantur non veniunt species habentes specialem prærogativam, & mentionem specialem requirentes, qualis gratia, ut dictum est, procul dubio est Indulgentia, quæ etiam sine causa justa non potest valide concedi, aut communicari. Et eo magis, quod nomina generalia posita post aliqua expressa, non se extendunt ad majora, aut dissimilia expressis. Quamobrem ex vi communicationis non censentur communicatæ Indulgentiæ nisi hoc sit expressum. Quod maxime verum est de Indulgentiis concessis Ecclesiis aliorum Ordinum, quia hæc communicatio potest habere annexum aliquod tertii præjudicium.

798. Dicitur quinto, quod ex vi hujus clausulæ, *omnes, & singulas gratias &c. Indulgentias, peccatorum, remissiones &c. quæ Prædicatorum Minorum &c. in Dominus, & illorum Ecclesiis, Oratoriis, ac Ecclesias ipsas, & Oratoria pro tempore visitantibus, cujuscumque status, & sexus existerent &c. concessa fuerunt, aut imposterum concedentur, illa, & omnia singula &c. illorumque singulis Ecclesiis, Oratoriis, & Ecclesias ac Oratoria visitantibus, cujuscumque status, & sexus existerent &c. communicavimus &c.* Non est concessa communicatio Indulgentiarum pro secularibus. Consimili clausula usus est Leo Decimus in Bulla *Inter cæteros* data 21. *Iunii* 1518. quæ habetur *in Bullar. Prædic. fol. 185.* ad cujus favorem data fuit. Habetur etiam *in Bullar.* Rodriquez *sub num. 39.* Et quasi consimili usus fuit idem Leo X. in alia Bulla, quæ incipit *inter cæteros*, & data fuit in favorem ejusdem Ordinis *die 22. Novembris 1513.* & habetur *in Bullar.* dicti Ordinis *fol. 175.* sed idem Leo in Bulla 32. *in Bullario Romano*, & in Bulla. Rodriquez *sub num. 36.* & apud Peyrinum *sub num. 25.* fatetur in §. 1. se præfata clausula usum fuisse in communicatione privilegiorum, Indulgentiarum &c. facta ad favorem quinque Ordinum Mendicantium. Et nihilominus in eadem Bulla 32. *in Bull. Romano*, quæ incipit *Dudum &c.* & fuit data die 10. *Decembris* 1519. declarat §. 2. quod ex vi dictæ clausulæ non intelliguntur præfatis Ordinibus Mendicantium concessæ Indulgentiæ Ecclesiæ S. Mariæ de Populo Romæ pro secularibus, sed solum pro Religiosis ipsis; prohibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne aliquis prædicet Indulgentias dictæ Ecclesiæ ad seculares alias Ecclesias eorumdem ordinum visitantes extendi.

799. Nec obstat si quis dicat, Pontificem in ea Bulla loqui solum de Indulgentiis illius Ecclesiæ particularis S. Mariæ de Populo, quia ibi Pontifex procedit per

viam declarationis, & decernit, quod ex vi illius clausulæ communicatæ fuerunt etiam illius Ecclesiæ Indulgentiæ pro Religiosis illorum Ordinum, non vero pro secularibus; & de hoc etiam reddit rationem universalem; quia, scilicet, Indulgentia intuitu Religionis concessa non debet extendi ad seculares. Declarat igitur Pontifex satis sufficienter, quod ex vi dictæ clausulæ ut datæ intuitu Religionis non comprætenduntur Indulgentiæ concessæ Ecclesiis pro secularibus, quæ est nostra conclusio, & derogat omnibus privilegiis in contrarium, & ideo nec Ordini Prædicatorum, nec aliis ordinibus ex vi consimilis clausulæ concessum fuit, quod seculares visitantes unam illorum Ecclesiam lucrentur Indulgentias Ecclesiarum aliorum Ordinum. Vnde aliud est, quod excommunicatio ibi lata non efficiat nisi illum casum particularem, quia est à lege, ut illum casum prohibente, quod verum est; aliud est, quod doctrina ibi contenta per modum declarationis data, non importet universalissime, quod ex vi dictæ clausulæ solum potest deduci communicatio Indulgentiæ pro Religiosis, non vero pro secularibus. Hoc enim alienum est à veritate, quia eadem clausula non habet nisi unam illam significationem universalissimam, ex qua Pontifex declaravit non colligi communicationem indulgentiarum quod seculares.

800. Et obiter hic advertendum, quod cum ex una parte verba alia visitantes cujuscumque status, vel sexus, vel porregentes manus adjutrices satis aptæ viderentur ad comprætendendum seculares, cum Religiosi omnes sint ejusdem status Religiosi, & si videri possit quod verba cujuscumque status, & sexus, quæ pro diversis statibus distribuunt, non possint commode verificari nisi de secularibus eo magis quod non sit status Regularium pauperum, & Mendicantium porrigere manus adjutrices contribuendo pro manutentione, aut ornatu Ecclesiæ, quod sub disjunctione à lucraturis Indulgentiam requiritur à Leone Decimo in dicta Bulla, nihilominus Pontifex declaravit seculares sub illis verbis non comprætendi, ex hoc nos docens communicationem hanc Indulgentiarum pro secularibus, ut pote odiosam, & ferens præjudicium, & diminutionem concursus, & etiam eleemosynarum Ecclesiis aliorum Ordinum, esse strictissime interpretandam, nec intelligi posse ut concessam per verba ambigua, sed solum si sit clare, & manifeste expressa.

801. Et ex his colligitur etiam, quod Altarium particularium privilegiatorum non datur communicatio, ut bene docent Tambur. *tom. 1. disp. 17. quæst. 2. num. 4.* Diana *part. 6. tract. 7. res. 39.* Merolla *tom. 3. disp. 6. cap. 4. dub. 7.* Lezana *par. 3. verb. Altare numer. 19.* quem iterum sequutus fuit Diana *p. 9. tract. 2. resol. 20.* Martinez de Prado *d. cap. 5. quæst. 3. §. 5. num. 26.* Quod quidem probatur nedum ex regula generali, quod in generali concessione non veniunt ea, quæ concedens non esset verisimiliter concessurus *cap. in generali de reg. iur. in 6.* Et quia per privilegium communicationis generaliter concessum non communicantur exorbitantia à communi jure, quæ raro conceduntur. Rota *decis. 214 par. 2. rec. & decis. 55. num. 14. & 15. par. 1. divers.* Altaris vero privilegiati concessio raro conceditur, sed etiam quia teste Peyrino *ad const.* 8. Pauli Tertii *num. 2. de stylo Curiæ* hæc Altaria non communicantur. Unde ipse tenet, quod Altare privilegiatum concessum Romæ in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis ex vi privilegii Clementis Septimi non sit communicatum aliis Ecclesiis sui Ordinis. Nam verè Altaris privilegiati concessio ex natura sua est gratia localis individualis facta ex speciali, & propria quadam ratione ipsi Ecclesiæ, cui conceditur, & ideo non communicatur.

QVÆSTIO CIII.

An Indulgentiam sibi concessam quis possit alteri communicare.

SUMMARIUM.

802 *Tres sunt modi per quos quis communicare potest Indulgentias.*
803 *Nullus privatus propria voluntate potest Indulgentiam sibi concessam alteri communicare.*
804 *Nisi Pontifex aliud concedat.*
805 *Decretum fel. mem. Alex. VII.*
806 *Semel facta applicatio ad Rosarium, vel calculum &c. non potest mutari.*
Hæc applicatio potest fieri mente ibid.
807 *Cui concessa est facultas applicandi Indulgentias ad aliquem numerum Calcularum &c. non potest hanc facultatem subdelegare.*
808 *Hujusmodi Indulgentia quando non possint applicari medaliis Beatorum.*
809 *Superior Regularis benedictionem concessam alicui Religioso non potest applicare, si ab illo non est applicata.*
810 *Hujusmodi benedictiones non possunt applicari imagini publicæ.*
811 *Qui accepit Bullam Cruciatæ pro Petro non potest illam applicare Paulo.*
812 *In communicando Indulgentias per aggregationem servandum est Decretum Sac. Congreg. super Indulgentiis.*
813 *Multis concessa est facultas communicandi Indulgentias, vel instituendo noves Confraternitates, vel aggregando.*
814 *Dantur horum exempla.*
815 *Prædicta explicantur.*
816 *Non possunt communicari Indulgentia revocatæ, nisi iterum sint concessæ.*
817 *Non possunt communicari Indulgentiæ nisi specificentur.*
818 *Aggregantes non possunt communicare Indulgentias Regularibus concessas.*
819 *Confratres Sanctissimi Nominis Dei, & Rosarii habent Indulgentias sibi immediate à Sede Apostolica concessas, unde in illis non habet locum communicatio per aggregationem.*
820 *Referuntur nonnulla dicta Ritiulli.*
821 *Decretum Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium circa facultates quas habent Prelati Ordinis Prædicat. circa Confraternitatem Rosarii.*
822 *Determinatio illius Decreti est restricta ad casum electionis Officialium Confraternitatis, electis in aliorum Ecclesiis.*
823 *Generalis Ordinis Prædicatorum habet facultatem eligendi Confraternitates Rosarii in quibuscumque Ecclesiis.*

824 Ali-

824 Aliqua sunt circa quæ non habet Generalis Ordinis Prædicatorum facultatem in aliorum Ecclesiis.
825 Idem Generalis instituit Cappellanum Confraternitatis Rosarii in quibuscumque Ecclesiis.
826 Reiicitur Riciullus.
827 Confraternitates Rosarii erectæ in Ecclesiis secularium fruuntur omnibus indulgentiis concessis Confraternitati Rosarii non minus quam illæ, quæ sunt erectæ in Ecclesiis Ordinis Prædicatorum 828.
829 Et hoc æque, & principaliter.
830 Decretum supradictum Sac. Congregationis minus bene relatum à quibusdam Doctoribus: & quæ fides sit danda allegantibus hujusmodi decreta.

802. TRes modos imaginari possumus communicandi indulgentias. Primus est per applicationem fructus indulgentiæ, ut si ille, qui visitavit Ecclesiam, applicet alteri indulgentiam concessam illam Ecclesiam visitanti. Secundus est per communicationem rei cui est annexa indulgentia, ut si quis coronam benedictam mutuetur alteri, ut lucretur indulgentiam illi coronæ applicatam. Tertius est per extensionem facultatis lucrandi indulgentiam, ut cum Archiconfraternitas aggregando sibi alteram Confraternitatem communicat illi facultatem lucrandi indulgentias ipsi Archiconfraternitati concessas.

803. Quantum ad primum modum hanc quæstionem resolvit D.Thom. 4. *dist.* 20. *q.* 4. *a.* 5. *quæst.* 3. *ad* 1. sic dicens. *Quod opus proprium potest quis applicare per intentionem cuicumque voluerit, & ideo potest pro quocumque vult satisfacere; sed indulgentia non potest applicari ad aliquem nisi ex intentione ius, qui dat indulgentiam, & ideo cum ipse applicet ad facientem, vel dantem, hic autem illud non potest, ille, qui hoc facit ad alterum, hanc intentionem transferre non potest: si fieret tamen sic indulgentia; ille, qui hoc facit, vel pro quò hoc fit, habeat tantam indulgentiam, valeret ei, pro quo fit, nec tunc iste qui facit hoc opus daret alteri indulgentiam, sed ille, qui indulgentiam sub tali forma facit.* Sic igitur, hæc est universalis assertio, quod nullus privatus ex propria voluntate potest indulgentiam sibi concessam alteri communicare, aut applicare. Albertus Magnus 4. *d.* 20. *num.* 20. D. Antonin. *p.* 1. *tr.* 10. §. 2. & 4. Palud. 4. *d.* 20. *q.* 4. *num.* 3. Sylvest. *v. indulgentia num.* Tabien. *num.* 18. & ex Canonistis Turrecremata §. *item in Levitico a.* 5. *num.* 17. & *num.* 6. *num.* 69. Bolog. *d. indulg. num.* 54. Felin. *num.* 39. & *alii communiter.*

804. Et nihilominus si Papa hoc concedat potest ab uno acquiri indulgentia pro alio, sed tunc acquirens nec indulgentiam alteri concedit, aut communicat, sed implet conditionem, sub qua à Pontifice alteri est concessa, & sic non interest, quod hic conditionem implens sit vir, aut fœmina, & in perpetuitate istà indulgentia assimiliatur aliis, & si non sit limitata ad tempus durat, nec morte concedentis extinguitur. Pasqual. *dec.* 493. & ex eo Diana *p.* 10. *art.* 16. *res.* 2. Cotton. *l.* 2. *controv.* 11. *num.* 35. quia est gratia concessa à Pontifice, quæ non expirat morte concedentis *cap. super gratia de offic. deleg. in* 6. ille vero, qui indulgentiam pro alio accipit non est delegatus, sed applicat conditionem pro alio.

805. Quartum vero ad secundum modum communicandi Indulgentias, servandum est decretum fel. mem. Alexandr. VII. quod est sequentis tenoris. *La Santità di N. Signore Alessandro Papa VII. dichiara, e determina, che tutte le Corone, Rosarj, Grani, Calcoli, Crocette, Medaglie, & imagini sacre di S. Carlo Borromeo, ò delli cinque Santi Canonizati dalla fel. mem. di Gregorio XV. e tutte le altre che sono state benedette, e concesse con Indulgenze dalli Pontef. Rom. suoi predecessori, le quali sino al giorno presente sono state distribuite, non passano la persona di quelli li quali presentemente le hanno, ne possono prestarsi, ò precariamente darsi ad altri, e quelle che dalla Santità sua sono state concesse, ò in avvenire si concederanno, similmente non possino la persona di quelli à quali dalla Santità sua saranno state concesse, ò à quali saranno state da questi distribuite per la prima volta d'ordine di sua Santità, ne prestarsi ad altri, ò darsi precariamente altrimente perdano le Indulgenze concesse, e quanto alle Corone, Rosarj, Grani, overo Calcoli, Croci, Medaglie, e sacre Imagini benedette, e concesse con Indulgenze dalli medesimi Pontefici Predecessori di sua Santità, quali sin al giorno d'hoggi non hanno havuto il loro effetto, cioè sin hora, non sono state distribuite ad alcuno, in avvenire non possano distribuirsi, come benedette, e se in fatti si distribuiranno per dono le Indulgenze concesse. E se alcuna delle predette cose nella maniera Sopradetta benedette, si perdesse, non si possa in niun modo sostituire in suo luogo un altra, non ostando qualunque concessione contraria, ancor che d'essa dovesse farsi speciale, & espressa mentione, alla quale con le presenti la Santità sua ha derogato, e vuole sia derogato. Dato in Roma l. 6. Febraro 1657. li Secondo del suo Pontificatò.* G. Gualterius.

806. Si autem pro prima vice concedantur alicui electio Rosarii, vel calculi, aut grani, aut medaliæ, aut imaginis, cui applicetur benedictio, & Indulgentia à Pontifice elargita, ea semel facta, amplius non potest mutari, quia finita est delegatio, & eligens functus est officio suo. Et cum hujusmodi electio non sit actus jurisdictionis, potest fieri sola mente. Cardin. de Lugo *disp.* 27. *num.* 151. Cotton. *lib.* 2. *controv.* 11. *cap.* 1. *num.* 37. ubi *num.* 36. ex Quintanad. quod eidem rei possunt applicari plures indulgentiæ, dummodo sint diversi generis.

807. Et quia Pontifices aliquando concedunt aliquem numerum harum rerum quibus est concessa indulgentia, verbi gratia numerum quinquaginta, aut centum calculorum imaginum &c. ad eorum beneplacitum designandorum, advertendum est ex eodem decreto Alexandri Septimi, quod hæc concessio est personalis, quia scilicet ille, cui hic numerus concessus fuit, ex hoc potest applicare indulgentiam v. g. his calculis individualiter ab eo designatis, & postea illos ad beneplacitum distribuere: sed non potest facultatem, sibi concessa subdelegare, communicando alteri facultatem eligendi calculos, & illis applicandi indulgentiam, sed tenetur ipse calculos determinate, & individualiter eligere, & illis benedictionem, & concessam indulgentiam applicare; Et sic postea potest illos sic benedictos communicare donando non vero mutuando.

808. Non possunt verò hujusmodi benedictiones seu indulgentiæ applicari medaliis Beatorum sed solum Domini Nostri Iesu Christi, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum, ut habeatur ex formulario indulgentiarum ordinariarum, his medaliis concessarum, quod Romæ habetur impressum in Typographia Camerali. Diana *p.* 10. *tract.* 16. *resol.* 8. quem contra Gobat.

Gobat. sequitur Cotton. *num.* 41. An vero, ut medaliæ sint benedictionis incapaces sufficiat, si ex una parte tantum alicujus Beati exprimant imaginem ex alia verò parte immaginem alicujus Sancti, negant Diana, & Cotton. *loco citato,* quia sufficiat si ex una parte repræsentent immaginem alicujus Sancti. Hoc mihi certum est quod Beatis etiam declaratis à Sede Apostolica, non potest tribui omnis cultus, sed ille solus, & præcisus qui in literis beatificationis permittitur, ut ex Decretis S. Congr. Rituum constat.

809. An vero si Religiosus, cui concessa est benedictio moriatur ea non applicata possit id facere superior? Affirmavit Gobat. apud Dianam *d. tract.* 16. *res.* 6. qui negativam potius approbat, quod placet Cotton. qui etiam vult, quod Religiosus possit subdelegare hanc benedictionis applicationem, sed dico hanc applicationem, esse mere personalem, unde nec à superiore fieri potest, nec ab eo cui gratia concessa est alteri subdelegari.

810. Cum etiam medalia sit simbolum personale, & concessio benedictionis, & indulgentiæ, non transeat personam, cui est concessa, constat, quod quidquid in contrarium dixerit Gob. apud Dianam *d. tract.* 16. *res.* 2. non potest applicari imagini publicæ, & in altari existenti, ut ex relato Decreto Sanctiss. est manifestum.

811. Si quis etiam accipit Bullam Cruciatæ pro Petro eam sic acceptam non potest applicare, & concedere Paulo, sed solum Petro valet. Card. de Lugo *disp.* 27. *num.* 88.

812. Quantum vero ad tertium modum communicandi Indulgentias per extensionem facultatis lucrandi Indulgentias concessas aliquibus personis, Confraternitatibus, seu Congregationibus ad alias, servandum est Decretum novissimè emanatum à S. Congregatione super indulgentiis, quod est sequentis tenoris. *Sacra Congregatio, Indulgentiis, & sacris Reliquiis præposita cujus præcipua cura est, ut sublatis ambiguitatibus, fallaciis, & ea, multitudo parere soles confusione unusquisque fidelium certis minimeque dubiis Indulgentiis perfruatur, inhærendo Apostolicis Constitutionibus, nimirum fel. rec. Clementis VII, cujus initium* Quæcumque &c. *& Pauli V. quæ incipit,* Quæ salubriter &c. *declarat, nulli Ordini, Congregationi, Societati etiam Iesu, Capitulo Archiconfraternitati, Confraternitati, vel Cœtui cuicumque, neque eorum Superioribus Officialibus, seu Ministris, alisque personis quibuscumque, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis licuisse, nec in posterum quandocumque liciturum ullas Indulgentias aliis communicare, nisi eas, quæ à memorato Paulo, vel ejus Successoribus Romanis Pontificibus præscripta, & concessa, seu antea concessa specialiter postea renovata sive in specie confirmata fuerunt, etiam si facultas illas communicandi eis à S. Sede Apostolica, cum quibus vis clausulis, & decretis ante emanatam Pauli præfatam Construtionem concessa fuisset. Communicationes autem Indulgentiarum eo, que m diximus modo, tam hactenus factas, tum quæ deinceps quandocumque fient nullas, nullinsque roboris, & momenti esse, & fore. Easdem Communicationes nullas pariter, minimique ratas, & validas futuras nisi servata forma supradictæ Constitutionis Clementis VIII. cum specifica, & individua expressione Indulgentiarum, quæ communicantur, (idest ut singula nominentur, & exprimantur) facta fuerint. Declarat insuper Regulares quoscumque cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis etiam Iesu, ac institutos, etiam specifica, & individua mentione digni, & digna, non potuisse nec posse Confraternitatibus, Sodalibus, aliisque similibus Congregationibus, quibusvis tam hactenus erectis & institutis, quam imposterum quandocumque erigendis, & instituendis, sive quorumcumque privilegiorum vigore aggregatis, & aggregandis ullo modo communicare Indulgentias ipsi Regularibus concessas, sed tantum illas, quas ut hujusmodi Confraternitatibus, Sodalitatibus, seu aliis similibus Congregationibus communicent facultas eis specificè, & nominatim per Sedem Apostolicam concessa fuerit. Die XVI. Martii 1671. Et die XIX. ejusdem Mensis, facta relatione ad Sanctissimum Dominum Nostrum Sanctitas sua sententiam Sacræ Congregationis approbavit, & ita servari mandavit.*

F. M. Card. Brancatius Pref.

Loco † Sigilli.

Michael Angelus Ricius Secr.

813. Supponitur itaque à Sede Apostolica indultam fuisse multis facultatem communicandi aliis personis Indulgentias, aliquibus Confraternitatibus seu Congregationibus concessas, sive hoc fiat, novas Confraternitates, seu Congregationes ejusdem nominis, & instituti erigendo, sive prius erectas aggregando.

814. Exemplum prioris modi habemus in Confraternitate Sanctæ Mariæ Pietatis erecta Romæ cujus officialibus Pius Quartus in Constitutione *Illius qui pro Dominici* 37. concessit, ut extra Vrbem novas Confraternitates ejusdem vocabuli instituere possent, & illis privilegia, & Indulgentias eadem Confraternitati concessas in toto, vel in parte communicare ut patet 12. dictæ Bullæ ibi. *Nec non eisdem Guardianis, & administratoribus pro tempore existeren. ut quascumque confraternitates extra Vrbem sub hujusmodi vocabulo instituere, & pro tempore institutas, omnibus, & singulis prædictis, & aliis privilegiis, & indultis deinceps concedendis, sub conditionibus, & formis, eis bene visis decorare illasque eis in toto vel in parte communicare libere & licite valeant, simpliciter concedimus,* Generali quoque Carmelitarum concessum fuisse, ut ubique locorum posset confraternitates habitus erigere illisque indulgentias, & gratias spirituales auctoritate Apostolica libere, & licite communicare refert Lezana *par.* 2. *capit.* 15. *num.* 47. Secundi autem modi exemplum habemus in Archiconfraternitatibus. Nam hoc modo Archiconfraternitatibus Sanctissimi Corporis Christi, erecta Romæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam, aggregando sibi alias similes Confraternitates, communicat illis propria privilegia, & Indulgentias, juxta tenorem Constit. Greg. XIII. quæ incipit *Pastoris æterni*, & data fuit anno 1573. octavo Idus Augusti, & Pauli Quinti, quæ incipit *Cum certas*, & data fuit 3. Novembris 1607. eodem modo Archiconfraternitas SS. Benedicti, & Scholasticæ Romæ in Ecclesia S. Eustachii erecta ex *Constit.* 43. Greg. XV. §. 3. & Archiconfraternitas Mortis, & Orationis Romæ erecta primo in Ecclesia S. Laurentii in Damaso, & postea in Ecclesia S. Ioannis Evangelistæ in Ayra congregata ex *Constit.* 22. Pii Quarti §. 12. & Archiconfraternitas Sanctissimæ Trinitatis Romæ erecta in Ecclesia Hospitalis ejusdem tituli ex *Constit.* Greg. XIII. cujus meminit Cherub. ad *Constit.* 6. Pii Quarti facultatem habent sibi aggregandi alias Confraternitates ejusdem tituli, & communicandi illis proprias Indulgentias; & inter Mendicantes Generalis

lis Ordinis Eremitarum S. Augustini solus potest alias Confraternitates sub titulo Cinturæ erectæ unire, & aggregare ejusdem tituli Confraternitati erectæ Bononiæ in Ecclesia S. Jacobi, & illis sic unitis indulgentias eidem confraternitati concessas communicare, ut ex *Constitutione tertia* Gregorii Decimitertii *in Bull.* ejusdem Ord. descripta.

815. Est vero considerandum, tunc locum habere hanc communicationem, quando privilegia, & indulgentiæ à Sede Apostolica concessæ fuerunt immediatè Confraternitati alicui in Ecclesia aliqua determinata, vel Oratorio erectæ, sic enim Privilegia, & indulgentiæ non competunt aliis Confraternitatibus immediatè, & ex vi Canonicæ illarum erectionis, sed solum illis competere possunt, si illis communicentur ab illas erigentibus, vel illas prius erectis aggregantibus. Imo si spectemus præfatas literas Pii IV. 37. §. 12. pro Confraternitate S. Mariæ Pietatis, & 22. §. 12. pro Confraternitate Mortis, & Orationis, non est necesse quod erigentes, vel has aggregantes, Confraternitates illis communicent omnes indulgentias, sed liberum est instituentibus, aut aggregantibus eas communicare, vel in toto, vel in parte. At vero ubi Confraternitates statim ex vi Canonicæ erectionis indulgentias habent à Sede Apostolica concessas, seu communicatas, non habet locum hæc communicatio facta ab erigentibus, aut aggregantibus; sed imò in istis locum non habet aggregatio, quia istæ Confraternitates omnes, & singulæ sunt Principales, & æquè principaliter fruuntur privilegiis, & indulgentiis talibus Confraternitatibus concessis: erigentes vero illas dant facultatem, & auctoritatem pro illarum erectione, sed nullam facultatem propriè habent communicandi illis indulgentias, sed solum operantur ad illarum erectionem, quæ est conditio sub qua à Sede Apostolica illis Confraternitatibus indulgentiæ concessæ sunt. Vnde has confraternitates instituentes, nec illis aliquam indulgentiam alteri simili Confraternitati concessam communicantes, non subduntur legi illi *Constitut. Quæcumque* 115. Clemente VIII. & dicto decreto S. Congregationis quatenus obligat ad specificandum indulgentias, quæ communicantur, quia isti nullas indulgentias communicant, sed solum Confraternitates pro hac parte erigunt, quæ postea si sint erectæ Canonicæ, fruuntur indulgentiis sibi à Sede Apostolica concessis, & ab ea, non revocatis.

816. Quo supposito cum Paulus Quintus indulgentiis, antea concessis Confraternitatibus revocatis (exceptis indulgentiis concessis Confraternitati Rosarii, quas idem Paulus V. literis revocatoris indulgentiarum hujus Confraternitatis reductis ad terminos juris voluit, ut hæc Confraternitas antiquis indulgentiis, potiri posset, sicut ante dictas literas potiebatur, & fruebatur, ut habetur ex ejus Brevi, quod incipit *Cum olim*, & datum fuit die 20. Septembris 1608.) in hoc decreto S. Congregationis declaratur, & decernitur, quod vel instituendo novas Confraternitates, vel illas aggregando, non possint communicari indulgentiæ revocatæ, sed solum illæ, quæ à Paulo Quinto, vel à Successoribus fuerunt Confraternitatibus concessæ, vel innovatæ in specie, aut in specie confirmatæ. Indulgentiæ vero priores revocatæ tunc censebuntur in specie innovatæ aut confirmatæ, si facta mentione literarum Apostolicarum per quas illæ indulgentiæ fuerant revocatæ illisque ad terminos juris reductis, seu illis non obstantibus Pontifex decernat ex certa scientia. Confraternitatem aliquam indulgentiis revocatis frui posse, sicut poterat ante revocationem illarum, tenore literarum Apostolicarum, per quas illæ indulgentiæ prius fuerant concessæ habito pro expresso in literis innovationis, aut confirmationis, & universaliter illa est confirmatio in specie habens vim novæ concessionis, quæ est ex certa scientia. Sylv. *v. confirmatio n.* 1. & DD. communiter quos abunde refert Rot. *decis.* 166. *p.* 5. *rec.* ubi late explicat quando confirmatio dici debet facta ex certa scientia.

817. Secundo in præfato decreto decernitur, ut communicationes indulgentiarum, quæ fiunt ab instituentibus Confraternitates, vel ab illas aggregantibus, non fiant, nisi servata in hoc forma instituta à Clemente VIII. in Constitutione *Quæcumque* quæ est 115. in *Bular. Romano*, ita scilicet, ut indulgentiæ, quę communicantur, singulæ in individuo nominentur, & exprimantur, quod quidem rationabiliter decretum fuit ad tollendam ambiguitatem, & confusionem, quam secum fert generalis communicatio, & ut fideles certè, & distinctè cognoscant, quas indulgentias possint lucrari, & ut facilius cognosci possit, an illæ indulgentiæ forsan sint nullæ. Et nihilominus istæ indulgentiæ censebuntur expressæ singulæ in individuo, & nominatim, si in communicatione exprimantur literæ Apostolicæ, & dicatur, quod communicantur indulgentiæ concessæ, per literas Apostolicas talis Pontificis die, & anno expressis in quibus datæ fuerunt, & in quibus indulgentiæ nominatim exprimuntur. Nam indulgentiæ singulæ, & nominatim exprimuntur, si nominantur singulæ literæ Apostolicæ in quibus indulgentiæ singulæ, & nominatim sunt expressæ. Archiconfraternitas SS. Corporis Christi, erecta in Ecclesia S. Mariæ super Minervam, optime servat hoc decretum, quia in literis aggregationis ponit per extensum Bullam Clem. VIII. *Quæcumque*, & Bullam indulgentiarum sibi concessarum per Paulum V. qui alias indulgentias revocavit.

818. Tertio decernitur, quod instituentes, seu aggregantes, non possint communicare Confraternitatibus institutis, aut aggregatis indulgentias ipsis regularibus concessas, sed solum illas, quas, ut communicent Confraternitatibus, seu congregationibus, facultas eis specifice, & nominatim per Sedem Apostolicam concessa fuerit. Ex hoc tamen sequitur, quod si per Sedem Apostolicam concessum fuerit superioribus regularibus nominatim, & expresse ut Confraternitatibus, seu Congregationibus à se institutis, aut aggregatis communicare possint etiam indulgentias concessas regularibus ipsis, etiam istæ communicari possunt, cum ad illas communicandas, facultas nominatim, & expresse concessa fuerit. In quo tamen tenores literarum Apostolicarum diligentissime considerari debent.

819. Advertendum vero est, quod Confraternitates Sanctissimi Nominis Dei, & Sanctissimi Rosarii quas erigit Ordo Prædicatorum, non sunt Archiconfraternitates, quæ facultatem aggregandi habeant; sic in istis nullum locum habet communicatio indulgentiarum per aggregationem: sed singulæ Confraternitates legitimè erectæ, statim de jure, & æquè principaliter, & independenter à quacumque alia simili Confraternitate, fruuntur indulgentiis eis per Sedem Apostolicam concessis, aut communicatis, sed, & superiores dicti Ordinis habent quidem facultatem erigendi Confraternitates illas, juxta formam à Clemen-

mente Octavo in dicta Constitutione expressam, sed non habent, vel minimam facultatem conferendi, aut communicandi aliquam indulgentiam, neque hac facultate utuntur, sed Confraternitates hujusmodi statim ac legitimè sunt erectæ, independenter à quacumque; communicatione sibi facta per instituentes, statim de jure fruuntur omnibus, & singulis indulgentiis quæ illis per Sedem Apostolicam sunt concessæ, aut communicatæ: Summi enim Pontifices, immediatè singulis confraternitatibus indulgentias concesserunt, & ita quod indulgentiæ singulis concessæ, omnibus & singulis æque principaliter concessæ sint, ut constat ex Bullario dictarum Confraternitatum, & præcipuè ex Bullis Pii V. *Inter desiderabilia, & consueverunt*, quæ etiam *in Bullar. Romano* inter Bullas dicti Pontificis sunt impressæ sub *num. 86.* & ex Bulla Gregor. XIII. quæ incipit *Pastoris æterni*, & data fuit 9. Maii 1581. & ex Bulla Sixti Quinti *Dum ineffabilia*, quæ in Bullario Romano etiam habetur sub *num. 21.* & ex hoc corrigi debet Lezana qui *p. 2. cap. 17. num. 60.* dixit per Sixtum Quintum in dicta Bulla *Dum ineffabilia* Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, aut ejus Vicario concessam fuisse facultatem, ubique erigendi Confraternitates Sanctissimi Rosarii, & pro illis sic erectis communicandi privilegia, & indulgentias. Hoc enim ultimum ibi non habetur, sed Pontifex ipse Confraternitatibus legitime erectis concedit privilegia, & Indulgentias, ut constat ex ejusdem Bulla, quæ refertur infra.

820. Hac vero occasione ponderanda sunt, & ad trutinam veritatis examinanda nonnulla, quæ Antonius Ricciullus Archiepiscopus Cosentinus in suis Lucubrationibus Ecclesiasticis docuit de Superioribus Ordinis Prædicatorum, & Sanctissimi Rosarii Confraternitate, & ejus indulgentiis. Itaque ibidem *lib. 4. tractatu de Confraternitatibus cap. 2. n. 4.* tractans de illis, qui habent auctoritatem erigendi Confraternitates hæc habet numero 4. *Quoniam autem complures Romani Pontifices, diversis regularium ordinibus, secularibusque Congregationibus, privilegium erigendi, & aggregandi concesserant, indeque pravæ irrepserant consuetudines, ideo fel. rec. Clem. VIII. formam erigendi, & aggregandi præscripsit peculiari ejus Constitutione quæ incipit* Quæcumque à Sede Apostolica *& est 115. in ordine novissimi Bullarij, ad quam lectorem rejicio. His addas quod facultas concessa Patribus Dominicanis pro Societate Sanctissimi Rosarii locum sibi vendicat tantum in Societatibus erectis in eorum Ecclesiis, non autem extra eas, ut ex facto respondit sacra Congregatio Episcoporum 13. Maii 1603. rescribens Episcopo Spoletano.* Videtur vero quod Doctor iste sentiat quod superiores Ordinis S. Dominici, non habeant facultatem erigendi Societatem Sanctissimi Rosarii, in aliorum Ecclesiis, quia cum præmiserit Ordinibus Regularium concessam esse facultatem erigendi Confraternitates aut aggregandi, addit quod facultas concessa Patribus Dominic. &c. dictio enim *facultas* videtur intelligenda de facultate, de qua ibidem loquebatur, scilicet de facultate, erigendi, aut aggregandi Confraternitates; Contra tamen hunc sensum facit, quia subdit *in Societatibus erectis in aliorum Ecclesiis*, & sic non videtur loqui de facultate erigendi, sed de facultate in Societates erectas. Non poteit tamen negari quod non loquatur satis confuse, & obscure. In eodem vero *l. 4. cap. 19. num. 2.* tractans de indulgentiis, & gratiis spiritualibus Confraternitatem hæc habet. *Indulgentia concessa Patribus Ordinis S. Dominici pro Societate Sanctissimi Rosarii locum habent tantum in Societatibus erectis in Ecclesiis ejusdem Ordinis, non autem extra eas: ita respondit Sacra Congregatio Episcoporum 13. Maii 1603. Episcopo Spoletano.*

821. Ut autem appareat quantum hæc sint aliena à veritate, primo refertur decretum S. Congregationis Episcoporum, & Regularium datum die 13. Maii anno 1603. & contentum in epistola directa Vicario Episcopi Spoletani, & habetur in registro dicti anni 1603. *fol. 53.* & cujus transumptum authenticum habeo mihi benigne concessum ab Illustrissimo Domino C. de Vecchiis Archiepisc. Athen. & dictæ S. Congregationis Secretario, & est infrascripti tenoris.

Camerino.

Al Vicario Generale di Spoleto. *Altre volte d'ordine della Sacra Congregatione, il Vescovo di Comachio allora Governatore di Camerino l'interpose per accordare, come accordò alcune differenze, che erano trà la Compagnia del Rosario di Rossigliano Diocesi di Camerino due Cittadini, & il Piovano di quel luogo, & essendosi stabilito concordevolmente il tutto per instromento publ. co il medemo Piovano e la compagnia hanno fatto sapere à questi miei Illustrissimi Signori, che mentre si stava per metter l'accordo in essecutione, li due Cittadini hanno a questi giorni fatto fare eletione di nuovi Officiali con l'intervento del Priore de Frati di S. Domenico di quel luogo, e di 27. Confratri solamente di cento, ò ducento che sono in tutti, senza osservare il sudetto accordo stabilito dal Vescovo di Comacchio, & essendo dispiaciuto alle Signorie loro Illustrissime queste novità hanno resoluto di commettere à voi questo negotio, ordinandovisi con questa, che quanto prima andiate à Rossigliano, e convochiate la Compagnia tutta ò il maggior numero de Confrati che potrete, constandovi, che l'eletione de gl'Officiali sia fatta nel sudetto modo, ò in altro diverso da quel, che si doveva, per la concordia seguita, la rivocarete totalmente per ordine espresso della Sacra Congregatione, e farete fare una elettione che sia legitima, e conforme alla sudetta conventione. E quanto al Priore di San Domenico le Signorie loro Illustrissime hanno risoluto, e con questo dichiarano nel presente caso, che le facoltá concesse alli Frati di S. Domenico nelle compagnie del Rosario non si estendono à quelle compagnie che sono fuori delle loro Chiese, e perciò non permetterete che il Priore, ne altri de Frati intervenghi all'Elettione, ne v'esserciti qual si sia altra autorità, non ostante qualsivoglia ordine del suo Generale, è con questa vi si da sopra tutte queste cose piena facoltà, procurando ch'il tutto s'eseguisca quietamente d'accordo se sará possibile, altrimente con debiti mezzi della Giustitia. Roma 15. Maggio 1613.* Reg. p. 53.

822. Manifestum vero est, quod in hoc decreto, nec minimum verbum habetur de facultate erigendi Confraternitates Rosarii, vel de ejus indulgentiis, sed Sacra Congregatio se restringit ad casum in ea controversum, & ex vi illius decreti solum declaratur, facultates concessas Superioribus, & Fratribus Ordinis Prædicatorum in ordine ad Confraternitates Sanctissimi Rosarii jam erectas, non extendi ad hoc, ut præsideant, vel assistant electionibus officialium in Confraternitatibus erectis in aliorum Ecclesiis. Quod ex verbis ejusdem decreti manifestè constat, ut patet ibi *le Signorie loro Illustrissime hannò risoluto, e con questa dichiarano nel presente caso, che le facoltá &c.* Declaratio igitur ista limitata est ad præsentem casum, scilicet ad jus præsidendi, & assistendi electionibus officia-

officialium in Ecclesiis ab Ordine extraneis, in quibus reperitur Confraternitas Rosarii, quod clarius apparet ex verbis sequentibus ibi. *E perciò non permettevete, che il Priore, & altri Frati intervenghi all'elettione, ne v'eserciti qual si sia altra autorità &c.* Siquidem illa Rosarii Confraternitas erecta erat in Ecclesia aliena.

823. Cæterum loquendo de facultate erigendi Confraternitates Sanctissimi Rosarii in quibuscumque Ecclesiis, etiam aliorum ordinum, etiam sæcularium, hæc nedum convenit Magistro Generali Ordin. Prædicatorum, vel ejus Vicario, sed hæc facultas illi competit privativè quo ad omnes alios, etiam Episcopos, ut constat ex Constitutione Pii V. quæ incipit *Inter desiderabilia*, & data fuit 29. Junii 1559. & habetur *in Bull. Romano sub num. 86. §. 2.* ibi *Auctoritate Apostolica per præsentes statuimus, quod nulli licitum existat, minusque aliquis Capellam SS. Rosarii in quamvis Ecclesia sive loco erigere, præter dictum Generalem, aut ab eo Deputatos, ac prædictum Ambrosium &c.* Et inde est, quod cum in Ecclesia Collegiata S. Laurentii Majoris Mediolani erecta fuisset Societas SS. Rosarii auctoritate Ordinarii, Sacra Rituum Congregatio, me instante, & procurante, illam nulliter fuisse erectam declaravit per Decretum sequentis tenoris: *Iuribus hinc inde deductis, mature discussis S. Rituum Congregatio ad relationem Eminentissimi Cardinalis Astallis, censuit Confraternitatem SS Rosarii auctoritate ordinaria erectam in Collegiata S. Laurentii Majoris Civitatis Mediolanensis, omnino erigi debere à Generali Ordinis Prædicatorum. Die 9. Aprilis 1661.*

I. Episcopus Sabinensis Cardinalis Sacchettus.

Franciscus Fœbeus. *Loco † sigilli.*

Et cum Præpositus, & Confratres dictæ Ecclesiæ obedire recusarent, habito recursu ad Auditorem Cameræ coacti fuerunt illam Confraternitatem habere tanquam nulliter erectam. Unde illi sub alio nomine, & titulo Confraternitatem in illa Ecclesia erexerunt.

824. Quantum vero ad facultates supra hujusmodi Confraternitates erectas in aliorum Ecclesiis, quamvis Decretum Sacræ Congregationis vere sit limitatum ad casum, de quo erat controversia, tamen quia decretum illud innititur juri communi, considerandum est, quod ex quo Generali Ordinis Prædicatorum data est facultas erigendi Confraternitates Sanctissimi Rosarii in aliorum Ecclesiis, id petentibus fidelibus eorum locorum, & consentientibus illis sub cujus cura sunt Ecclesiæ, in quibus erigenda est dicta Confraternitas, non per hoc eidem Magistro Generali concessa est jurisdictio, aut Dominium illarum Ecclesiarum, in quibus Confraternitas erigitur. Hinc est quod plures facultates respicientes regimen, & administrationem dictæ Confraternitatis, quæ competunt dicto Magistro Generali, aut aliis superioribus Ordinis Prædicatorum, ratione jurisdictionis, & dominii propriarum Ecclesiarum, seu etiam ratione statutorum particularium, consuetudinis, aut conventionum, & capitulorum initorum cum dictis Confraternitatibus, non se extendunt ad Confraternitates erectas in aliis Ecclesiis, quantum ad illa, quæ involvunt aliquod dominium aut jurisdictionem, aut superioritatem in aliorum Ecclesiis. Hujusmodi sunt jus convocandi Confratres ad easdem Ecclesias, & præsidendi electionibus, & Congregationibus, quæ in eisdem Ecclesiis sunt, & alia similia. Circa quæ nec Ordo Prædicatorum se extra Dominum suam ingerit, & ubi oriantur controversiæ, Confratres remittit ad suos Judices Ordinarios.

825. Bene verum est, quod Magister Generalis Ordinis Prædicatorum habet facultatem in eisdem Ecclesiis, & Confraternitatibus deputandi sacerdotem, qui confratres recipiat & describat, ut est manifestum ex Constitutione Pii V. quæ incipit *Consueverunt* §. 4. ibi. *Ac omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexus confratribus, per dilectos filios modernos, & pro tempore existentes Fratres Ordinis prædicti in suis, & tam per eos, quàm per alios sacerdotes etiam in aliis Ecclesiis à dilecto filio etiam moderno, & pro tempore existente ipsius Ordinis Generali Magistro, vel ejus Vicario dumtaxat deputatos, in hujusmodi Sodalitatem seu Confraternitatem Rosarii receptis, & descriptis Ecclesias, Altaria, & Capellas hujusmodi visitantibus, nec non Deo preces juxta Rosarii modum prædictum effundentibus, quod omnibus, et singulis indultis indulgentiis, peccatorum remissionibus, relaxationibus, privilegiis, et aliis gratiis præfatis frui, uti, potiri et gaudere etc.*

826. Quantum vero ad indulgentias à veritate prorsus aliena esse, quæ habet Riciullus nulli non est manifestum. Et quidem primo falso allegatur Decretum S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, cum in illo nec verbum habeatur de indulgentiis Quod si dixerint extare aliud decretum illud, afferant in authentica forma, nam alias non semel, sed pluries ego diligentissime legi Regesta S. Cong. & tam illud quod dicitur regularium, quam illud, quod dicitur Episcoporum, & vidi omnia determinata ab eadem S. Cong. die illa 13. Maii 1603. & nullum aliud decretum inveni directum vel Episcopo, vel Vicario Spoletano, in quo sit sermo de Confraternitate Rosarii, præter illud supra recensitum. Deinde secundo, nulla est vel minima indulgentia, quæ sit concessa Patribus S. Dominici pro Societate Sanctissimi Rosarii, sed omnes hujusmodi Indulgentiæ immediate à Sede Apostolica sunt concessæ, vel Confraternitati hujusmodi vel Confratribus ejus. Ita quod (ut dictum est) Superioribus hujus Ordinis non sit concessa vel minima facultas concedendi, aut communicandi aliquam indulgentiam dictis Confratribus, ut ex Bullario ejusdem Confraternitatis impresso unusquisque videre potest. Quod si per indulgentias concessas Fratribus Ordinis S. Dominici, ipse intelligit indulgentias concessas Confraternitatibus, seu Confratribus Sanctissimi Rosarii, quia hæc Confraternitas, sit primo inventa à S. Dominico, & culta ab ejus filiis summa diligentia; Et quia, ut plurimum dictæ indulgentiæ concessæ sunt ad instantiam fratrum eorumdem, tunc dicere quod hujusmodi indulgentiæ locum habeant tantum in societatibus erectis in Ecclesiis ejusdem Ordinis non autem extra illas est lapsus manifestus, ad quem convincendum sufficit recensere aliqua ex dicta *Constit.* 21. Sixti Quinti *Dum ineffabilia*. In ea enim de Confraternitatibus erectis tempore editæ illius Constitutionis, sic dispositum fuit §. 3. & 4. *Nos dictorum prædecessorum vestigiis inhærendo ac eodem, quo ipsi Prædecessores nostri devotionis affectu divinitus excitati, necnon dilecti filii nostri Michaelis tituli B. Mariæ super Minervam Presb. Card. Alexandrini nuncupati supplicationibus inclinati, singularū litterarum prædictarū tenores, & formas præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, omnia, & singula privilegia, immunitates, & exemptiones, concessiones, indulta, indulgentias, etiam plenarias, & peccatorum remissiones, ac relaxationes, omnibus, & singulis Confrater-*

fraternitatibus dicti Rosarii ubicumque terrarum Canonice institutis, earumque Confratribus, & Sororibus, tam prædictos prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam, seu illius Nuncios cum potestate Legati de latere concessa, elargita, & confirmata, ac cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis desuper confectas literas prædictas, & vivæ vocis oracula, aut alias quomodolibet emanatas auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illaque omnia, & singula, prout per ipsos prædecessores nostros, & alios prædictos concessa fuerunt, perpetuæ firmitatis robur obtinere, ac inviolabiliter observari debere decernimus, omnesque, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eis, supplemus. Et pro potiori cautela, omnes, & singulas indulgentias, etiam plenarias, & peccatorum remissiones ac relaxationes, exemptiones, facultates, concessiones, privilegia, & indulta prædicta omnibus, & singulis Confraternitatibus dicti Rosarii in quibusvis Ecclesiis, & Capellis, ac Altaribus ubicumque terrarum Canonice erectis, eorumque Confratribus, & Sororibus, nec non officialibus, & ministris eisdem modo, & forma, quibus per eosdem prædecessores Nostros, & dicta Sedis nuncios concessa fuerunt, dicta auctoritate Apostolica de novo concedimus, & innovamus, ac omnibus, & singulis Confraternitatum Rosarii hujusmodi Confratribus & Sororibus nunc, & pro tempore existentibus suffragari debere, eosque illis perpetuo uti, potiri, & gaudere posse decernimus, & declaramus.

828. De erigendis vero impostetum post illam Constitutionem subditur §. 5. & 6. *Et insuper, ut omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratribus per Magistrum, & Vicarium generales dicti Ordinis Prædicatorum, & eorum quemlibet pro tempore deputandis in quibusvis Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis ubicumque existentibus, ut in eorumdem Prædicatorum, vel aliorum Ordinum Monasteriorum, seu Domorum Ecclesiis, Capellis & Oratoriis, & etiam in sæcularibus Ecclesiis, in quibus nullæ Confraternitates ejusdem Rosarii ad huc erectæ existunt de superiorum, & Ordinariorum licentia Confraternitates ejusdem Sanctissimi Rosarii ad Dei, & ejusdem B. Virginis laudem & gloriam erigere, & instituere liberè, & licitè possint, & valeant, plenam & liberam licentiam, & facultatem dicta Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus. Ac postquam erectæ fuerint, ut omnibus & singulis Privilegiis, indultis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, indulgentiis, etiam plenariis, & peccatorum remissionibus, ac relaxationibus, & gratiis quibusvis aliis ejusdem Rosarii Confraternitatibus, earumque Confratribus ac sororibus per prædictos, & quoscumque alios Romanos Pontifices etiam Prædecess. nostros, ac etiam nos & sedem prædictam ejusque Nuncios & etiam de Latere legatos hactenus quomodolibet concessis ac concedendis, & quibus Confraternitates hujusmodi earumque Confratres, & sorores quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum pariformiter, & æque principaliter in omnibus & per omnia, ac perinde, ac si illis specialiter, & expresse ac nominatim concessa fuissent, uti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè possint pariter concedimus, & indulgemus, ac privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitatès, concessiones, indulgentias, etiã plenarias, ut præfertur concessas, & concessa ad ipsas Confraternitates, erigendas illarumq; Confratres, & Sorores pro tempore existentes perpetuo extendimus, & ampliamus.*

829. Manifestum igitur ex tenore hujus Constitutionis, quod omnes Sanctissimi Rosarii Confraternitates etiam erectæ in Ecclesiis sæcularium fruuntur omnibus, & singulis indulgentiis, privilegiis &c. quibus fruuntur Confraternitates erectæ in Ecclesiis Ordinis Prædicatorum, & hoc æquè, & principaliter, & non per concessionem, aut communicationem sibi factamà superioribus ejusdem Ordinis, sed immediatè per concessionem Sedis Apostolicæ.

830. Sed quia ejusdem Decreti S. Congregationis mentionem faciunt Gavant. *v. Confraternitas num. 8.* Barbos. *in summ. v. Rosarium num. 2.* Lezana *p. 2. cap. 15. num. 60.* & forsan alii, qui vel illud decretum in fonte non viderunt, vel minus rectè illud interpretati sunt, dum sine limitatione, seu distinctione indeffinitè dicunt facultates concessas superioribus Ordinis Prædicatorum, non extendi ad Confraternitates erectas in Ecclesiis sæcularium, cum tamen illud decretum expressè sit limitatum ad facultatem præsidendi, aut assistendi electionibus officialium in Confraternitatibus foris erectis, ut ex illius verbis est manifestum. Ideo observandum est quod alias plures admonui, scilicet quod DD. allegantibus Decretas SS. Congregationum, & præcipue S. Congreg. Episc. & Reg. modica vel nulla fides est habenda nisi simul sincerè referant memorialia vel supplicationes, vel casus super quibus emanarunt decreta, & verba ipsa omnia eorumdem Decretorum. Nam hic intollerabilis prorsus error passim committitur ab aliquibus DD. quod decreta data in casibus particularibus etiam spectatis particularibus circumstantiis, tanquam decreta universalia referunt, se ipsos & alios decipientes in præjudicium veritatis.

QVÆSTIO LIV.

Vtrum indulgentia sit perpetua, vel temporalis.

SVMMARIUM.

831 *Indulgentiæ sunt aliqua ratione perpetuæ, & aliquæ temporales.*
Indulgentia ferendæ sententiæ de se non est temporalis.
832 *Delegatio per modum legis est perpetua.*
Quæ temporalis.
833 *Gratia ad beneplacitum Sedis non expirat morte concedentis.*
834 *Indulgentia absolutè concessa est perpetua.*
835 *Indulgentia per accidens fit temporalis.*

831. Respondetur indulgentiarum quæsdam tẽporales esse. Et quidem in hoc sensu omnes sunt perpetuæ, & omnes temporeles, quod post earũ acquisitionem legitimam, illarum effectus est perpetuus, & inamissibilis, reatus enim pœnæ ablatus, nunquam redire potest, & pœnæ obligatio semel absolute, & simpliciter ablata, non redit ab extrinseco, quamvis ex nova hominis culpa novus pœnæ reatus consurgat. Sed ante consecutionem omnes Indulgentiæ sunt in eo sensu temporales, quod sunt revocabiles per eum qui illas concessit. Per concessionem enim indulgentiæ illæ, cui est concessa, non consequitur alicujus rei dominium, aut jus in aliqua re, quod sine justitia non possit ab eo auferri sed obtinet solum facultatem lucrandi indulgentiam concessam, si non fuerit revocata.

832. Sed

832. Sed de facto loquendo aliquæ sunt temporales,& aliæ sunt perpetuæ. Ex se non perpetuam, sed temporalem esse indulgentiam, quæ est veluti sententiæ ferendæ,dicunt aliqui,quia hujusmodi indulgentia habet vim cujusdam delegationis, non enim est nisi facultas dandi indulgentiam, vel eam recipiendi ab aliquo, clarum vero est delegationem ex se non esse perpetuam. Sed ratio ista non procedit,quia delegatio facta universaliter,& per modum legis,ex se est perpetua, si non fiat pro tempore determinato; Sic enim v.gr. si Pontifex concedat, ut quicumque ingressus fuerit aliquam piam Confraternitatem, possit sibi eligere Confessarium, qui sibi conferat indulgentiam plenariam, facultas hujusmodi de se non est limitata ad aliquod tempus, sed totum tempus futurum respicit. Et si dicatur quod delegatio est revocabilis, jam patet, quod in hoc sensu nulla est indulgentia perpetua, sed tamen delegatio præfata de facto ex se in perpetuum durat, nisi revocetur.

833. Aliter igitur distinguitur, & dicitur quod indulgentia vel est concessa pro determinato tempore, vel expresse in perpetuum, vel absolute, & indifinite nullo præfixo tempore. Illa proculdubio est temporalis, quæ est concessa ut duratura usque ad certum tempus, sicut est illa, quæ sæpius conceditur duratura ad septem annos. At vero è contra de se perpetua est, quæ expresse est concessa in perpetuum. Quod idem dicitur, si sit concessa ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, quia enim Sedes Apostolica non moritur, sed est perpetua, ideo concessum ad beneplacitum Sedis Apostolicæ non cessat ex morte Pontificis *cap. si gratiose de rescrip. in 6.* sed in perpetuum durat, nisi revocetur.

834. Si vero indulgentia est concessa absolutè,& indefinitè non expressa vel determinatione temporis,vel ejus perpetuitate dicenda est perpetua,ut cum D. Tho. *4.dist.20.quæst.1. art.5.quæst.2.ad* 4.Palud.*4.d.20. quæst. 4.*Sylv.*verb.indulgentia num. 16.* & apud eum Innoc. & Landulphus,Suarez *disp. 57. sect.1. num.5.* tradunt DD. communiter, quia quod concedens dat sine limitatione temporis censetur datum in perpetuum, maximè in materia favorabili,qualis est materia indulgentiarum, quia datum sine limitatione temporis valet, quod est esse perpetuum.

835. Potest tamen esse, quod adsit limitatio aliqua virtualis, aut implicita. Nam indulgentia personalis concessa personæ determinatæ temporalis est durans ad vitam illius,& potest dici vitalis.Indulgentiæ etiam locales habent illud temporalitatis, quod est annexum loco,qui ex multis causis, & accidentibus dirui potest, & totaliter deficere. Magis vero perpetuæ sunt Religionibus, concessæ & ideo indulgentiæ absolute illis concessæ de se majorem habent perpetuitatem.

QVÆSTIO CV.

Vtrum aliquis Indulgentiam in perpetuum, vel absolute concessam possit pluries lucrari opus injunctum sæpius replicando.

SUMMARIUM.

836 *Indulgentia perpetua acquiri potest toties quoties.*

Etiam eadem die.

837 *Indulgentia concessa pro certa die semel tantum acquiritur.*

838 *Iubilaum anni Sancti semel tantum acquiri potest.*

839 *Idem dicitur de Iubilao extraordinario.*

840 *Indulgentia concessa pro festo, & octava semel tantum potest acquiri.*

841 *Indulgentia non cessat morte concedentis.*

842 *Etiam si sit sententia ferenda.*

843 *Etiam concessa ab Episcopo Legato, & Delegato.*

844 *Discrimen inter facultatem delegatam concessam à Delegato.*

836. Respondetur indulgentiam perpetuam acquiri posse pluries, & toties quoties opus injunctum iteratur prudenter & religiose.Ita D.Thom. *4.dist.20.quæst.1.art.3.quæst.2.ad* 4. D. Anton. *p.1.tit.10. cap.3.§.3.* Turrecremata *§.item in Levitico a.4.num.35.* Palud. *4.d.20.quæst.4.art.1.d.3.* Bolog. *de indulg. num. 76.* Fœlin. *num.37.* Sylv. *numer.22.* Tabien. *numer.15.* Navar. *de iubil.not.15.num.19. & not.31.numer.37. & 7.* Cord. *quæst.35.* Suarez *disp. 57. sect.1. num. 4.* Henriq. *lib.7.cap.11. num.1. & cap.17.num.7.* Bonacc. *disp.6.qu. 1.p.5. num.32.* Palaus *tract.24.p.9. numer.16.*Trullench. *in Bullam Cruciatæ §.6. dub.3.* Rodriq. *§.9. num.15.* Filliuc. *tract.8.cap.8. num.197.* Sanchez *l.4. in Decal. cap. 54.num.29.* Benzon. *de iubil.l.5. cap.15. d.23.* Sanctarell. *de iubil.cap.5.dub.*4.Tolet. *lib.6. cap.28.* De Lugo *disp. 27.num.34.* Nam hujusmodi Indulgentia non est intelligenda ut concessa semel tantum. Si enim absolutè concessa fuit visitantibus aliquam Ecclesiam, Indulgentia v. g. septem annorum, irrationabile esset velle hoc intelligere adeò limitatè, ut unusquisque solum unica vice illam Indulgentiam consequi posset, quia nulla temporis limitatio fuit expressa, si ergo indulgentia hujusmodi non est ad unicam vicem limitata, non est unde dicatur limitata ad secundam,vel tertiam, vel aliam in infinitum.

837. Palud.tamen *4.dist.20.quæst.4.ar.1. dub.3.* & Corduba *quæst.33.* & Suarez *disp.57. sect.1.num.7.* & Nugnus *in supplem.quæst.27.num.4.diff.4.* existimant,quod in eodem die non possit aliquis pluries illam indulgentiam lucrari, quia alias quis millies in eodem die posset v.g. ingrediendo, & egrediendo Ecclesiam lucrari indulgentiam,quod est superfluum, & irrisorium videtur. Sed hoc non probat, quia ut advertunt D. Anton. *p.1. tit.10.cap.3.§ 3.* Turrecrem. *§. item in Levitico ar. 4. num.35.*Bolog. *de indulg.num.76.*Fœlin. *de indulg. num. 37.*Tabien. *v.indulgentia num.15.* Trullench. *ubi supra* si quis prudenter & religiose pluries in die assistat in aliqua Ecclesia divinis officiis, aut illam Ecclesiam visitet, non consequetur pluries indulgentiam concessam perpetuo illam visitantibus. Neque enim hic adest vel irrisionis materia, vel superfluitas, quia potest esse, quod per unam vicem non sit visitanti remissa tota pœna,vel quod post eam novum reatum pœnæ contraxerit, vel quod ex aliquo defectu prima vice indulgentiam non fuerit consequutus.

838. At vero quando indulgentia datur ad definitum diem, aut ad paucos dies adhuc quod possit pluries eodem die acquiri volunt Angelus *v.indulgentia num.4.* Rosella *num. 12.* Navarr. *not.32. numer.46.* Rodriq. *in Bullam Cruciatæ §.8. numer.15.* Vega *part. 2. cap.7. casu 30.* Sed è contra, quod tunc censeatur data pro una vice tantum, nam & propterea datur pro defini-

definito tempore docuerunt D.Thom. & alii DD. supra *num.*837. citati.

839. Limitant tamen hoc aliqui, ut quando indulgentia est concessa ad longevum tempus, puta ad annum possit pluries acquiri, ideo quod in Anno Sancto jubilæus possit acquiri pluries contra Sanchez *lib.4. mor.cap.54.nu.3.* & Suarez *disp.57.sect.1.n.7. & tom.2. de Relig.lib.6.de voto cap.16.* & paucos alios, docent Navar. *not.32.num.46.& not.37.num.7.* Henriq. *l.7. cap.16.num.6.* Benzon. Floren. Rodriq. Vega, Lavor. Fernandez, Nard. Leon. Gratian. Pinel.quos refert & sequitur Pasqual. *de iubil. quæst.21.num 2.* Bolius *sect.1.casu* 40.*num.12.* Sanctarell. *de Iubil. cap.5. dub.4.* cum enim simus in materia in qua æquitas multum potest, ex quo Pontifex in Anno Sancto indefinite concedit, ut visitantes Ecclesias jubileum acquirant, hæc indefinita accipitur, ut æquipolleat Universali. Et eo magis, quod militat eadem ratio in prima acquisitione, quæ est ut fideles Romæ visitent frequenter Basilicas Apostolorum. Verum in contrarium militat regula illa, quod sermo simpliciter prolatus in uno actu, & in una vice consumatur *l.dotis possessi ff.de jure dot.l.Boves.§.hoc sermone ff.de verb.signific.* Quod est verum, etiam si actus habeat causam & finem multiplicabilem, quia debet attendi mens, & intentio injungentis, seu concedentis actum, quæ non præsumitur esse, ut actus toties quoties quis voluerit, iteretur, dum per verbum simpliciter prolatum enunciat, & concedit ut hoc, vel illud fiat; nec doctrina de indefinita significatione applicatur, quia in concessione jubilæi sunt quidem termini personales, qui universaliter distribuntur ad personas, quibus universaliter conceditur jubilæus, sed non adest dictio universalis, quæ distribui debeat ad numerum hunc, vel illum, seu ad toties, quoties, sed solum dicitur, quod visitaverint &c, lucrentur jubilæum. Quod tum unica vice perficitur. Ideo teste Filliuec *tract.8.cap.10.nu.278.* fertur Clem.VIII. respondisse semel tantum posse acquiri jubilæum, & S.Congr. Concilii mense Maii anno 1610. hoc idem declaravit.

840. Hinc sequitur multo magis dicendum esse, quod qui semel in prima hebdomada luctatus fuit jubilæum extraordinarium non potest illud lucrari hebdomada secunda, vel qui jubilæum lucratus fuit Romæ non potest illud lucrari Neapoli. Card. de Lugo *ubi supra* Sanchez, & Suarez *loc. cit.* Diana *p.2. tr.4. ref.151.* quamvis qui neglexit acquirere jubilæum in uno loco, possit illud acquirere in alio.

841. Pariter sequitur, quod ubi sit concessa indulgentia pro aliqua solemnitate, & ejus octava, nihilominus non in qualibet die illius Octavæ, sed solum semel potest à quocumque illa indulgentia acquiri. Nec præsumi debet indulgentiam concessam fuisse ad fovendum concursum per totam Octavam, sed pro majori fidelium commoditate, nisi aliud appareat ex literis Pontificiis; quo cessat limitatio posita à Cardinali de Lugo *num.96.* Nam & in jubilæo conceditur Annus, vel duplex hebdomada ad fidelium commoditatem. Utrum vero indulgentia expiret morte concedentis.

842. Respondetur, certum est eam non expirare, nisi concedens id exprimat, & eam expirare velit. Nam indulgentia est favor & gratia, cujus natura est, ut duret in perpetuum, nisi revocetur *cap. si gratiose de rescript.in 6. & reg.* Decret. *de reg. iur. in 6.* Palud. 4. *dist.20.quæst.4.ar.1.* D.Anton. *p.1.t.10. cap.3. §.3. art.5.* Sylv. *verb.indulgentia num.16.* Angel. *num.7.* Innoc. *in cap. Quod translationes de offic.legati* Navar. *not.31. num.26.* Suarez *d.disp 57.sect.2.num.2.* Palaus *tract.24 p 11. num.4.* Cotton. *lib.2.contr.11.numer.35.* Cardin.de Lugo *disp.27.num.152.* Nam, & in gratiosis voluntas concedentis (nisi ille contrarium exprimat) censetur moraliter durare etiam post mortem, nisi revocetur, aut mutetur, & successor censetur illam approbare.

843. Et ideo hæc assertio ampliatur, ut vera sit de indulgentia non concessa ad tempus determinatum, & etiam de illa, quæ est veluti ferendæ sententiæ, per quam conceditur facultas alicui, ut possit eligere Confessarium, qui illam indulgentiam conferat Suarez *d. sect.2.num.3.* licet enim hujusmodi concessio involui quamdam delegationem, non tamen est delegatio, sed gratia directe, & primo concessa pœnitenti: Unde est etiam quod non cessat per mortem concedentis facultas alicui concessa, ut possit absolvi à reservatis.

844. Ideo amplius extenditur assertio, ut vera sit etiam de indulgentia concessa ab Episcopo, ut ex Palud. & Sylv. ubi supra, & Suarez *num.4.* patet, & ex usu constat, & de concessa à Legato Papæ, qui perpetua statuta etiam concedere potest *cap. ult. de offic. leg.* imo etiam de illa, quæ sit concessa à Delegato Papæ. Nam licet potestas delegata re integra deficiat morte delegantis, non tamen per hoc cessat gratia concessa à Delegato, nisi potestas illi concessa fuerit limitata. Nam indulgentia ex se non habet, ut pendeat à vita concedentis. Si ergo Pontifex absolute, & sine limitatione aliqua durationе concedat alicui facultatem ut concedat talem indulgentiam, illa durabit etiam post mortem concedentis. Et est discrimen inter facultatem concedendi indulgentiam, & indulgentiam à Delegato concessam. Indulgentia enim ex se non habet, ut pendeat à vita concedentis, ideo si limitate ad concedentis vitam concedatur, sed absolute sive ab Ordinario, sive à Delegato concedatur, perpetuo durat, nisi delegatus habeat limitatam facultatem, ut non possit longiorem indulgentiam concedere: sed facultas concedendi indulgentiam concessa Delegato ex natura sua pendet à vita delegantis. Ideo hic attendi debet, an indulgentia concessa sit gratia facta, vel potius sit facienda, ut quia Pontifex ipse non concessit indulgentiam alicui, sed solum delegavit alicui facultatem illam concedendi, re integra expirat hæc facultas morte concedentis, quia tunc indulgentia, seu gratia nondum erat concessa, sed concedenda. Si tamen delegatus jam concesserat indulgentiam, gratia erat facta, & ideo durat perpetuo, si alias de se sit perpetua. Sed si Pontifex ipse indulgentiam concessit, licet dependenter ab executione alicujus delegati, jam gratia est facta, nec morte concedentis expirat: Neque quoque expirat facultas executoris hujus gratiæ *cap si super 9. de offic.de leg.in 6.* Sic si Papa concedat alicui facultatem eligendi sibi confessorem, qui sibi conferat indulgentiam, quia hæc est gratia facta non expirat morte concedentis.

QVÆ-

QVÆSTIO CVI.

An Indulgentia possit revocari sine causa.

SVMMARIVM.

845 *Revocatio facta sine causa valida est.*
846 *Posse revocari indulgentiam sine causa speciali aliqui dicunt.*
847 *Hoc rejicitur.*
848 *Non solum per accidens, sed per se ad licitam revocationem indulgentiæ est necessaria causa.*
849 *Non est necesse, quod hæc causa proveniat ex culpa pœnitentis.*
450 *Ad valide destruendam indulgentiam sufficit voluntas revocantis.*

845. SVpponitur indulgentiam semel concessam posse revocari, & per revocationem concedentis, aut superioris ejus eam extingui, ut usus ipse probat, & habetur ex *extravag. Quemadm. de pœn. & remiss.* & ex Clem. *Dudum de sepult. §. Nos autem.* Quo supposito quæritur, an hæc revocatio possit fieri sine causa. In qua quæstione hoc etiam communiter asseritur, quod valida sit revocatio, & indulgentia revocata deficiat, etiam si revocatio sit facta sine causa. Quia res, per quas causas nascitur per eas dissolvitur, indulgentia vero fit ex gratia, & voluntate concedentis, igitur eadem voluntate dissolvitur, quæ non habet ex divino jure aliunde immobilitatem. Sic enim, & abrogatio legis facta sine justa causa legem tollit.

846. An vero justa causa requiratur saltem ad hoc, ut revocatio sit licita, & honesta, quidam negant, quia concessio indulgentiæ à principio fuit beneficium gratuitum, quod potuit licitè negari absque alia causa, ergo postea etiam potest absque causa revocari, quia hoc non est nisi indulgentiam non conservari, seu non dari pro tempore futuro. Tum secundo quia per concessionem indulgentiæ nullum jus acquiritur, sed indulgentia manet in ratione gratiæ pendentis ex voluntate concedentis. Admittit tamen hæc sententia, quod sit necessarius aliquis finis honestus, ad hoc ut revocatio licite fiat, quia hujusmodi finis est necessarius universaliter ad honestatem actionis ex obiecto indifferentis. Ita voluit Suarez *disp.57.sect.2.num.6.* ubi tamen explicat, quomodo hæc revocatio per accidens ex circumstantiis diversis possit fieri illicita, vel ex scandalo, vel quia contra charitatem, vel si res non sit integra, vel si Pontifex promisisset non revocare.

847. Sed Palaus *tract. 24.p.11. numer.2.* De Lugo *disp 27.numer.146.* Cotton. *lib.2.contr.11.numer.104.* & Nugnus *in supplem.quest.27.art.4.d.5.* & alii melius dicunt requiri causam. Et ratio est, quia indulgentia non est gratia facta à Domino, sed à dispensatore Domini ministro, cui commissa est dispensatio, ut facienda ex causa, & quidem petita ex utilitate communi Ecclesiæ, cujus gubernatio, & administratio à Christo Pontifici est commissa, igitur concedens indulgentias sicut illas justè, & honestè, & sine culpa concedere non potest ex sola sua voluntate, sed necessaria ad hoc est justa causa, nimirum specialis aliqua Ecclesiæ utilitas inde consurgens, ita quod speciali Ecclesiæ utilitate exigente concessum fuit, non potest revocari, nisi consimili causa exigente. Administrator enim, & dispensator datus à Christo in nullo potest uti facultate sua ligandi, aut solvendi, ædificandi, aut destruendi, plantandi, aut eradicandi, nisi ex causa specialis utilitatis alicujus, quæ Ecclesiæ proveniat, quia honestè non potest uti potestate sibi tradita, nisi ea utatur ex fine, ob quem illi est concessa.

848. Revocatio igitur indulgentiarum nedum est illicita, si inde sequatur scandulum vel si concedens ad non revocandum sine causa teneatur ex fidelitate promissionis à se factæ, vel si usus indulgentiæ est jam inchoatus, & pœnitens incœpit, & perfecit aliqua ex operibus injunctis, & sic intrat ratio cujusdam fidelitatis, & tacitæ promissionis, ut sine speciali causa non defraudetur illa indulgentia concessa, vel si ex revocatione cesset magna aliqua Ecclesiæ utilitas; sed absolutè, & ex natura rei, ex eo solo, quod Ecclesiæ utilitas aliqua specialis revocationem non postulat.

849. Non tamen est necesse, quod hæc causa sine qua non potest fieri revocatio, sit aliqua culpa, aut defectus, seu demeritum pœnitentis, sed sufficit, quod ex quacumque occasione utilitas Ecclesiæ revocationem postulet indulgentiæ, quæ etiam nonnisi ex Ecclesiæ utilitate potuit concedi.

850. Dices sequi ex hoc, quod sicut indulgentia non conceditur valide sine justa causa, ut probatum est, ita nec revocetur valide sine justa causa. Sed respondetur, quod non est eadem ratio, quia minus requiritur ad destruendum, quam ad ædificandum. Bonum enim est ex integra causa, malum autem ex quolibet defectu. Igitur ad valorem indulgentiæ duo omninò requiruntur, scilicet voluntas concedentis, & causa justa concedendi. Vnde existente justissima causa concedendi indulgentias, imo necessarii ssima, indulgentia non est, nisi Pontifex sua voluntate illam concedat, sic ergo ad hoc ut indulgentia vel non sit, vel non conservetur in esse, sufficit, quod concedens nolit illam vel concedere, vel conservare, quamvis concedens male faciat si sine justa causa indulgentiam vel cōcedat, vel destruat.

QVÆSTIO CVII.

An Indulgentia cesset statim ac revocatio fit Romæ.

SVMMARIVM.

851 *Indulgentia non intelligitur revocata nisi revocatio sit sufficienter promulgata.*
852 *Quidam volunt necessariam esse notitiam revocationis.*
853 *Alii hoc limitant.*
854 *Sufficit si revocatio sit sufficienter promulgata.*
855 *Quid si revocatio habeat decretum irritans.*
856 *An Pontifex sola mente valide revocet indulgentiam.*
857 *In lege necessaria promulgatio, quia hominem liberum implicat obligari, vel de obligari ab eo quod ignorat.*
858 *Solius intentus actus revocationis sufficit ut gratiam irritam reddat.*
859 *Indulgentia valide sola mente revocatur.*
Gratia ad sui valorem non indiget notitia ejus cui conceditur.

850. *Indulgentia in sui valore pendet à non revocatione.*

Si revocatio Indulgentiæ habet decretum irritans sufficit si sit publicata Romæ.

851. ALiquorum sententia est Indulgentiam revocatam non extingui, donec ejus notitiam habuerint illi, quibus indulgentia fuit concessa. Quod quidem sine dubio verificatur, si intelligatur de indulgentiæ revocationis promulgatione sufficienti. Sic enim nec leges Pontificiæ obligant, donec fuerint sufficienter promulgatæ. Et ratio est, quia revocatio non est humano modo completa, & prout requiritur sensibilis, & humana administratio donec talis sit, quæ possit à subditis cognosci. Ideo nec verisimile est, quod alia sit mens Pontificis. Et in hoc sensu visa est, & procedere debet sententia Sylvest. *v. Indulgentia num.* 17. Tabien. *num.* 29. sed supposita sufficienti revocationis promulgatione, quod adhuc indulgentia sit efficax, & suum sortiatur effectum in illis, qui ejus revocationem invincibiliter ignorant, aliqui esse probabile asserunt: ita Suarez *disp.* 57. *sect.* 2. *num.* 9. & videntur affirmare Bonaccin. *disp.* 6. *quæst.* 1. *pun. ult. num.* 8. plures citans, & Palaus *tr.* 24. *punct.* 51. *num.* 2. Qui propterea addunt, quod si quis in virtute concessionis Indulgentiæ, & facultatis simul tributæ eligendi Confessarium, qui illum absolvat à reservatis, aut à censuris illum elegit, & confessus fuit, si revocationem talis concessionis ignorat, valde absolvitur ab illis peccatis, aut à censuris, ita ut libet maneat ab onere comparendi.

852. Qua propter alii distingunt, & ad mittentes esse necessarium notitiam in casu, quo indulgentiæ essent annexa alia privilegia, quorum revocatio esset nimis onerosa non habenti notitiam revocationis, ut in casu Indulgentiæ, cui annexa sit facultas, ut pœnitens possit absolvi à reservatis, negant esse necessariam notitiam ad hoc ut revocatio puræ Indulgentiæ vim habeat ita Cotton. *l.* 2. *cont.* 11. *num.* 107. post Filliuc. & Amicum.

853. Sed absolute dicendum est, ad hoc revocatio Indulgentiæ subsistat, & valeat, & Indulgentia, & privilegia illi annexa sint irrita, nec possint acquiri etiam ab invincibiliter ignorante, ad minus sufficere quod revocatio juxta stylum sit sufficienter promulgata. Ita Card. de Lugo *disp.* 27. *num.* 147. Quod quidem verum est, & rationi conforme, quia ignorantia invincibilis, excusat quidem à culpa, sed non validat actum factum sine jurisdictione, vel jurisdictione sufficienter ablata; jurisdictio vero sufficienter est ablata cum ejus renovatio est sufficienter promulgata. Et ex dicta sententia sequeretur, quod semper qui ignoraret revocationem Indulgentiæ, seu facultatis absolvendi, valide absolveretur, quod quidem admitti non potest, quia ignorantia non dat jurisdictionem illam non habenti.

854. Dictum vero est adminus quia Sylvester. *d. num.* 17. & Tabien. *d. num.* 29. advertunt, quod si in literis revocatoriis esset decretum irritans, irritaret indulgentiam etiam respectu non habentium notitiam revocationis; imò etiam si alicubi revocatio non esset promulgata, sed hujus asserti veritas pendet ab hac alia quæstione.

855. An Pontifex sola interna voluntate sua possit validè Indulgentiam revocare nullo modo sensibiliter promulgata revocatione Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 57. *sect.* 2. *num.* 10. dicit posse, sed eum graviter peccaturum, si id faceret, quia Ecclesiam in re gravi deciperet. Hanc quæstionem de abrogatione legis tractavi *cap. licet.* 1. *de constit. in* 6. & sostinui legislatorem non posse valide abrogare legem per solum actum internum suæ voluntatis, & ita quod neque possit revocare indulgentiam sola intentione, & voluntate interna, sentiunt de Lugo *disp.* 27. *n.* 148. & ex Amico Cotton. *l.* 2. *contr.* 11. *n.* 105.

856. Sed dicitur, quod non est eadem ratio de actu superioris ligante, aut liberante ab obligatione directè, & per se primo, & de actu aliquod concedente. Quia enim obligatio ad agendum supponit in obligato notitiam obligationis, sive qua impossibile est hominem obligari ad agendum; ideo lex non obligat, nisi promulgata, & pariter non deobligat nisi legis obligantis revocatio innotescat. Imo ad vere obligandum sufficit sensibilis, & præsumpta voluntas superioris etiam deficiente interna voluntate, unde est, quod lex ex mere internà fictiones procedens obligat, quia externa legis dispositio, & promulgatio fert secum necessario præsumptam voluntatem Legislatoris, quæ ad obligandum sufficit, dum defectus voluntatis non constat. Hinc etiam verius dici potest implicare, quod Legislator promulget legem & velit non obligare, quia hæc duo non possunt coniungi, scilicet sufficiens promulgatio legis, & illius non obligatio.

857 Sed in concessione gratiæ aliud est, & defectus internæ voluntatis sufficit ut gratiam irritam reddat. Sic enim in foro Dei irrita sunt Sacramenta, si interior intentio ministri deficiat, sic quoque irrita est concessio jurisdictionis si deficiat voluntas concedentis. Quamvis in casu *l. Barbarius ff. de offic.* *Præs.* detur vera legalis concessio jurisdictionis quando concurrente publico officio, & communi errore quis habetur, ut legitimus superior. Sic ergo etiam concessio Indulgentiæ nulla est, si deficit voluntas concedentis: sicut vero ab initio sic & in conservatione gratiæ accidit, ut sicut non est efficax concessio, si deficit intentio concedentis, sic non sit efficax duratio Indulgentiæ, si concedens nolit eam durare.

858. Ratio autem est, quia sicut gratia ad ejus valorem non requirit essentialiter notitiam sui in eo, cui confertur gratia, ita nec eamdem notitiam petit ad hoc ut gratia non valeat; & ex hoc ad ejus invaliditatem sufficit defectus voluntatis concedentis, quia ex quo ad ejus valorem non requirit notitiam ejus, qui gratiam est recepturus, non est unde non possit invalidari ex defectu ejus, quod non est in ejusdem notitia.

859. Nec valet, quod incontrarium habet Card. de Lugo *disp.* 27. *num.* 148. quia non sufficit dicere, quod Indulgentia in sui duratione pendet à sola voluntate præterita, quæ fuit in concedente, & quæ non revocata moraliter durat, neque in sui conservatione pendet à voluntate præsenti. Quia cum Indulgentia possit revocari; dependet essentialiter in sui duratione à non revocatione, & à non voluntate revocandi; unde vis quæstionis est, an gratia ista sit revocabilis à voluntate non promulgata, esse verò revocabilem jam est probatum.

860. Et inde est, quod si revocatio promulgata sit Romæ sufficit etiam in foro externo, si habebat decretum irritans, quod de sui natura ligat etiam ignorantes, *cap. si eo tempore* 45. *de elect. in* 6. *& cap. postquam cap. dudum cap. beneficia, & cap. quodam de Præbend. pariter in* 6. Rota *decis.* 231. *part.* 5. *recent.* sic enim talis irri-

irritatio Romæ promulgata irritat ubique Indulgentiam, & privilegia illis connexa, & sic hujusmodi Indulgentia ab hora publicatæ revocationis Romæ ubique est irrita & nulla.

QVÆSTIO CVIII.

Vtrum omnes Indulgentiæ concessæ pro Regularibus ante Paulum Quintum sint revocatæ.

SVMMARIVM.

861 *Paulus Quintus revocavit antiquas regularium indulgentias.*
862 *Has fuisse revalidatas quidam dixerunt.*
863 *Hoc est damnatum.*
864 *Non fuisse revocatas communicationes Indulgentiarum alii asserunt.*
865 *Hoc reiicitur revocatæ sunt etiam communicationes indulgentiarum.*
866 *Omnes communicationes indulgentiarum pro Regularibus reductæ ad terminos Constitutiones Pauli V.* 867.
868 *Solæ Indulgentiæ à Paulo Quinto concessæ competunt Regularibus, non verò concessæ illis anteà.*
869. *Non revocata indulgentia concessa visitantibus Ecclesias Regularium.*
870 *Non impediti Regulares acquirere indulgentias fidelibus concessas.*
871. *Nec habere Rosaria benedicta.*
872 *Non revocata indulgentia concessa Confraternitatibus erectis in Ecclesiis Regularium.*
873. *Quid dicendum de indulgentia aliarum Ecclesiarum concessis ad instar Ecclesiis Regularium.*
874 *Indulgentia concessa Tertiariis, consanguineis &c. in revocata.*
875 *An revocata indulgentia in articulo mortis.*
876 *Corollaria aliqua.*
877 *Revocata indulgentia in articulo mortis.*
878 *An revocata indulgentia pro defunctis.*
879 *Multa similes concessa Regularibus* 880.
881. *Non revocata indulgentia pro defunctis.*
882 *Non revocata oracula concedentia indulgentias, licet sint revocatæ Indulgentiæ Regularium, quæ concessæ fuerunt per Oracula.*
883 *Indulgentia pro porrigentibus manus adjutrices revocata.*
884 *Indulgentia de novo concessa pro corona B. Virginis.*
885 *Indulgentiæ quædam Stationum; incertæ, & dubiæ.*

861. AD tollenda varia dubia, & incertitudines, & confusiones, quæ circa indulgentias concessas Religionum Ordinibus aderant, & pro Religiosorum securitate, & quiete, & beneficio Paulus Quintus *in sua Constit.* 21. quæ incipit *Romanus Pontifex* & data fuit *die* 23. *Maii Anno* 1606. concessis eisdem Religionum Ordinibus pluribus indulgentiis, & quidem præcipuis, tam in vita, quam in morte, omnes alias indulgentias eisdem Ordinibus sive directè, sive ad instar vel per communicationem, sive quovis alio modo prius à se, vel à suis Prædecessoribus concessas revocavit, & literas Apostolicas omnes seu vivævocis oracula indulgentias concedentia, ad terminos suæ Constitutionis reduxit:

862. Nihilominus, quod hac constitutione non obstante antiquæ indulgentiæ vigeant in suo robore, nec sint revocatæ sensit in suo directorio Regularium *tract.* 2. *disp.* 5. *sect.* 2. §. 2. *num.* 26. Antonius à Spiritu Sancto tanquam probabilissimum, & pro eadem sententia retulit Martinum à S. Joseph in Regula Minorum *fol.* 419. Hieronim. Rodriq. *in Compendio quæst. Regul. res.* 77. *num.* 45. quem pro eadem sententia refert Diana *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 20. & insuper Amicum *tom.* 8. *num.* 5. Isti vero DD. non ideo ita senserunt, quia indicarent eas antiquas indulgentias non fuisse validè revocatus per Paulum V. sed quia crediderunt eas per confirmationes privilegiorum postea factas à Paulo Quinto, & Vrbano Octavo fuisse revalidatas, unde hujusmodi confirmationes referunt, & ponderant.

863. Sed hæc quæstio certam nunc habet resolutionem, num inter alias propositiones à Sanctissimo D. N. Papa Alexandro Septimo damnatas in Congregatione generali Sanctissimæ Inquisitionis *die* 18. *Martii* 1666. habetur ista *indulgentia concessa Regularibus, & revocata à Paulo Quinto hodie sunt revalidatæ*. Itaque ergo certum est antiquas indulgentias concessas regularibus, & fuisse à Paulo Quinto revocatas, & non esse revalidatas.

864. Limitationem tamen admittere præfatam Pauli Quinti revocationem nonnuli arbitrantur. Et quidem aliquibus visum fuit, indulgentias, per quas Regularibus concessæ fuerunt aliarum Ecclesiarum indulgentiæ, non comprehendendi sub revocatione Pauli V. & in specie præcipuè id affirmant de indulgentia Ecclesiarum Vrbis, Sancti Jacobi in Compostella, Hierusalem &c. quam Leonem Decimum concessisse Minoribus Regularis Observantiæ recitantibus quinquies orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & unum Gloria Patri in fine cujuslibet, & insuper unum alium Pater noster, & Ave Maria & Gloria Patri pro eodem Leone Decimo per vivæ vocis oraculum subscriptum à Laurentio Cardinali Sanctorum Quatuor quod refert Rodriquez inter oracula Leonis Decimi *num.* 24. Movebantur vero, quia consimiles concessiones non sint concessiones indulgentiæ, sed dispensationes super operibus iniunctis, seu commutationes eorum, quia nimirum loco actualis visitationis illam Ecclesiarum Leo Decimus voluit, quod sufficerent præfatæ orationes: sed incontrarium urget.

865. Quod fit manifestissimum, concessiones, per quas Pontifex concedit aliquibus aliorum Ecclesiarum indulgentias sub novi operis conditione esse concessiones indulgentiarum ad instat, seu indulgentiarum communicationes. Quod vero mens Pauli Quinti fuerit revocate etiam indulgentias ad instar concessas, seu indulgentiarum communicationes habetur expresse in citata Constitutione §. 3. ibi *Ut indulgentias ipsis Religionibus, & Ordinibus ad instar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus concessas annullaremus, & revocaremus &c.*

866. Imo considerandum est, & habendum pro regula, quod Paulus Quintus Indulgentias omnes Regularibus concessas revocaverit, cujuscunque generalis sint, si ejusdem vel similis generis ipse in eadem

Constitutione aliquas concessit. Nam omnes literas, & oracula concedentia Religiosis indulgentias voluit esse reductas, & reducta ad terminos suæ Constitutionis §.19. ibi. *Et ad præsentium nostrarum literarum præscriptum reducimus*. Cum igitur Paulus Quintus in §. 1. Regularibus visitantibus proprias Ecclesias concesserit indulgentias stationum Vrbis, sic actualem Ecclesiarum illarum visitationem commutando in visitationem propriæ Ecclesiæ, ad terminos istos omnes hujus indulgentias ad instar, seu per communicationem concessas, voluit esse reductas.

867. Sed & ponderanda sunt verba §. quarti, in quo Pontifex declaravit suæ mentis esse nullas indulgentias Regularibus prodesse, nisi illas, quas ipse in ea Bulla concedebat.

868. Omnes igitur hujusmodi indulgentias ad instar, vel per communicationem concessas antiquitus Paulus Quintus revocavit. Et ideo inter istas numerari debet communicatio indulgentiarum Ecclesiarum Mendicantium, quas pro regularibus concessit Leo Decimus, & præcipuè Ecclesiæ S. Mariæ de Populo, de qua habitus est sermo supra quæst. 102. & illam quoque communicationem esse revocatam est dicendum.

869. Limitant alii, ut sub revocatione hujusmodi non veniant indulgentiæ concessæ Ecclesiis Regularium pro Christi fidelibus, seu (quod idem est) Christi fidelibus Ecclesias Regularium visitantibus, aut aliquid ad Dei cultum spectans in eis exercentibus. Ita declaravit S. Congregatio per literas scriptas ab Eminentissimo Cardinali Gallo die 21. *Augusti* 1615. & directas Vicario Generali Archiepiscopi Genuæ, quas refert Peirinus *to.* 1. *de subd. Regul. quæst.* 4. §. *ult.* & earumdem mentionem facit *tom.* 3. *cap.* 10. *num.* 58. Vnde hoc idem docent Martinez de Prado in Theol. moral. *cap.* 5. *quæst.* 3. *num.* 33. Gavant. *in manual. Episc. v. indulgentia num.* 25. Lantusca *in Theatro Regular. v. Confraternitas num.* 4. & *v. indulgentia tertio numer.* 1. & eamdem declarationem refert, quam retulit Peirinus ut datam à S. Congregatione Indulgentiarum ab eodem Paulo Quinto deputata Lezana *p.* 1. *cap.* 3. *num.* 16. & *part.* 4. *v. indulgentia num.* 3. Statius in istitut: pro Confratribus Carmelitis *cap.* 1. *num.* 2. Zuzarte *cap.* 3. *de indulgen. fol.* 299. Nicolius *in Flosculis v. indulgentia n.* 6. referens sic fuisse declaratum à S. Congregatione Episcop. & Regular. 1614. Palermo 8. *Augusti* 98. & 1620. Minimi 17. *Novembr.* 195. Portel. *v. indulgentia num.* 12. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 20. Anton. à Spir. Sancto *in Directorio tr.* 2. *disp.* 5. *num.* 31. & apud eum Hier. Rodriq. & Quintanad. Quod quidem est indubitatum, sed hæc non est limitatio, sed non compræhensio, quia expresse Pontifex loquitur de indulgentiis personalibus concessis Regularibus intuitu Religionis, seu Religiosi status, ut patet *ex* §. 19. ibi *Indulgentias quibuscumque Ordinibus, & institutis regularibus hujusmodi etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis regularibus*. Indulgentiæ autem Ecclesiarum concessæ pro Christi fidelibus non Regularibus ut Regularibus, sed Christi fidelibus concessæ sunt.

870. Inde etiam sequitur, quod Regulares ex vi dictæ Constitutionis non sunt prohibiti lucrari eas indulgentias, quæ in eorum Ecclesiis, vel in aliis communiter concessæ sunt Christi fidelibus, vel Civibus, vel alicui generi personarum compræhendenti seculares, & Regulares; quia hujusmodi non sunt propriæ Regularium indulgentiæ, nec fuit mens Pontificis, ut in his Regulares essent peioris conditionis, quam Laici, & ita tenent citati Doctores.

871. Item non impediti sunt Regulares, ut possint habere Rosaria, Medalias &c. & cætera hujusmodi benedicta, & frui indulgentiis illis concessis. Lezana *v. indulgen. nu.* 18. In hoc tamen servare debent statuta Apostolica de horum usu disponentia.

872. Item non sunt revocatæ indulgentiæ concessæ Confraternitatibus Laicorum erectis in Ecclesiis Regularium. Et quamvis idem Paulus Quintus etiam harum Confraternitatum indulgentias revocaverit, & alias concesserit. Nihilominus Indulgentias Confraternitatis Rosarii non obstante ejus priori revocatoria constitutione confirmavit in Constitutione *Cum olim data die* 20. *Septembris* 1608. Vnde de ordine S. Cong. S. Officii visis, & examinatis literis Apostolicis concedentibus eidem Confraternitati indulgentias per Eminentiss. D. Card. Albicium impressum fuit illarum summarium apud Impressorem Cameralem.

873. Hinc solvi potest difficultas relicta supra *qu.* 102. An scilicet sint revocatæ indulgentiæ Ecclesiis Regularium communicatæ ad instar aliarum Ecclesiarum. Distingui enim debet, nam vel hæc communicatio facta est intuitu Religionis, & Religiosorum principaliter. Et hujusmodi sunt illæ, quas Leo Decimus in sua *Constitut.* 32. declaravit fuisse à se, & à Prædecessoribus concessas. Et sic declaravit, quod Mendicantes quicumque visitando proprias Ecclesias in terminis præfatarum Constitutionum lucrentur etiam indulgentias Ecclesiæ S. Mariæ de Populo Romæ. Et hujusmodi indulgentiarum communicato facta Ecclesiis Regularium principaliter intuitu Religionis, & pro solis Religiosis, est revocata per Bullam Pauli Quinti, quia hujusmodi communicatio Religiosis facta fuit, & Paulus Quintus revocavit etiam indulgentias ad instar, & per viam communicationis illis concessas. Vel secundo ista communicatio, licet si facta Ecclesiis Regularium tamen est facta pro fidelibus non vero solum pro Religiosis, & talis est communicatio indulgentiarum Ecclesiarum Eremitarum S. Augustini etiam pro Christi fidelibus facta ab Innoc. VIII. Ecclesiis Ordin. Servorum B. Mariæ prout habetur *in Mari magno Serviiarum num.* 56. apud Lezanam & pariter illa Clem. VII. pro Minimis, per quam indulgentiæ concessæ uni Ecclesiæ dicti Ordinis communicatæ fuerunt singulis Ecclesiis ejusdem Ordinis prout habetur apud Peirinum *Const.* 7. ejusdem Pontificis. Et istæ saltem ex vi revocationis Pauli V. non sunt revocatæ, cum non sint indulgentiæ personales Regularibus concessæ, sed etiam indulgentiæ locales concessæ Ecclesiis illorum Regularium pro Christifidelibus. Et quia ut dictum est, Regulares non sunt prohibiti acquirere indulgentias locales propriarum Ecclesiarum concessæ universaliter pro Christifidelibus, neque sunt prohibiti acquirere hujusmodi indulgentias eorum Ecclesiis pro fidelibus Christi universaliter concessas, & communicatas.

874. Item revocatas non esse indulgentias concessas Tertiariis, Oblatis, Famulis, Procuratoribus &c. Patribus, Cognatis, Benefactoribus Regularium docet Anton. à Spiritu Sancto *d. disp.* 5. *num.* 33. Et apud eum Emanuel Rodriq. & Quintanad. cum per Paulum Quintum revocatæ sint solum indulgentiæ pro personis Religiosorum. Sed Lezana *v. indulg. num.* 16. loquens de Tertiariis, hoc limitat, ut solum verificetur de illis indulgentiis quæ ipsis Congregationibus Tertiario-

tiariorum concessæ sunt, non vero de illis, quas participant ratione Religionum, quarum sunt Tertiarii & Tertiariæ, cum istæ sint accessoriæ indulgentiarum talium Religionum, & cum accessorium sequatur principale, ideo hujusmodi indulgentiæ per Constitutionem Pauli Quinti revocatæ sunt. Et sic vere dicendum est, quod indulgentiæ intuitu Religionum communicatæ per solam extensionem, & accessoriè præfatis secularibus destructa concessione principali facta Religiosis, destruuntur, sicut de privilegio sic accessoriè concesso, quod minuitur vel cessat diminuto, aut cessante principali, ut probatum est supra *quæst. 96.* indulgentiæ tamen quæ per novam concessionem hujusmodi sæcularibus personis concessæ sunt, licitè sint concessæ intuitu religionum manet, nec sunt, revocatæ, quia non se habent ut accessorium respectu indulgentiarum concessarum Regularibus, licet favore Religionis illis concessæ sint. Verum hic advertendum, quod hujusmodi personis communicatæ fuerunt, seu ad illas etiam accessoriè extensæ fuerunt indulgentiæ Religionis concessæ, & concedendæ, si revocatæ sunt antiquæ communicantur illis concessæ à Paulo Quinto, & ab aliis Pontificibus.

875. Loquendo vero de indulgentiis concessis personis Regularibus adhuc limitatur ab aliquibus revocatio Pauli Quinti ut non comprehendat indulgentias concessas pro articulo mortis. Ita Peirinus *ad Bullam 8. Pauli Quinti num.* 10. ubi ex Alphonso de Leone refert Vrbanum Octavum declarasse, quod anno jubilei non suspenduntur indulgentiæ concessæ pro articulo mortis. Quæ declaratio fuit publicata per Coccinum Vicegerentem Pœnitentiariæ Anno Jubilei 1625. Idem tenent Lezana *v. Indulgentia num.* 10. *& p.* 1. *cap.* 3. *n.* 19. Martinez de Prado *d. cap.* 5. *quæst.* 3. *num.* 33. Lucerna Regul. *v. indulgentia num.* 3. Hic tamen auctor confundit indulgentias pro articulo mortis, cum indulgentiis pro defunctis. Nam declaratio Pauli Quinti quam refert ex Pelegrino respicit indulgentias concessas pro defunctis, non vero indulgentias pro articulo mortis. Propterea malum sensum accipit Antonius à Spirit. Sanct. *d. disp.* 5. *num.* 25. dum ait, quod idem declaravit Paulus V. de indulgentiis in articulo mortis, ut cum prædictis DD. testatur Novarius *v. indulgentias num.* 3. Nullus autem ex prædictis DD. hujus declarationis meminit, & Novarius se remittit ad Peregrin. *in compend. privileg. Cler. Regular.* §. 7. *in scholion.* Vbi tamen loquitur de indulgentiis pro defunctis, & nihil prorsus habet de indulgentiis concessis in articulo mortis. Nec aliud etiam vult Novarius, si diligenter inspiciatur.

876. Ex hoc tamen deducunt aliqui nunc quoque Carmelitas gaudere posse indulgentia plenaria illis concessa ab Eugenio Quarto in Bulla *Romani Pontificis.* Et Minores in eodem articulo constitutos posse frui indulgentia plenaria illis concessa ab Eugenio Quarto, Nicolao Quinto, Calixto Tertio, Pio Secundo ac Sixto Quarto, quam refert Casarubias *v. indulgentia quod fratres num.* 1. itaut nunc possint sibi eligere Confessarium, qui eis possit concedere indulgentiam plenariam, vel si non possint habere Confessarium, illam tunc possint habere. Et Augustinienses posse lucrari indulgentiam plenariam in articulo per Confessarios idoneos, & Regulares ab ipsis de licentia Superiorum electos ex concessione Julii Secundi apud Casarub. *sup. n.* 23. Ita Lezana *d. n.* 10.

877. Sed instantiam habet hæc limitatio. Primo quia declaratio illa Vrbani non potest accommodari huic casui. Quid enim Vrbanus Octavus declaravit Anno Sancto non suspendi indulgentias concessas pro articulo mortis non fuit, quia hujusmodi indulgentiæ indigeant speciali expressione, ut intelligantur revocatæ, sed quia ex una parte cessat in eo casu finis suspensionis indulgentiarum, qui est ne fideles commoditate lucrandi indulgentias in partibus adducti, nolint venire Romam pro Jubileo obtinendo. Quod in moribundis cessat quibus imminet iter ad alteram vitam, & cessat, omnis spes veniendi Romam. Ex altera autem parte in moribundis cessat omnis facultas in eo extremo articulo obtinendi aliquam indulgentiam plenariam, si aliæ indulgentiæ sint suspensæ. Sed hic Paulus V. fratribus existentibus in articulo mortis indulgentiam plenariam concessit facilius longe obtinendam sine alicujus Confessoris electione, qui indulgentiam concedat, si ubi infirmus non possint confiteri, & communicare saltem corde nomen Jesu invocaverit; longe ergo est diversa ratio de non suspensione indulgentiarum plenariarum pro articulo mortis Anno jubilei, & de non revocatione earum quæ antiquitus concessæ sunt, alias similis rationis concessa multo faciliori modo obtinenda. Ideo secundo arguitur ex regula supra posita, quia nimirum per Paulum Quintum omnes illius generis indulgentiæ revocatæ sunt, cujus generis ipse aliquas concessit, simul volens, ut aliis præter illas ab illo concessas Regulares frui non possent. Cum igitur ipse concesserit indulgentiam plenariam pro articulo mortis, non est unde dicatur antiquas pro mortis articulo concessas non fuisse revocatas.

878 Limitant etiam revocationem hanc ut ab ea exceptæ sint indulgentiæ concessæ pro defunctis. Nam ita declarasse eumdem Paulum Quintum Congregationi S. Mariæ Fulien. vivæ vocis oraculo facto Eminentissimo Cardinali Bandino *die 23. Februarii* 1609. refert Peregrinus *in Compend. Privil. Cler. Regularium v. indulgentia* §. 7. *in scholio*, & ita hoc tenent Peirinus *ad Bullam 8. Pauli V. num.* 5. Lezana *p.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. *& p.* 4. *v. Indulgentia nu.* 11. *& ad mare magnum Servitarum n.* 180. Peregrinus, & Lucerna Regularium *locis citatis* Antonius à Spiritu Sancto *ubi supra num.* 22. & Quintanad. *tract.* 4. *de Iubil. dub.* 2. *num.* 5. Martinez de Prado *d. num.* 33. & propterea Peirinus existimat, quod non sit revocata indulgentia pro defunctis concessa à Clemente Octavo, cujus Bullam ipse refert inter Bullas Clem. VIII. *sub. num.* 4. & est sequenti tenoris videlicet *De omnium salute*, & infra.

Supplicationibus igitur pro parte dilectorum filiorum Ministro provincialis, & Fratrum Provinciæ S. Gabrielis Hispaniarum Ordinis S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, concedimus, ut decedente aliquo dictis Ordinis Religioso, vel alicujus Religiosi parentibus, vel altero ipsorum aut persona, quam ipsi Religiosi fratrem appellant, & in quolibet loco dicta Provinciæ ad eorum receptaculum, & subventionem paratam habent, ab aliquo, seu aliquibus ejus Conventus, in quo Religiosi, parentes, vel alter ipsorum decesserit, vel persona præfata in fratrem descripta fuerit, Missam Defunctorum pro anima ipsius Defuncti, quæ Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, celebrante, seu celebrantibus, anima ipsa de thesauro Ecclesia indulgentiam consequatur, ita ut

D. N.

D. N. Iesu Christi, ac B.V. M. & Sanctorum omnium meritis sibi suffragantibus, à Purgatorii pœnis liberatur.

879. Ex his vero infuerunt, quod Regulares modo frui possunt privilegio Leonis Decimi concesso Congregationi Sanctæ Justinæ, quod celebrantes tres Missas pro anima alicujus defuncti consanguinei intrà tertium gradum super uno Altari per superiorem in propria Ecclesia deputato, liberant ipsius Animam à pœnis Purgatorii, ac si celebrassent super Altari S. Gregorii, aut S. Sebastiani Romæ. Ità Peyrin. *ad Constit*. 8. *Pauli V. n*. 6. allegans Compendium privilegiorum Congregationis S. Mariæ Fulien. *v. indulgentia pro Defunctis* §. 6. & Peregrin. *ubi supra* §. 15. sed nec Peregr. *in Compend. Privilegiorum Cler. Regul.* impresso Neapoli apud Ægid. Longum Anno 1633. in *v. indulgentia quoad fratres &c.* habet §. 15. sed solum 7. Nec ibi à principio usque ad finem aliquid, vel minimum dicit de hujusmodi indulgentia. *Nec in Bullar. Casinen.* in quo continentur etiam privilegia Congregationis S. Justinæ, quippe quæ eidem communia, potui inter recensitas Constitutiones Leonis Decimi invenire aliquid de recensita Constitutione. Compendium autem citatum non habeo præ manibus ut videre possim, quod fundamentum habeat hujusmodi concessio.

880. Sed quam plures recensentur concessiones, per quas dicitur Regularibus concessum fuisse vel ut indulgentias multas possent pro Defunctis applicare, vel ut celebrando pro uno, vel alio liberarent animas à Purgatorio, de quibus consuli possunt supplementum Minorum Casarub. *in Compend. privileg. in verb. Indulgentia quoad fratres, & in verb. Indulgentia non plenaria apud fratres, Compend. Societatis*, & alia similia. Ludovicus à Cruce ad finem Epitome *in Compend.* Lezana *verb. Indulg. num.* 11. & ad mare magnum Servitarum *num.* 179. Peyrinus *ubi supra* Antonius à Spirit. Sancto *d. disp.* 5. *à n.* 41. *& seq.*

881. Sed quantum ad positam limitationem considero, quod Fæl. mem. Paulus in sua præfata Constitutione nihil habet de indulgentiis pro Defunctis. Item quod est regula communiter approbata, quod sub concessione indulgentiæ data cum clausulis amplissimis non venit facultas applicandi indulgentiam pro aliis, & præcipuè pro defunctis; unde æquitas vult, quod multo magis sub revocatione indulgentiarum jam concessarum, quæ inter odiosa numeratur, & est strictissimæ interpretationis, non cadat indulgentia pro Defunctis. Pondero etiam verba illa Bullæ in §. 4. *Cupientes personis Regularibus quibuscumque &c. spirituale solatium, & juvamen afferre, infrascriptas Indulgentias, & gratias, quas personis Regularibus &c. tantummodo suffragari debere declaramus &c.* Constat enim ex his verbis mentem Summi Pontificis fuisse respicere solas indulgentias Regularium vivorum, de quibus loquitur, & ita eum loqui de indulgentiis personalibus, quæ Regularibus ipsis prodesse possunt, & sic eum loqui de indulgentiis, quas Regulares pro se ipsis consequi possunt, non vero de illis, quas lucrari possunt pro Defunctis.

882. An vero revocatæ sint indulgentiæ concessæ per vivæ vocis oracula, dicitur, quod indubitatum est indulgentias personales Regularium hujusmodi esse revocatas per hanc Pauli Quinti Constitutionem, ut patet ex dictæ Bullæ §. 19. sed loquendo de aliorum indulgentiis, & respectu Constitutionum 27. Gregor. XV. & 119. seu 9. in *Append.* Vrbani Octavi, in quibus gratiæ vivæ vocis oraculo concessæ revocantur, adverto quod verba Constit. Greg. XV. sunt ista *Omnia, & singula indulta, facultates, privilegia, gratias, & concessiones quascumque spirituales, & Ecclesiasticas, tam ad furcam interius &c. revocamus, cassamus, &c.* verba autem Constitut. Vrbani Octavi sunt *omnia, & singula privilegia, facultates, licentias, & gratias quascumque &c. revocamus &c.* Præmisso autem, quod in dispositionibus verba generalia subsequentia limitantur ad prius expressa, vel illis similia per Io. Mon: *in cap. in generali infrà de regul. jur. num.* 3. *&* Franc. *ibi num.* 2. juxtà *l. quoties C. famil. ercisc.* Et ex consequenti verba illa generalia gratias, & concessiones, limitantur ad prius expressa; scilicet ad privilegia, indulta, facultates, licentias; & addito, quod concessio indulgentiarum propriè nec est concessio indulti, aut privilegii, aut facultatis, vel licentiæ, ut probatum est supra *quæst.* 102. Nam indulgentia est absolutio à pœna innixa solutioni, quæ Deo fit ex thesauro meritorum Christi, & Sanctorum: sequitur, quod concessio indulgentiæ facta vivæ vocis oraculo non cadit sub revocatione Constitutionum illarum Greg: XV. & Vrbani VIII. prout etiam tenuerunt Lezana ad mare magnum Servitarum *num.* 180. & apud eum Quintanad. *tract.* 4. *de Iubil. num.* 5. idem tenuit Lantusca in Theatro Regul. *v. Indulgentia primo num.* 2.

883. Vltimo autem circa hujusmodi indulgentiarum revocationem recolendum est, quod à Sanct. mem. Pio Quinto per suas Constitutiones 30. & 99. revocatæ fuerunt omnes indulgentiæ concessæ porrigentibus manus adjutrices, & quæ quæstuandi facultatem quomodolibet continent. Inter regulas etiam Cancellariæ adest 63. in qua Pontifex suspendit ad suæ Sanctitatis, & Sedis Apostolicæ beneplacitum quascumque indulgentias plenarias à prædecessoribus ex quacumque causa concessas, quæ per Nuncios, aut Quæstores deferebantur, præterquamquoad ea, in quibus indulgentiæ, & facultates in aliqua sui parte sunt sortitæ effectum. Sed & Concil. Trid. *sess.* 21. *cap. ult. de reform.* abolito usu Quæstorum dedit ordinariis formam colligendi eleemosynas, de qua re videri possunt, quæ scripsi latè de hac quæst. & materia *tom.* 2. *de Stat. q.* 187. *art.* 5. *per totum à pag.* 790.

884. An vero post revocationem Pauli V. concessæ fuerint Regularibus aliæ indulgentiæ Portell. *v. Indulgentia num.* 13. quem sequitur Anton. à Spirit. Sancto *d. disp.* 5. *num.* 21. & apud eum Hier. Rodriq. & Quintanad. dicit se vidisse impressam concessionem factam ab eodem Paulo Quinto; in qua non obstante revocatione præfata concedit Minoribus recitantibus coronam Beatæ Virginis indulgentiam plenariam. Hujus concessionis meminit etiam Lantusca *tit. de magna Indulgentia Stationum num.* 93. asserens, hanc coronam esse septem Pater noster, & 70. Ave Maria, & hanc indulgentiam fuisse restitutam duobus annis post revocationem, nimirum *die* 8. *Iunii* 1608. ideoque dicit apparere ex quodam folio Romæ impræsso *Anno* 1609. Quod folium, & ego vidi impressum in Typographia Camerali, & est vivæ vocis oraculum datum Fr. Ludovico à S. Joanne Evangelista Commissario Generali Minorum de Observantia in Romana Curia. Requiruntur vero aliæ conditiones, ut in eodem folio.

885. Idem vero Antonius à Spiritu Sancto ibidem *num.* 21. ex d. Hieron. Rodriq. & Quintanad. ait, quod omnes Regulares cum Mendicantibus communicantes recitantes ante SS. Sacramentum 6. Pater noster, & Ave Maria, cum Gloria Patri ad finem cujuslibet Pater

ter noster, & Ave Maria lucrantur omnes indulgentias stationum Romæ, & Hierusalem, S. Jacobi in Compostella, & Portiunculæ, Quia id concessit Vrbanus Octavus Minoribus, dummodo statio fiat ante Altare principale Ecclesiæ. Hujus tamen novæ concessionis nullum potui usque modo videre authenticum testimonium. Nec præfatus Auctor refert literas Pauli Quinti, aut Vrbani Octavi, cum tempore datæ illarum, aut exprimit, an nova concessio fuerit pro Oraculum vivæ vocis, vel per Breve. Vnde quantum ad hoc maneat fides apud DD. præfatos.

QUÆSTIO CIX.

An, & quando Indulgentiæ cessat per destructionem rei pro qua est concessa.

SUMMARIUM.

886 *Indulgentia personalis cessat mortua persona.*
887 *Indulgentia localis quomodo cesset.*

886. INdulgentia sive sit personalis, sive localis deficit, deficiente persona, aut loco, quia deficiente substantia cessant ejus accidentia. Sic igitur si indulgentia concessa fuit pro Titio, eo moriente cessat. Concessa tamen alicui personarum Congregationis, aut universitatis non cessat morientibus aliquibus de universitate, sed viva manet pro aliis, & durante universitate durat. Non extinguitur indulgentia extincta illa persona, quæ illam impetravit, ab hac enim vita illius non dependet, sed extinguitur extincta illa, vel illis personis, pro quibus fuit concessa.

887. Similiter si indulgentia concessa est alicui loco, nimirum alicui Ecclesiæ, vel Altari destructa Ecclesia, vel Altari, ipsa quoque destruitur. Quomodo tamen Ecclesia destructa non semper amittat indulgentiam dictum est supra *quæst. 18.*

QVÆSTIO CX.

An detur alius modus, quo Indulgentia cessat.

SUMMARIUM.

888 *Non facta mentione prioris indulgentia ultima est irrita.*
889 *Indulgentias non cessat renunciatione.*
890 *Quomodo cesset cessante causa.*

888. REspondetur ab aliquibus quosdam alios modus cessandi indulgentias numerari, qui omnes proprii non sunt. Si enim alicui loco ab eodem Pontifice concessa fuit aliqua indulgentia, & ejus non facta mentione impetratur alia, prima non extinguitur, sed secunda est nulla, juxta regulam Cancellariæ, quæ modo est 52. de qua satis dictum fuit supra.

889. Sed neque renunciatione potest cessare Indulgentia, quia indulgentia non est alicujus, antequam illam fuerit consequutus, & ideo potest quilibet nolle lucrari indulgentiam, sed potestati eam lucrandi non potest renunciare, quia hæc est concedentis favor durans voluntate concedentis durante, si tamen quis superiori, qui indulgentiam potest revocare, & renunciationem acceptare, renunciet, & ille acceptet renunciationem, tunc cessat indulgentia Nugnus *in supl. q. 27. art. 4. diff. 6.*

890. Item per se neque cessat indulgentia cessante causa propter quam fuit concessa, quia sæpe pro causa temporali conceditur indulgentia perpetua, ideoque sufficit ad valorem indulgentiæ, quod à principio fuerit concessa ex causa proportionata, nec indulgentia pendet à causa in sui conservatione. Nihilominus si causa non fuit proportionata ad concessionem indulgentiæ perpetuæ, sed solum pro tempore determinato, & proportionato, eo tempore transacto indulgentia coram Deo cessat, non quia cessavit causa, sed quia ab initio indulgentia concessa ad majus tempus fuit nulla, si tamen indulgentia expresse, vel tacite fuit concessa, ut locum habeat, durante causa, illa cessat, causa cessante. Sic est concessa indulgentia iis, qui porrigunt manus adjutrices pro ædificatione Ecclesiæ, hæc indulgentia cessat ex eo quod jam Ecclesia est ædificata; sed hæc indulgentia cessat, quia de se est temporalis, quia data fuit dependenter à causa temporali, & ut ejus temporalitati proportionata. Sic quotiescumque indulgentia concessa est injuncto opere successivo, cujus operis materia cessat, indulgentia illa est temporalis, sicut temporale est illud quod opus, quod ejus materia deficiente ulterius haberi non potest, Sic enim non potest quis dare auxilium ad erigendam Ecclesiam si Ecclesia est jam erecta.

QUÆSTIO CXI.

Vtrum Indulgentia possit prodesse Defunctis.

SUMMARIUM.

891 *Indulgentia valent Defunctis.*
892 *Necesse est ut exprimatur id in confessione.*

891. INdubitatum hoc est apud Catholicos indulgentias applicari posse cum fructu animabus existentibus in Purgatorio. Est enim hoc certum, tum ex praxi Ecclesiæ, contra quam disputare insolentissimæ insaniæ est ut dixit S. August. *Epist. 118.* ad Januarium. Tum ex consensu communi Summorum Pontificum, eorumque diffinitione, ut patet ex epistola Leonis Decimi ad Card. Cajet. contra Lutherum, & ex Sixto Quarto, Innocentio Octavo, Pio Secundo, Calisto, & Pascasio relatis à Gabriel. *ad sect. 57. in Canonem.* Tum ratione, quia si quis potest valorem satisfactionis propriæ defunctis applicare, & pro illis Deo satisfacere, potiori ratione Ecclesia poterit pro eisdem applicare de thesauro suo satisfactiones Christi, & Sanctorum voluntas suis operibus prodesse vivis, & defunctis. D. Thom. *4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. quæst. 2.* Albert. *4. d. 20. art. 18.* D. Bonav. *p*[illegible] *quæst. 5.* Innoc. V. *eadem dist. q. 3. art. 3.* Durad. [illegible] *aliud. q. 4.* Turrecrem. *§. item in Levitico de pœnit*[illegible] *1. art. 6. n. 79.* D. An-

D. Anton. *part. 1. tr. 10. c. 3. in princ. & §. 5.* Bolog. *de indulg. n. 56.* Fœlin. *num. 29.* Sylvest. *num.* .... Tabien. *n. 19.* Cajetan. *tom. 1. opus tract. 16. quæst. 5.* & *6.* Navarr. *de jubi l. not. 22.* Suarez *disp. 53. de pœnit. n. 3.*

892. Ad hoc tamen necessæ est, ut id exprimatur in concessione facta per Pontificem. Illis enim tantum indulgentiæ prosunt, quibus prodesse vult Summus Pontifex, nimirum pro quibus ille applicat de thesauro Ecclesiæ satisfactiones Christi, & SS. id vero non censetur facere nisi id exprimat, & id non exprimit ex eo quod absolutè indulgentiam concedat fidelibus quibuscumque utriusque sexus, quia nomen fidelium absolute prolatum solos vivos comprændit. Et quia ex forma concessionis indulgentiæ valent illis, quibus injunguntur, opera pro indulgentia acquirenda.

QVESTIO CXII.

Vtrum Indulgentiæ omnibus Fidelibus defunctis prosint.

S V M M A R I U M.

893 *Solis animabus Purgatorii prosunt indulgentiæ.*
894 *Iuvat animas fidelium etiam Cathecumenorum.*

893. Certum non prodesse Beatis, quia illis non indigent; nec damnatis, quia non sunt illarum capaces, pœna enim est irremissibilis non remissa culpa, quæ in damnatis obstinatis in malo est irremissibilis; unde illi fructus indulgentiæ sunt incapaces, sicut, & incapaces sunt animæ ob solum originale peccatum in limbo existentium ex eadem ratione, quia peccatum illud in eis est jam irremissibile. Et quia indulgentia est remissio pœnæ temporalis, cujus reatum non habent illæ animæ, quæ nunquam actualiter peccaverunt. Solum igitur animæ existentes in Purgatorio, quæ adhuc sunt aliquo modo in via, & habent reatum pœnæ temporalis, & alias sunt in gratia, sunt capaces fructus indulgentiæ.

894. Sed difficultas est, an indulgentiæ prosint omnibus animabus in Purgatorio existentibus. Nam quidam excipiunt animas Cathecumenorum, quæ cum solo baptismo in voto justificatæ à corpore separatæ sunt per mortem non suscepto Baptismi charactere. Quia participes thesauri Ecclesiæ esse non debent, qui Ecclesiæ portam nunquam intraverunt. Et quia non est verisimile, Pontifices velle eos defunctos à pœna solvere, quos vivos absolvere non potuerunt. Et quia communiter DD. docet Sacrificium Missæ non valere ex opere operato nisi pro insignitis charactere baptismali, igitur eadem est ratio de indulgentia, quæ operatur per modum operis operati. Et ita hanc partem tenet Nugnus *supplem.* D. Thom. *quæst. 25. num. 1. dub. 3. quæst. 3. conclus. in fin.* Sed mihi valde difficile creditu videtur, quod Ecclesia de numero fidelium rejiciat, quos Deus admittit, & qui non alia causâ non potuerunt, nec tamen nisi per votum Baptismi justificati sunt. Nec est verum, quod Ecclesia non possit absolvere Cathecumenos, quia si potest illos baptizare, potest illos absolvere, cum per Baptismum detur plenissima absolutio à peccatis. Quod vero non possit in eos exercere jurisdictionem fori externi, quia adhuc se non subjicierunt Ecclesiæ per baptismi professionem, non facit, quia nullæ animæ existentes in Purgatorio sunt de jurisdictione Ecclesiæ, & adhoc, ut sint participes suffragiorum Ecclesiæ sufficit, quod illi sint conjunctæ per fidem, & charitatem. Et ideo dicendum est, quod indulgentiæ valeant pro omnibus animabus Purgatorii, etiam pro illorum animabus Purgatorii, qui non susceperunt baptismum. Videantur dicta supra *quæst. 15. n. 165.* ubi resolutum fuit, quod indulgentiæ per modum suffragii possint competere etiam Cathecumenis vivis, ut plures DD. tradiderunt.

QVESTIO CXIII.

Vnum Indulgentiæ concessa pro Defunctis sit absolutio, seu remissio pœnæ, vel potius suffragium pro ea oblatum.

S V M M A R I U M.

895 *Objecta ad quæstionem.*
896 *Indulgentia pro Defunctis datur per modum suffragii.*
897 *Verba super terram referuntur etiam ad solutionis subjectum.*
898 *A pœna debita in foro Dei non potest Pontifex judicialiter solvere Animas Purgatorii.*
899 *Qualiter Ecclesia mortuos possit excommunicare, & absolvere.*
900 *Ecclesia exercet in Defuncto jurisdictionem donantem applicando pro illis de Ecclesia thesauro.*

895. Animus Purgatorii vere est clavibus subjectas saltem quantum ad aliqua & sic quantum ad hoc, ut possint per indulgentias absolvi à pœna illarum peccatis debita voluit quidam Joannes Angeli, quem refert Major *4. dist. 20. quæst. 2.* & *eadem dist.* S. Bonav. *2. dist. quæst. 5.* dixit, quod si quis contendat Vicarium Jesu Christi habere judiciariam potestatem super eos, qui sunt in Purgatorio, non est ei multum resistendum dum, tamen hoc dictet ratio, vel auctoritas manifesta. Et potest hoc probari, quia potestas ista judicaria in animas Purgatorii saltem quantum ad solvendas illas non continet aliquod conveniens, alias vero Christus Petro contulit universalissimam potestatem solvendi, dixit enim *quodcumque solveris super terram, erit solutum in Cœlis* Matth. 26. Nec obstant verba illa *super terram*, quia referri debent non ad objectum solutionis, sed ad actum solvendi, ut sensus sit quæcumque solutio, quam dederis *super terram* accepta erit & in Cœlis. Nam sicut verba illa, & in Cœlis referuntur ad solutionem ipsam, non vero ad objectum solutionis, ita etiam ad eamdem referuntur verba *illa super terram*. Secundo nam qui delinquit ratione delicti fit subditus Principis loci in quo delinquit, qui in illam existentem extra suum Territorium potest exercere suam jurisdictionem, & illum ligare, & solvere: peccata verò animarum existentium in Purgatorio commissa fuerunt in hac vita, & sic animæ peccatorum manent quantum ad hoc subditæ Summo Pontifici, ut eas possit solvere. Tum tertio quia Innoc. III. *in cap. à nobis* §. *Neque obstat* inquit, quod non obstantibus

tibus verbis illis super terram Ecclesia exercet aliquam jurisdictionem in defunctos. Nam de facto absolvit defunctos ab excommunicatione. Quarto quia superior in alieno territorio etiam cum non subdito potest exercere jurisdictionem voluntariam, quia potest non subdito conferre beneficium, pariter igitur Pontifex poterit extra territorium etiam cum non subdito exercere hanc jurisdictionem voluntariam, per quam Anima existens in Purgatorio solvatur à pœna.

896. Dicitur nihilominus certum esse, quod Animæ existentes in Purgatorio non sunt subditæ Ecclesiæ militanti, & quod propterea illis non conceduntur indulgentiæ per modum absolutionis, & judicii. Ita sensit D. Thom. *4. dist. 45. quæst. 2. artic. 3. quæst. 2.* quamvis ibi utatur alia forma loquendi, & dicat, quod Animabus Purgatorii Indulgentiæ non prosunt principaliter, & directè, sed secundario, & indirectè, eamdem vero assertionem, scilicet quod indulgentia defunctis valeat per modum suffragii non per modum absolutionis, quia Pontifex non habet jurisdictionem supra animas defunctorum, tenent communiter DD. quod verbis, & facto comprobarunt Pontifices etiam antiqui, qui dum concesserunt, & concedunt indulgentias pro defunctis addiderunt, & addunt illam particulam *per modum suffragii*. Et ratio hujus est, quia jurisdictionem, quam Christus Dominus promisit Petro Matt. *16.* dicens, *quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis* actu tradidit Io. *21.* dum dixit illi: *Pasce oves meas*. Per illa enim verba contulit illi omnem jurisdictionem ad primatum Petri pertinentem. At vero jurisdictio pascendi oves Christi ad hunc mundum est limitata, in quo Christi oves pasci indigent, & pasci possunt; jurisdictio igitur Primatus Petri extra hanc vitam non se extendit.

897. Ad primum in oppositum dicitur, quod verba illa *super terram*, non referuntur solum ad actum solutionis, sed ad solutionis subjectum, quia Petro concessa est jurisdictio solum super homines viventes. Nec est eadem ratio de illa particula, *& in Cœlis*, quia subjecta materia illam intelligentiam non patitur, nec dicitur, quod Petrus possit solvere existentes in Cœlis, sed quod solutio, qua ab eo homines existentes in terra solvuntur habebitur rata in Cœlo, & approbata.

898. Ad secundum dicitur, quod totum illud argumentum ad summum probat, quod Princeps, eum, qui est subditus sibi ratione delicti potest existentem extra territorium absolvere à pœna in suo foro debita, nunquam tamen probat, quod possit eum absolvere à pœna debita in foro alterius Principis; modo pœnæ Purgatorii non debentur illis ex foro Ecclesiæ, sed ex foro Dei. Vnde Ecclesia nec subditos viventes potest absolvere ab hujusmodi pœna per gratuitam remissionem, sed solum media satisfactione, sive propria pœnitentiam, sive aliena. Christus vero dedit Petro facultatem ut fideles solveret ab hac pœna viventes quidem tanquam sibi subditos, & ideo media solutione eos absolvendo, defunctos vero ut non subditos, & non absolvendo, sed suffragando, & per modum suffragii applicando pro illis Christi, & Sanctorum satisfactiones.

899. Ad tertium dicitur, quod Ecclesia solum indirectè, & impropriè exercet jurisdictionem circa defunctos tanquam circa materiam, & objectum suarum operationum, si enim excommunicat defunctos, vel eos declarat excommunicatos directè hoc non est nisi declarare eos decessisse non absolutos ab excommunicatione, & prohibere viventibus, ne pro illius anima suffragia afferant, aut orent. Si etiam defunctum absolvit ab excommunicatione, directè non facit, nisi quod permittit, ut cadaver illius possit tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, & quod fideles possint pro anima illius orare, & suffragia offerre. Vel dicitur ex distinctione jam data, quod defunctus ratione delicti in sæculo commissi manet subditus Ecclesiæ, ut pœna proportionata sibi, seu pœna fori externi possit eum ligare, aut à pœna solvere, & sic potest illum alias non subditum excommunicare, & absolvere. Sed pœna Purgatorii est pœna debita in foro Dei, & ex vi divinæ legis, cujus reatum incurrit vivens velit, nolit Pontifex, & ad quam incurrendam non est opus sententia Ecclesiastica. Et ab hac pœna Pontifex non potest judicialiter absolvere, nisi mediis Sacramentis, vel per indulgentias tunc cum peccator est sibi subditus, quia sibi non est concessa facultas judicialis nisi ligandi, & solvendi super terram; quamvis quia Pontifex est custos thesauri Ecclesiæ ex hoc per modum suffragii possit indulgentias pro defunctis concedere.

900. Ad ultimum dicitur, quod superior extra Territorium actum judicialem jurisdictionis voluntarie non potest exercere, nisi in suum subditum, indulgentia vero per modum absolutionis est actus judicialis *cap. quod autem de pœnit. & remiss.* Si autem loquamur de jurisdictione ut donante, & dispensante, sic potest exerceri in non subditum, & hoc modo Ecclesia suffragando defunctis illis indulgentiam concedit. Hujusmodi enim non est actus jurisdictionis respectu defuncti, sed respectu rei donatæ, & viventium, quibus concedit ut si hoc, vel illud faciant, applicetur tantum de thesauro Ecclesiæ, quantum opus est, ut defunctus effectus indulgentiæ acquirat.

QVÆSTIO CXIV.

Quid sit Indulgentia per modum suffragii, & per quid distinguntur ab Indulgentia per modum absolutionis.

SVMMARIVM.

901 *Quid sit indulgentia per modum suffragii.*

902 *In indulgentia pro defunctis executio operis & designatio personæ spectat ad vivum, qui pro defunctis lucratur indulgentiam.*

901. IN hoc consistit essentialis differentia inter hujusmodi indulgentias, quod indulgentia vivorum, quæ est per modum absolutionis est actus jurisdictionis in personam cui conceditur, ideo est actus Judicis, & ipsa est absolutio judicialis, per quam Pontifex ut superior & judex oblata Deo proportionata satisfactione de thesauro Ecclesiæ suum subditum à reatu pœnæ absolvit. Sed indulgentia per modum suffragii non est actus jurisdictionis in personam cui conceditur, ideo non est absolutio judicialis, per quam ille liberetur à pœna, sed est supplicatio, per quam Pontifex offerens de thesauro æquivalentem satisfactionem obsecrat Deum, ut illum liberet à pœna.

902. Sic igitur quando Pontifex concedit vivis, ut indul-

indulgentiam lucrentur pro defunctis non per hoc concedit illi facultatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ in defunctorum favorem, hoc enim est quid Pontifici reservatum. Sed neque concedit, quod indulgentiam sibi concessum possit quis applicare pro defunctis, quia per id, quod tibi concessum est, tua peccata remissa sunt, sed concedit, quod si quis hoc vel illud facit, indulgentia per modum suffragii prosit animæ illius defuncti, quem ille designaverit. Et sic duo spectant ad vivum, ut indulgentia prosit defuncto, scilicet executio operis injuncti, ut valeat indulgentia, & designatio Animæ, cui indulgentia prosit. Sed Pontifex est qui suffragatur, & dispensando thesaurum Ecclesiæ, & de illo partem offerendo supplicat, ut anima effectum indulgentiæ obtineat.

QVÆSTIO CXV.

Vtrum Indulgentia pro defunctis habet effectum infallibiliter, & per modum operis operati.

SUMMARIUM.

903 *Opiniones ad quæstionem.* 904.
905 *Indulgentia pro defunctis non est infallibilis.*
906 *Indulgentia defunctis non potest concedi per modum absolutionis.*
907 *Potestas concedendi indulgentias pro defunctis consequitur ex potestate illas conferendas pro vivis.*
908 *Discrimen inter indulgentiam pro vivis, & pro defunctis.*
909 *Prima sententia D.D. secunda male pro se refert.*
910 *Indulgentia prodest tam vivis, quam defunctis, sed his ut suffragium de cujus ratione non est infallibilitas.*
911 *Indulgentia pro defunctis multiplici ratione est actus clavium.*
912 *Est judiciale suffragium.*
913 *Differt a dispensatione votorum.*
914 *Est suffragium publicum.*

903. IN hoc est prima opinio negans indulgentiam per modum suffragii habere infallibilem effectum ex eo quia inferior non potest infallibiliter liberare aliquem à sententia, & pœna lata per superiorem, etiam compensando, & dando illi æquivalens nisi ille superior ex speciali promissione se obligaverit ad acceptandam compensationem. Cum ergo pœna Purgatorii sit debita animabus ex sententia divini juris, & animæ in Purgatorio tanquam in carcere divini fori detineantur; quamvis Pontifex offerat Deo competentem compensationem, non per hoc liberatio est infallibilis, nisi Deus promiserit, & se obligaverit ad compensationem illam acceptandam, de qua promissione, & obligatione non constat. Secundo nam est differentia inter vivum & mortuum, quia licet statim ac vivens peccat ex sententia divina damnetur ad pœnam condignam peccato, nihilominus hæc est veluti sententia pro interim, & interlocutoria, & conditionata, nisi ipse vivens satisfecerit divinæ justitiæ, & sic vivens habet jus aliquod ut possit satisfacere, & ut ex quadam justitia sibi remittatur pœna, si divinæ justitiæ æquivalentem compensationem reddat. Sed morte peccatoris sententia transit in absolutam, & diffinitivam, unde non remanet locus satisfactioni per compensationem, quæ innititur justitiæ, seu solum quæ innitatur divinæ misericordiæ. Tertio nam ob hanc causam privata suffragia non habent infallibilem effectum, dum fiunt pro defunctis, sed solum ex libera acceptatione divinæ misericordiæ. Imo aliqui volunt, quod neque Sacrificium Missæ hanc infallibilitatem habeat, & quod nullum detur opus operatum, per quod infallibiliter animæ liberentur à pœnis Purgatorii. Et ita hanc sententiam tenuerunt Richard. *4. dist. a. 5. q.* 203. Dur. *q. 4. n. 12.* Cajet. *tom. 1. tract. 16. q. 5.* Cord. *a. 6. q. 13. & 15.* Canus *l. 12. de locis c. 13. ad 9. §. errant.* Dominicus Sotus *4. d. 19. p. 2. a. 4. circa finem* Petrus Sotus *l. 3. de indulg.* Henriq. *l. 7. c. 7. n. 4.* Laym. *l. 5. tr. 7. c. 7. n. 2.* Bonac. *d. 6. q. 1. p. 6. circa finem* Lezana *v. indulgentia n. 5.* Amicus *tom. 8. d. 20. sect. 8. n. 176.* & hanc eadem sententiam Bellar. *l. 1. c. 14.* vocat rationabilem.

904 Sed alii nimirum Sotus *d. 21. q. 2. a. 3.* & *d. 45. q. 2. a. 3.* Navar. *notab. 22. n. 18.* Suarez. *d. disp. 53. sect. 3. n. 3.* Val. *tom. 4. d. 7. q. 20. punct. ult.* Coninch. *disp. 12. dub.* 10. Benzon. *l. 2. c. 52.* Palaus *tract. 24. p. 10. n. 4.* Trullench. *in Bullam Cruciata l. 4. dub. 9.* Cotton. *l. 2. contr. 11. n. 9.* Diana *part. 5. tract. 12. resol.* 8. & *p. 9. tract. 2. resol. 1. & 3.* De Lugo *disp. 27. n. 59.* Nugnus *in supl. q. 25. a. 1. d. 3.* affirmant, indulgentiam pro defunctis habere infallibilem effectum, & pro eadem sententia referunt D. Th. *4. dist. 45. q. 2. a. 3. q. 2. & 5. c. g. c. 158. in fine*, Et hoc probant primo ex decreto Leonis X. ad Cardinalem Cajetanum ubi indistinctè, & eodem tenore loquens de indulgentia pro vivis, & pro defunctis, & asserens utramque consequi suum effectum, significat id fieri æquè infallibiliter. Secundo quia indulgentia pro defunctis non nisi Apostolica auctoritate conceditur, ut dicitur in eodem decreto; est igitur actus clavium infallibiliter consequens effectum suum, quia omnis dispensatio facta auctoritate Apostolica est infallibilis, ut patet in dispensatione votorum. Tertio nam Petro dictum fuit, *quodcumque solveris super terram erit solutum, & in cælis*, nomine solutionis non intellexit solam absolutionem judicialem, sed quamcumque dispensationem, & gratiam quæ fiat ex illa auctoritate. Quarto nam alias si indulgentia hujusmodi non haberet infallibilem effectum, non esset actus clavium, nec auctoritate publica, sed fieret per modum deprecationis, & supplicationis quemadmodum quilibet fidelis potest Deum rogare, ut propter Christi merita, & Sanctorum Deus liberet animas Purgatorii.

905. Re benè pensata apparet primam sententiam esse veriorem, & præferendam secundæ, quia non constat de speciali promissione, & obligatione, per quam Deus promiserit, & sic se obligaverit ad acceptandam compensationem, quam ad favorem animarum Purgatorii facit Pontifex dando indulgentiam per modum suffragii. Quod enim dicitur hanc promissionem colligi ex eo quod Christus Petro dixit, *quodcumque solveris super terram erit solutum, & in cælis*, quia nomine solutionis intelligitur quæcumque dispensatio & favor factus à Pontifice auctoritate Christi, & quia verba *super terram* non referuntur ad personam solutam, ad sed solutionem, & sic sufficit quod solutio facta sit super terram, licet qui solvitur sit extra terram: quod inquam sic dicitur non est conforme textui

textui Evangelii: Tum quia verba prædicta non debent accipi nisi in ea significatione, quam habent illa alia, *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cælis*. In his vero verbis verbum ligare dicit actum jurisdictionis in personam ligatam; ligare enim est obligare præceptis, & pœnis impositis detinere. Pontifex vero non potest animas existentes in Purgatorio vel extrà mundum ligare præceptis, aut pœnis; Sic enim, & pœnæ, pro quibus animæ satisfacere debent in Purgatorio, sunt pœnæ impositæ in foro Dei, & impositæ à divina justitia. Cœterum morte solvitur omne debitum pœnæ Canonicæ: Unde si v. g. excommunicatus moritur, si alias sit contritus, & sic in statu gratiæ moritur, nullo modo ligata illa censura manet anima illius, qui si tantam contritionem de peccato suo habuisset in morte, ut valuisset ad delendum omnem reatum pœnæ temporalis debitæ ex divina justitia, & sic nihil illi deberet, statim anima illius Paradisum introiret, non obstante, quod ab Ecclesia cadaver illius privaretur Ecclesiastica sepultura: Sicut igitur verbum *ligare super terram* dicit actum jurisdictionis exercendum solum in vivos: sic directè, & principaliter verbum *solvere super terram* non dicit puram concessionem gratuitam, sed judicialem solutionem exercendam in personas vivorum; solvere enim contraponitur ei, quod est ligare, & sumitur, ut est oppositum illius; igitur sicut ligare dicit judiciale ligamen, per quod viventes ligantur ad agendum, vel ad patiendum, ita solvere dicit judicialem dissolutionem ligaminis, & obligationis. Et sicut Pontifex non potest ligare directè, & judicialiter, nisi viventes, sic nec potest solvere nisi viventes directè, & principaliter. Nam & verba illa Christi Jo: 21. *Pasce oves meas*, quæ continent omnem jurisdictionem spectantem ad Primatum Petri, respiciunt solum hanc vitam, & fideles viventes dum tanquam oves morantur in pascuis hujus Mundi extra aulas Paradisi. Et in hunc sensum Gelasius Papa in commonitorio, ut habetur *cap. legatur 2.24. quæst. 2.* explicans verba illa Christi Domini dixit *super terram*, inquit, *Nam in hac legatione defunctum nusquam dixit absolvi*.

906. Quod si quis objiciat, ex his sequi, quod Pontifex non possit concedere indulgentias pro defunctis; quia non intelligimus, quod Pontifex possit concedere indulgentias, nisi quia sibi concessum fuerit, ut quodcumque solverit super terram, sit solutum in Cœlis; si ergo solvere sit judicialiter absolvere, cum Pontifex non possit judicialiter absolvere animas existentes in Purgatorio, non poterit illis indulgentiam concedere. Respondetur, & dicitur, quod objectio non probat nisi, quod intendimus, scilicet quod Pontifex non potest pro defunctis concedere indulgentias per modum absolutionis, quod est verissimum.

907. Et si iterum instes, & dicas. Vnde habetur, quod Pontifex possit pro defunctis concedere indulgentias per modum suffragii, si non habetur ex illis verbis: *quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in cælis?* Respondetur, quod ad concedendum indulgentias per modum suffragii non requiritur specialis potestas, sed hæc venit per consequentiam ex potestate dandi indulgentias per modum absolutionis. Nam cum ordo divinæ Providentiæ velit, ut unus possit adjuvare alium per modum suffragii concesso semel hoc alio, quod scilicet Pontifici data sit facultas dispensandi thesaurum Ecclesiæ, consequitur ex connaturalitate talis facultatis, ut possit dispensare hunc thesaurum ad suffragandum, & adjuvandum animas Purgatorii; quæ fide, & charitate cum Ecclesia militante conjuncta sunt. Et sic ex quo ex eo loco Matth. 16. colligimus, quod Christus Petro concessit, ut dispensando Ecclesiæ thesaurum posset vivos solvere judicialiter à pœna debita in foro Dei, simul consequenter colligimus, quod possit pro defunctis hoc facere per modum suffragii. Nam ut habet D. Thom. *4. dist. 45. quæst. 2. ar. 3. quæst. 2.* Non est aliqua ratio, quare Ecclesia possit transferre merita communia, quibus indulgentiæ innituntur in vivos, & non in mortuos.

908. Sic ergo distinguntur indulgentia pro vivis, & pro defunctis, quod illa ex parte concedentis est actus justitiæ vindicativæ, ad quam sicuti spectat punire sic etiam pertinet absolvere, quando ratio, & æquitas justitiæ id exigit; sed ista non spectat ad justitiam vindicativam ex parte concedentis, sed solum concernit oblationem æquivalentis compensationis, & petitionem ut Deus dignetur illam acceptare. Vtraque tamen est actus liberalis misericordiæ, sui charitatis ex parte concedentis, qui libere de thesauro Ecclesiæ æquivalenter compensat; Et in indulgentia, pro vivis simul ut judex compensationem acceptat. Sed in indulgentia pro mortuis, quia ipse non est Judex mortuorum, ejus non est compensationem acceptare, sed solum offerre, & supplicare ut acceptetur.

909. Ad argumenta igitur secundæ sententiæ respondetur. Et quidem primo dicitur quod male citat pro se & sine fundamento Divum Thom. *in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. quæst. 2. num. 3. & 4. c. g. cap. 158.* quia ibi D. Thom. nihil habet de infallibilitate Indulgentiæ concessæ pro defunctis. Et si dicatur colligi eum esse mentem D. Thom. ex illis verbis. *Nec tamen sequitur, quod Prælatus Ecclesiæ possit pro suo arbitrio animas à Purgatorio liberare, quia ad hoc quod indulgentia valeat, requiritur causa conveniens indulgentias concedendi.* Nam D. Tho. si sensuisset, quod indulgentia pro defunctis non sit infallibilis, solvisset difficultatem à se positam, & ex hoc capite dixisset, non sequi quod Pontifex possit ad arbitrium suum liberare Animas Purgatorii, quia hoc non facit indulgentia infallibiliter. Sed valde deficit hæc illatio. Nam D. Tho. per hujusmodi responsionem non solvisset plene argumentum. Tum quia non est certum, quod indulgentia pro defunctis non sit infallibilis. Tù quia dato, quod indulgentia hujusmodi non sit infallibilis de jure, pium est credere quod sit infallibilis de facto, & quod Deus misericorditer Sponsæ suæ Ecclesiæ suffragia admittat. Tum tertio quia quæstio de arbitrio ex propriis solvenda erat, & dicendum, quod arbitrium Papæ in hoc non est liberum omnino, sed est ligatum ad causam conveniente, & sic Pontifex non potest ad nutum suæ voluntatis liberare animam à Purgatorio, sed solum supposita causa conveniente, quod vero *in 3. c. g. loco cit.* dixerit, quod sicut per se ipsum, ita, & per alium potest aliquis satisfacere Deo, non potest ex hoc colligi intenta infallibilitas, quia D. Thom. ibi nec agit, nec asserit quod satisfactio sit infallibilis, & similitudo in hoc consistit, quod homo potest satisfacere pro alio. Et licet ibi asserat, quod affectio charitatis in eo, qui pro amico patitur, facit magis satisfactionem Deo acceptam, quam si ipse pateretur, ex hoc non concluditur, quod satisfactio pro alio sit infallibilis, nam gratissima est Deo oratio pro alio, nec tamen infallibilis est.

910. Ad primum respondetur ex decreto Leonis X. solum haberi, quod indulgentia prodest tam vivis, quam defunctis, sed servato discrimine, quod ferunt absolutio judicialis, & suffragium, ideo non potest dici, quod mens Leonis fuerit, quod utraque indulgentia æque infallibiliter suum effectum conferat, quia absolutio per se infallibilitatem secum fert, sed per se hanc infallibilitatem non fert suffragium, Leo vero non asseruit, quod indulgentia pro defunctis prosit nisi per modum suffragii.

911. Ad secundum respondetur indulgentiam pro defunctis esse actum clavium, & solius auctoritatis Apostolicæ esse illam concedere. Quia requirit jurisdictionem tum respectu vivorum, quibus conceditur, ut indulgentiam possint pro defunctis applicare; tum respectu dispensationis thesauri Ecclesiæ, quæ dispensatio per se est actus auctoritatis Apostolicæ; tum ratione applicationis, & compensationis factæ nomine totius Ecclesiæ, quod facere omnino est proprium illius, qui habet Ecclesiæ administrationem.

912. Et sic si dicatur, quod indulgentia est actus judicis, & non competit nisi judici; & sic debet esse actus judicialis *cap. quod autem de pœnit. & remiss.* Respondetur textum ibi loqui de indulgentia pro vivis. Et nihilominus additur, etiam indulgentiam pro mortuis esse quid judiciale, sed non esse judicialem absolutionem, sed judiciale suffragium, quia est compensatio æquivalens debito data Deo de publico thesauro auctoritate publica supremi judicis, & nomine publico pro libertate animæ fide, & charitate conjunctæ ipsi Ecclesiæ.

913. Non est vero eadem ratio de dispensatione votorum, & de dispensatione thesauri, quia illa est dispensatio in lege, quæ fit per modum absolutionis, & cum subdito, ideo non mirum si sit de se infallibilis, sed indulgentia pro defunctis supponit dispensationem thesauri, sed non est absolutio, sed suffragium quod per se ex natura sua non habet infallibilitatem.

914. Ad tertium patet responsio ex dictis. Ad quartum negatur sequela non enim est privatum suffragium sed publicum, quod non potest fieri, nisi de bono publico, auctoritate publica, & nomine publico oblatum.

QVÆSTIO CXVI.

Vtrum pro vivis concedatur aliqua Indulgentia, quæ valeat solum per modum suffragii.

SVMMARIVM.

915 *Opinio aliquorum.*
916 *Stat indulgentiam esse absolutionem, & concedi mediate.*
917 *De facto pro vivis non conceditur indulgentia per modum suffragii.*
918 *An possit vivis concedi indulgentia per modum suffragij.*

915. POsse dari indulgentiam per modum suffragii etiam pro vivis colligit Suarez *d. disp. 53. sect. 3. num. 7.* ex D. Thom. *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. quæst. 2.* & ex *dist. 20.* ex eo quod D. Thom. ibi docet, quod indulgentiæ conceduntur defunctis indirectè, & secundario, & quod hoc modo potest etiam concedi vivis; sic enim quando Pontifex concedit uni, ut possit applicare indulgentiam pro alio, si velit, tunc respectu alterius indulgentia illa habet modum suffragii. Quod admittens Gabriel. *addit. ad lect. 57. in can.* apud eumdem Suarez, dixit, quod indulgentia concessa mittentibus in bello pugnatorem est per modum suffragii: sicut talis est quando quis per alium implet opus injunctum, vel universaliter quando opus fit ab una persona, & alteri conceditur indulgentia.

916. Sed quantum spectat ad D. Thom. sine fundamento aliquo colligitur mentem illius fuisse, quod dum conceditur uni ut indulgentiam lucretur pro alio, hæc sit indulgentia per modum suffragii. Nihil enim de hoc habet ibi Divus Thomas, sed solum ponderat quod hujusmodi indulgentia secundario, & indirectè conceditur illi alteri pro quo applicatur. Quod si dicatur, quod tunc etiam illi alteri immediatè conceditur indulgentia, quia Pontifex non concedit illi cui concedit, ut indulgentiam acquirat pro altero, seu applicet alteri, ut illum alterum absolvat, seu ut ille sit, qui de thesauro Ecclesiæ applicet quantum opus est, ut illi, pro quo applicatur remittatur pœna proportionata oblationi, & applicationi, sed Pontifex est, qui immediate supposita executione operis injuncti facta per unum, & designatione personæ, cui applicatur indulgentia, applicat de thesauro, quod opus est, & personam designatam absolvit. Respondetur quod hoc non obstat, & quod adhuc indulgentia dici potest concessa illi alteri mediatè, & secundario, quia non conceditur nisi medio opere injuncto perfecto per alium, & nisi media ejusdem, qui opus injunctum perfecit applicatione, & designatione scilicet nisi ipse personam designet, quam Papa absolvat applicando pro illo de thesauro Ecclesiæ quod sufficit. Et sic stat, quod indulgentia sit concessa secundario, & indirectè, quod est id, quod D. Th. ait, & tamen indulgentia sit absolutio, non vero sit solum suffragium, de quo nihil D. Thom. loquitur.

917. Quantum vero ad rem ipsam dicitur de facto omnem indulgentiam concessam pro vivis esse absolutionem. Quod est verum nedum quando Papa concedit, quod quis possit lucrari indulgentiam per opus impletum per ipsum vel per alium, quia tunc Pontifex est, qui impleto opere per ipsum vel per alium, ipsum judicialiter absolvit soluto pro eo, quod sufficit; sed idem fit etiam si indulgentia sit concessa per modum applicationis faciendæ, ut quando Papa concedit uni, ut faciendo aliquod opus lucretur indulgentiam pro se, vel pro alio, prout ille voluerit. Nam, & in hoc casu melius dicitur, quod Pontifex illi, cui concedit, ut acquirat indulgentiam pro alio non concedat nisi designationem personæ, & quod Pontifex sit, qui illum, cui applicatur indulgentia, absolvit, & sic quod indulgentia ista sit per modum absolutionis.

918. Sed quid dicendum, si Pontifex concederet alicui, ut acquireret indulgentiam pro alio dando illi facultatem applicandi thesaurum Ecclesiæ? Respondetur, quod vel Pontifex delegaret illi jurisdictionem, vel concederet mere nudam facultatem dispensandi de thesauro, quod opus est. Si delegaret jurisdictionem indulgentia valeret per modum absolutionis, si applicans pro alio indulgentiam jurisdictione concessa ad absolvendum uteretur. Sed si non esset sibi conces-

sa

sa jurisdictio, indulgentia illa applicata non subdito, & sine jurisdictione non valeret per modum absolutionis, sed solum per modum suffragii. Sed hic modus concedendi indulgentias pro vivis non est in usu. Nam indulgentia pro mortuis hoc modo intelligi posset concedi, quia enim non est actus jurisdictionis in defunctis, sed erga illos est suffragium, quasi in idem coincidunt, quod vel Pontifex ipse immediate applicet de thesauro quod sufficit, ut Deo offeratur, tanquam æquivalens compensatio pro pœna defuncti, vel quod hoc faciat ille, qui perfecit opus injunctum, & cui commissa est designatio animæ, pro qua valeat indulgentia, sed hoc faciat ex sibi à Pontifice donata compensatione æquivalenti de thesauro Ecclesiæ, quam possit, vel debeat pro anima defuncti offerre.

QVÆSTIO CXVII.

Vtrum Indulgentia possit concedi pro defunctis immediate, non medio alicujus viventis opere, & applicatione.

SUMMARIUM.

919 *Regulariter defunctis non potest concedi indulgentia immediate.*
920 *Absolute posset.*

919. QVamvis Pontifex possit concedere indulgentiam nullus opus injungendo, id tamen non potest facere sine causa, vel quidem sit petita ex aliqua utilitate hujus militantis Ecclesiæ. Quia vero regulariter non est possibile quod adsit causa concernens Dei honorem, & hujus militantis Ecclesiæ utilitatem, quæ exigat, quod Pontifex Apostolica auctoritate, & nomine Ecclesiæ immediate, & directè per modum suffragii applicet de Ecclesiæ thesauro solutionem, quæ est necessaria ad liberandam animam à pœnis Purgatorii; ideo regulariter non est possibile, quod indulgentia valide concedatur defunctis immediatè, & directè. Si enim indulgentiæ tam pro vivis, quam pro defunctis conceduntur ad inducendum fideles ad aliquod bonum opus, sivè hoc sit bellum contra hostes fidei, sive sit erectio alicujus hospitalis, sive bonorum operum exercitium, & peccatorum pœnitentia, ad finem implorandi à Deo auxilium aliquod, sive alia similis utilitas Ecclesiæ mihi militantis, quæ non consurgit, nisi medio aliquo opere viventium. Ideo nunquam legetur, quod fuerit concessa indulgentia pro defunctis, nisi mediate, & indirecte, injungendo scilicet vivis aliquod opus, ex quo consurgit utilitas Ecclesiæ militantis, & concedendo illis, ut indulgentiam possint pro defunctis lucrari: posset tamen Pontifex, ex gratitudine præteritorum beneficiorum defuncto immediate concedere indulgentiam per modum suffragii, si hujus gratitudinis ostensio esset futura utilis Ecclesiæ, & causa proportionata ad concessionem indulgentiæ.

920 Cardinalis tamen de Lugo *disp. 27. de pœnit. n. 62. & sequent.* absolute tenet, quod Pontifex directè, & immediatè non possit defunctis indulgentiam concedere. Quia hæc potestas non clausa in illa potestate *pascendi oves* in qua fundatur potestas indulgentiæ, cum animæ defunctorum non sint oves Pontificis. Quamobrem ipse tenet, quod Pontifex non potest pro defunctis indulgentiam concedere, nisi mediate, & quia dispensando thesaurum elevat opera viventis, ut sint satisfactoria pro defunctis ex opere operato. Et ad hoc allegat D. Thom. *4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. quæst. 2.* D. Thom. ibi loquitur de eo, quod fit de facto, & est in usu apud Ecclesiam. Cæterum ibi & expresse concedit, quod Pontifex bona communia Ecclesiæ possit dispensare, sicut pro vivis ita pro defunctis. Nec ratio in oppositum allata probat, quia ad hoc, ut Pontifex possit suffragando dispensare thesaurum pro defunctis, sufficit, quod illæ animæ fuerint suæ oves, & contraxerint debitum, dum erant suæ oves, & sint adhuc aliquo modo in via, & conjunctæ Ecclesiæ per fidem, & charitatem. Cœterum nec Pontifex injungit opera vivis, ut sint satisfactoria pro mortuis, sed ut sint conditiones, sub quibus indulgentia conceditur, unde nec elevantur, nec indigent elevari, ut sint satisfactiones de opere operato.

QVÆSTIO CXVIII.

Vtrum Indulgentia pro defunctis sit univoce Indulgentia.

SUMMARIUM.

921 *Remissio pœna passivè sumpta univoce convenit vivis, & defunctis.*
922 *Indulgentia non dicetur univoce de indulgentia pro vivis, & pro defunctis.*
923 *Hoc est verum etiam indulgentia pro defunctis sit infallibilis.*

921. AFfirmat Suarez *d. disp. 53. sect. 3. n. 16.* quod negant alii: sed advertendum, quod indulgentia accipi potest active & passive. Nam indulgentia passivè sumpta non est nisi remissio pœnæ debitæ in foro Dei facta virtute compensationis æquivalentis datæ à Pontifice ex potestate jurisdictionis de thesauro Ecclesiæ, & totius Ecclesiæ nomine. Et hoc totum convenit utrique indulgentiæ, unde in hoc univoce conveniunt. Quod vero in indulgentia pro vivis remissio ista fiat per modum absolutionis, & ideo infallibiliter, in indulgentia vero pro mortuis id fiat per modum suffragii, & ideo forsan non infallibiliter, id pertinet ad differentiam indulgentiæ, non ad genus.

922. Sed si indulgentia sumatur active, sicuti exigit magis propria, & usitata significatio ejus, nam passiva remissio pœnæ non est propriæ indulgentia, sed est effectus indulgentiæ, quia indulgentia desumitur à verbo activo indulgere, & sic significat actionem ejus, qui indulget, si inquam indulgentia sumatur activè, indulgentia pro mortuis, nec univocè indulgentia est, nec simpliciter, sed secundum quid, & cum addito, scilicet indulgentia per modum suffragii. Et hoc consequenter loquendo tenet DD. qui volunt, quod indulgentia pro vivis sit judicialis absolutio, quos retuli supra *quæst. 1.* & hoc negant de indulgentia pro defunctis, ut visum est supra *quæst. 114.* in indulgentia enim pro defunctis Pontifex non indulget activè, nec pœnam remittit, sed offert æqualem compensationem, & rogat, & indulgeatur; & pœna remittatur, sed indulgentia pro vivis est remissio pœnæ & per eam Papa indul-

indulget, quia absolvit à pœna. In hoc ergo communi convenit utraque indulgentia, quod est actus jurisdictionis in thesauro, & in eum, cui jungitur facultas acquirendo effectum indulgentiæ, & sic utraque importat publicam compensationem oblatam de thesauro Ecclesiæ ejusdem Ecclesiæ nomine, sed hoc nomen indulgentia propriè non significat, & in recto oblationem compensationis pro remittenda pœna, licet hujusmodi oblatio ad indulgentiam sit necessaria, sed propriè significat pœnæ remissionem, seu concessionem libertatis à pœna. Cum igitur indulgentia pro defunctis non sit remissio pœnæ, sed suffragium præstitum ad hoc ut pœna remittatur, non est propterea indulgentia simpliciter, univoce, sed secundum quid, & analogicè.

923. Nec sufficit dicere, quod indulgentia pro defunctis continet remissionem pœnæ virtualiter, & morali modo, quia dato quod hoc si verum adeo ut indulgentia pro defunctis infallibiliter suum effectum obtineat, adhuc non salvatur univocatio, quia univoca non sunt remittere pœnam judicialiter, & impetrare remissionem pœnæ per suffragium oblatum. Quoniam hoc non est indulgere, sed impetrare; quod Deus indulgeat, seu indulgentiam concedat. Quod licet in indulgentia per modum suffragii supponat aliquem actum jurisdictionis dispensativæ thesauri, formaliter tamen est actus subditi, & est causare per modum impetrationis, quod non est indulgere, sicut nec est remissionem pœnæ facere per auctoritatem, & jurisdictionem, & per modum judicialis absolutionis.

QVÆSTIO CXIX.

Vtrum ad acquirendam indulgentiam pro defunctis sit necesse, quod qui perficit opus injunctum sit in statu gratiæ.

SVMMARIVM.

924 *Non est necesse ut qui acquirit indulgentiam pro defunctis sit in statu gratiæ, dum implet opus injunctum.*

925 *Non sufficiunt tamen opera, quæ sint peccata.*

924. SVpponitur necesse esse, ut is, cui concessum est lucrari indulgentiam pro defunctis impleat opus injunctum, sub cujus conditione indulgentia fuit concessa. Et hoc supposito quæritur, an sit necesse, ut ipse sit in gratia, dum perficit illius opus. Nugnus *suppl.* D. Thom. *q. 25. a. 1. dub. 3.* sentiens necesse esse, quod qui accipit indulgentiam pro defunctis applicet pro illis opus injunctum etiam secundum quod satisfactorium ex opere operante, simul vult, quod hujusmodi operatio debeat esse in gratia, dum exequitur opus injunctum, eo quia bonitas operantis sit intenta ut medium ad effectum indulgentiæ obtinendæ. Sed hæc sine fundamento afferuntur. Et ibi multa alia de sacrificio missæ addit, quæ doctrinæ communi, & Decretis Sac. Congreg. de celebratione Missarum sunt contraria. Dicitur vero, quod nisi hoc specialiter sit requisitum à concedente, nedum non est necessaria gratia dum opus injunctum inchoatur, sed nec etiam dum perficitur. Navar. *de jubil. not. 22. num. 30. & 31.* Suarez. *disp. 52. sect. 4. num. 6.* Coninch. *disp. 12. dub. 6. & 11.* Layman. *lib. 5. tract. 7. cap. 6. num. 1.* Rodriq. *quæst. Regul. 96. art. 4.* Tolet. *6. c. 6.* Bonac. *disp. 6. q. 1. p. 6. num. 11.* Palaus *tract. 24. p. 10. num. 10.* Hering. *l. 7. cap. 9. & cap. 16.* Ludovicus à Cruce *in Bull. Cruc. disp. 2. dub. 6. num. 5.* Trullench. *in eadem Bull. lib. 4. dub. 10. num. 1.* Villalobos *tract. 28. n. 2.* Diana *part. 5. tr. 12. resol. 48. & par. 9. tract. 2. de resol. 4.* Sanctarell. *de jubil. cap. 3. dub. 9.* Escobar. *tom. 1. lib. 7. cap. 35. probl. 107.* Cotton. *l. 2. contr. 11. num 23.* Quidquid in oppositum dixerit de Lugo *disp. 27. num. 75.* Ratio est, quia opus injunctum non requiritur vel ut meritorium, vel satisfactorium, quia remissio pœnæ in indulgentiis sit virtute satisfactionum Christi, & Sanctorum, sed requiritur ut opus honestum, & bonum, ideo sufficit, quod sit tale, & tale est etiam, si homo non sit in gratia. Nec est eadem ratio de indulgentia pro vivis, & pro defunctis, quia indulgentia, quam vivens lucrari vult pro se, requirit gratiam saltem in complemento operis injuncti, seu tunc cum indulgentia referre debet suum effectum, ut ipse sit capax recipiendi effectum indulgentiæ, cujus est incapax, qui non est in gratia. Sed animæ Purgatorii cum sint in statu gratiæ, seu capaces effectus indulgentiæ, neque ad hunc effectum est in vivo necessaria gratia, sed sufficit, quod ille opus injunctum impleat. Neque enim imaginandum est quod qui lucratur indulgentiam pro defunctis, prius lucretur illam, pro se, & postea illam tribuat defuncto, sed illa solum exhibet conditionem requisitam, qua exhibita Pontifex per modum suffragii defuncto indulgentiam concedit. Sic ergo contingere potest, ac peccator alteri acquirat indulgentiam implendo conditionem, sub qua illa fuit concessa.

925. Non sufficit tamen si opus ex circumstantia inficiatur, ut nedum sit opus peccatoris, sed sit in peccatum juxta supra exposita *quæst. 39.* Ideo falsum & improbabile est, quod tanquam probabile ex Pellizzario *tom. 2. tr. 8. n. 252.* refert, & probat Cotton. *dicto n. 13.* scilicet, quod sufficiat communio etiam sacrilega, ut *dicta quæst. 39.* probatum fuit.

QVÆSTIO CXX.

Vtrum in acquirente Indulgentiam pro defunctis sit necessaria intentio, & applicatio illius.

SVMMARIVM.

926 *Regulariter non est necesse applicare defunctis opus injunctum ut satisfactorium.*

927 *Necessaria est intentio acquirendi indulgentiam pro defuncto.*

926. REspondetur, quod applicare opus injunctum pro defunctis, quatenus illud opus est satisfactorium, & ut eo, mediante satisfiat pro anima defuncti regulariter non est necessarium. Quia ut docuit D. Thom. *4. dist. 20. q. 1. ar. 3. q. 2.* & cum eo docent communiter DD. remissio pœnæ quæ fit per indulgentias non innititur valori operis injuncti, sed abundantiæ

dantiæ meritorum Ecclesiæ, quæ de thesauro Deo offertur, ideo hujusmodi opera injunguntur, ut conditiones se tenentes ex partæ causæ, non vero ut satisfactiones. Quando tamen Pontifex hanc applicationem exigit necessaria est, sicut regulariter exigi intelligitur, quando in concessione requiritur sacrificium Missæ cum clausula *Qui pro defuncto Missam dixerit*, secus vero, si hæc, vel æquivalens clausula apposita non fuerit, Suarez *disp. 53. sect. 4. n. 5.* Palaus *tract. 24. p. 10. n. 9.* Card. De Lugo *d. 27. n. 2.* Cotton. *l. 2. controv. 11. n. 14.*

927. Sed tamen semper est necessaria vel formalis, vel virtualis intentio acquirendi indulgentiam pro defuncto. Quia cum hujusmodi indulgentiis Pontifex designationem animæ pro qua valeat indulgentia committat illi vivo, qui opus injunctum implet, necesse est, quod ille suæ intentionis directione designet animam illam. Et tanto magis, quod vivus, qui operatur, indulgentiam pro se acquisitam non potest applicare defuncto, sed ut indulgentia defuncto prosit, debet eam illi speciali acquisitione acquirere distincta ab ea, qua acquirit pro se ipso, ita DD. citati.

QVÆSTIO CXXI.

Vtrum in defunctis requiratur aliqua alia dispensatio ad acquirendam Indulgentiam, præter characterem Baptismi, si est necessarius, & gratiam.

SVMMARIVM.

928 *In defunctis ut sint capaces indulgentiæ sufficit, quod sit gratia.*
929 *Non est necesse, quod habeant notitiam indulgentiæ.*

928. EST vero aliquorum sententia, nimirum Cajet. *tom. 1. opus 16. q. 5.* Navar. *not. 22. & 42.* Henr. *quodl. 11. q. 27.* requiri speciale meritum de congruo, quod in hac vita præcesserit, & per quod meruerit, ut indulgentiæ post mortem illi applicatæ à Deo acceptentur. Sed communis sententiæ DD. est, tale meritum speciale non esse necessarium. Tum quia hoc speciale meritum de congruo non est necessarium in vivis, ut supra *q. 77.* probatum fuit, non assignatur verò, vel assignari potest specialis ratio, unde dici debeat esse necessarium in defunctis. Tum quia ex hoc, quod quis moritur in gratia, & est Dei amicus, congruum est quod Deus acceptet orationes, & suffragia, quæ pro anima illius offeruntur, unde non est necessarium aliud speciale meritum. Suar. *d. 53. sect. 4. n. 9.* Henr. *l. 7. c. 8. n. 3.* Valent. *d. 7. q. 20. p. 5. in fine* Coninch. *disp. 12. dub. 11.* Laym. *l. 5. tr. 7. c. 7. n. 4.* Palaus *d. p. 10. n. 11.* Trullench. *in Bull. Cruc. l. 4. d. 6.*

929. Alia conditio est, quæ posset judicari necessaria in defunctis ut indulgentia illis prosit, scilicet aliqua cognitio indulgentiæ oblatæ, & acceptatio illius. Nam aliqui hujusmodi notitiam esse in vivis necessariam crediderunt. Sed merito hæc sententia rejicitur. Neque enim notitia hæc indulgentiæ est necessaria fides, qua credam, & sperem hanc indulgentiam mihi applicatam, mihi esse futuram fructuosam, quia hujusmodi fides non est dispositio necessaria ad gratiam, vel ad remissionem pœnæ, sed ad acquirendam indulgentiam, quatenus necessaria est ad statum gratiæ, ad quem aliquando sufficit fides implicita, vel quatenus notitia illa, & fides sit necessaria ad hoc ut homo se moveat ad operandum pro indulgentia lucranda. Nam alias indulgentia acquiri potest etiam à dubitante, imò speculativè judicante, quod indulgentia non sit concessa, si sic credens nihilominus faciat diligentiam, & impleat opus injunctum, ut si indulgentia sit concessa, illam lucretur. Animæ vero defunctorum ex hoc capite scilicet, ut operentur ad indulgentiam lucrandam non indigent illius notitia, quia illam acquirunt per aliorum operam, & diligentiam. Sed neque cognitio indulgentiæ est illis necessaria, ut illam liberè acceptent, quia ad hoc sufficit voluntas illa generalis, qua summè desiderant satisfacere divinæ justitiæ, ut quam citissimè, Deo frui possint. Non est ergo hujusmodi cognitio in illis necessaria ad hoc, ut fructum indulgentiæ obtineant, remitti enim potest pœna etiam nesciente illo, cui remittitur. Et alias incertum est, an cum aliquis sumit indulgentiam pro aliqua Anima, Deus hoc illi manifestum faciat per specialem revelationis Suarez *dicta disp. 53. sect. 4.* Palaus *d. n. 11.*

QVÆSTIO CXXII.

An sit honestum, & meritorium indulgentias desiderare, & acquirere.

SVMMARIVM.

930 *Rationes ad quæstionem,*
931 *Honestum quærere indulgentias.*
932 *Iustus non retardatur ab operibus pœnitentiæ per indulgentias.*
933 *Optimum consilium implere pœnitentias injunctas.*

930. VIdetur enim id non esse honestum, quia perfectorum est amplecti Crucem Christi, & & pœnas, quærere vero indulgentias est illas fugere. Tum quia consilium fuit pium, & justum agere pœnitentiam injunctam, etiam si per indulgentiam sit condonata.

931. Sed dicitur, quod quærere indulgentias est honestum, si fiat ex honesto motivo, & ex eo fine, ob quem conceduntur, nimirum si fiat non ex puro amore concupiscentiæ fugiendi pœnas, sed ex amore honesti boni, nimirum, ut pœnitens satisfaciat divinæ justitiæ modo licito, & ut auferat à se impedimentum Paradisi, & sit Deo acceptior, & charior ex quo à Deo sibi sit remissa nedum culpa, sed pœna Cajet. *tom. 1. opusc. 16. q. 2.* Navar. *not. 5. n. 2.* Sotus *4. d. 22. q. 2. a. 1. in fine* Card. *q. 40.* Suarez *disp. 50. sect. 5. n. 4.* Nugnus *in supplem. q. 25. a. 1. d. 1. ad 4.*

932. Et sic dicatur, quod Crux Christi, & opera pœnalia à perfectis sunt quæsita nedum ut opera satisfactoria, sed etiam ut instrumenta virtutis opportuna ad domandam insolentiam carnis, ubi ipsa spiritu sit rebellis, ex eo vero, quod quis quærat indulgentias non tollitur quin etiam si velit, se exerceat in operibus pœnalibus, ut instrumentis virtutis, vel etiam ut plenius Deo pro peccatis suis, vel etiam pro peccatis aliorum satisfaciat.

933. E

933 Est vero consilium optimum pœnitentias injunctas implere, non obstante quod pœnitens lucratus fuerit indulgentiam. Tum quia non est forsan certus, quod per illam Deo satisfecerit, quia potest esse, quod vere lucratus non fuerit. Tum quia adimpletio illa si non sit necessaria ad satisfaciendum est utilis ad merendum, & ad augendum thesaurum satisfactionum in Ecclesia, ex quo possit per indulgentiam satisfieri Deo.

QUÆSTIO CXXIII.

Vtrum sit bonum ad effectum lucrandi indulgentias omittere aliqua opera pia, & honesta, quæ alias pœnitens facere potuisset, & fecisset.

SUMMARIUM.

934 *Licet omittere aliqua opera bona ad lucrandum per alia indulgentiam.*
935 *Humanitatis officia non omittenda.*
936 *Ire Romam ad jubileum est protestatio fidei.*
937 *Potest dari casus, in quo ut qui subveniat proximo, teneatur omittere lucrum indulgentiæ.*

934. EST aliquis qui potuisset plures eleemosynas dare pauperibus, & illas dedisset, si pecuniam non consumpsisset v. g. veniret Romam causa acquirendi jubileum. Quæritur an hoc ei licuerit facere? Respondetur vero id licuisse, & licere cuicumque expendere pecuniam illam pro lucranda indulgentia, quam alias in pauperes erogasset. Cajet. *t.* 1. *op.* 16. *q.* 3. Nav. *not.* 6. *n.* 2. Suar. *d.* 50. *sect.* 5. *n.* 7. Sic enim Magdalena reprehensa à discipulis quod effundisset unguentum supra pedes Christi, quod potuisset vendi, & dari pauperibus, benignè fuit à Christo defensa.

935. Etenim humanitatis officia, quæ certo loco, eo tempore debentur, non sunt omittenda propter communia indeterminatè proximis debita. Cajet. *jent. ac.* 1. 2. Sic non est necesse, prætermittere convivium nuptiale, solemne officium sepulturæ, conjunctum cum Cive, & alia similia, ut largiores eleemosynæ fiant. Nam neque est necesse, imò sæpissime, neque est bonum in individuo, & omnibus pensatis exercere opus quod est melius ex genere, seu quod ex consilio, unde nec est necesse, nec esset bonum, quod omnes vitam cœlibem ducerent, licet virginitas sit melior, quam matrimonium. Sic nec esset bonum, quod omnes fierent Religiosi, licet status Religiosus sit perfectior.

936. Accedit, quod ire Romam tempore Jubilei ad lucrandum jubileum media visitatione Basilicarum sanctorum Apostolorum, cum sit protestatio quædam fidei unius Ecclesiæ sub uno capite Romano Pontifice, est opus pium, honestum, & actus virtutis Religionis, quæ est perfectior omnibus virtutibus potest Theologicas, sed simul est actus fidei, quam qui it Romam, ut lucretur jubileum protestatur.

937. Posset tamen esse pauperis necessitas adeo gravis, ut teneretur pœnitens pauperi succurrere etiam si ex hoc impediretur, ne posset ire Romam ad lucrandum jubileum, si essemus in casu, in quo misericordia obligaret ad eleemosynam etiam non habentem superflua ad statum suum, sicuti est casus extremæ necessitatis pauperis.

QVÆSTIO CXXIV.

An sit opus majoris charitatis ad Deum velle in Purgatorio solvere per rigorosam pœnam quam ex aliena solvere per Indulgentiam.

SUMMARIUM.

938 *An sit majoris charitatis velle solvere Deo pro pœnas Purgatorii.*

938. RESpondet Sotus 4. *d.* 20. *q.* 2. *a.* 1. *in fine*, considerata sola pœna sensus videri illud majoris charitatis, ob tollendam tamen pœnam damni, & impedimentum visionis beatæ, quam maximè appetit charitatis, simpliciter melius est velle liberari ab illo, reatu quodcumque modo. Sed hoc non placet Suarez *d.* 50. *sect.* 5. *n.* 8. quia non videt, quomodo ad charitatem pertineat velle pati pœnas Purgatorii, aut per illas solvere, potius quam per quacumque aliam satisfactionem propriam, vel alienam, quia in illis pœnis non crescit charitas neque in illis est conformitas ad Christum, neque pro aliis est aliqua utilitas, sed solum ad purificandam animam utiles sunt. Quacumque ergo alia via hoc fiat, perfectè eligibilis etiam est ex charitate, quia omnibus pensatis melius est purificationem fieri in hac vita, quam in alia, si cœtera paria sint quo ad meritum, & augmentum charitatis. Sed ratio ista Suarez recurrit tandem ad pœnam damni, quam ut vitemus, multo melius est purificare animam in hac vita. Sed Sotus consideravit solum excessum acerbitatis pœnæ, bene dixit, quod hoc solo spectato majoris charitatis est velle satisfacere per pœnas illas acerbissimas, quam solvendo per indulgentias, quamvis spectato hoc alio, quod est pœnas illas habere annexam privationem divinæ visionis, longe melius sit velle in hac vita perfectè solvere quocumque modo possibili, & legitimo.

FINIS.

INDEX RERUM NOTABILIUM

Quæ continentur in hoc tractatù de Indulgentiis.

A

E F F I C A C I A.

E F F E C T U S.

E L E E M O S Y N A.

E P I S C O P U S.

E R R O R.

E X C E S S U S.

OPERA.

OPINIO.

ORARE.

ORATIO.

P U-

dun

VIA-

FINIS.